

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TIMOTHEUS ZAPELENA S. I.

DE ECCLESIA CHRISTI

PARS ALTERA

APOLOGETICO DOGMATICA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1954

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TIMOTHEUS ZAPELENA S. I.

DE ECCLESIA CHRISTI

PARS ALTERA

APOLOGETICO DOGMATICA

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1954

IMPRIMI POTEST

Romae, die 5 ianuarii 1954.

P. PETRUS M. ABELLÁN S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 9 martii 1954.

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

**TRACTATUS
DE
EPISCOPATU**

THESIS XIV

Episcopi sunt Apostolorum successores, atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis.

Connexio materiae

Vidimus Christum instituisse Ecclesiam suam hierarchice-monarchice constituendo collegium apostolicum sub suprema Petri auctoritate. Porro sicut primatialis dignitas continuatur in Romano Pontifice, sic ordinaria apostolorum auctoritas perpetuatur in *episcopis*, de quibus iam agendum nobis est.

Potest autem in episcopatu considerari ordo seu respectus triplex: *a)* ad Collegium apostolicum cuius est vera continuatio atque iuridica successio; *b)* ad Christum cuius est vera institutio; *c)* ad Romanum Pontificem, cuius supremae potestati subordinatur in suo exercitio, e cuius plenitudine derivatur in sua origine. Totam de episcopatu quaestionem duplici thesi concludemus. Thesis haec XIV constat triplici parte: Prior exhibet episcopos *succedentes* apostolis in regenda (et docenda) Ecclesia. Altera ostendit *divinam institutionem*. Tertia inquit in *formam monarchicam* seu unitariam episcopatus.

I

De collegio episcoporum succedente collegio apostolorum.

Praenotanda

Episcopus vi vocis (ἐπι-σκοπεῖν) idem est ac superintendens, inspector, speculator, observator. Vox apta ad designandum quodlibet officialium aut magistratuum genus in quo aliqualis vigilantiae cura implicatur. Hoc porro sensu recurrit haec vox in litteratura sive profana et graeca, sive sacra et biblica, sive ecclesiastica et patristica.

In litteratura profana designantur nomine episcopi diversi generis officiales: inspectores mercium (Homer. Od. 8, 163) — Coloniarum commissarii, publici nempe officiales, quibus concredita est cura organizandi regiones bello et armis occupatas (Corpus inscriptionum graecarum, 73) — Magistratus profani, ut videre est in noto Ciceronis testimonio: « Vult me Pompeius esse, quem tota haec Campania ... habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus et summa negotii referatur » (ep. ad Atticum, 7, 11, 5) — Magistratus sacri, v. gr. viri servitio templi addicti (Inscript. graecae 12/1, 731. A. Deissmann, Neue Bibelstudien, 57) — Ipsa demum numina seu divinitates hoc nomine celebrantur. Sic pro Homero Dii sunt ἐπίσκοποι ἀρμο-
νιάων (Il. 10, 255); similiter Philo, apud quem Deus dicitur ὁ τῶν ὄλων ἐπίσκοπος (De somniis, 1, 15, 91).

Significatio biblica cohaeret in versione septuagintavirali. Ubi voce episcopi designantur: Duces militum (Num. 4, 16) — Magistratus profani (Num. 31, 14; 1 Mac. 1, 53; Iudic. 9, 28; Esdr. II, 11, 9) — Magistratus sacri (Num. 4, 16; 4 Reg. 11, 10; 2 Par. 34, 12, 17) — Ipse Deus appellatur τῆς καρδίας ἐπίσκοπος (Sap. 1, 6) Vox quoque ἐπισκόπη adhibetur de Deo hominum animas sive explorante sive visitante tum poenisi, tum praemiis.

In Novo Testamento vox episcopus praedicatur semel de Christo, quem Petrus appellat τὸν ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν (1 Petri 2, 25) — Officium Iudae designatur triplici voce: episcopatus, apostolatus, diaconia (Act. Apost. 1, 20 et 25) — Alias vox designat viros ecclesiasticos communitatibus localibus praepositos (Act. 20, 28; Phil. 1, 1; Tit. 1, 5, 7; I Tim. 3, 4). Qualis sit horum dignitas, qualisve ipsorum ad praesbyteros habitudo in tertia parte theseos discutietur.

In litteratura patristica vox episcopus iam inde a saeculo secundo ineunte in epistulis S. Ignatii A., ab eodem vero saeculo mediante in reliqua fere litteratura obtinet sensum fixum, quo hodie usurpatur hoc nomen ad designandos sacerdotes primi ordinis singulis communitatibus christianis monarchice praefectos. Ex his patet iam accessus ad enucleandam realem episcopi notionem, quae statim describenda venit.

Episcopi in nostra thesi intelliguntur praepositi ecclesiastici qui pollent potestate ordinandi ministros ecclesiae, confirmandi baptizatos et regendi aliquam partem Ecclesiae. Hinc distinguitur in eis: potestas *ordinis*, tum illa generalis quae competit eis qua sacerdotibus, tum illa specialis quam habent ut sacerdotes supremi ordinis, confirmandi nempe et consecrandi — potestas *iurisdictionis* seu regendi aliquam partem Ecclesiae sub Romano Pontifice, idque vi muneris proprii et stabilis, non vi delegationis transitoriae; est ergo potestas *ordinaria*, non delegata; *propria*, non mere vicaria — Potestas *magisterii* authentici inclusa intelligitur in potestate iurisdictionis; de illa tamen ex professo agemus in alia thesi. Vides iam dignitatem episcopalem adaequate spectatam contineri triplici potestate: sacerdotali, magisteriali, regali.

Successio (formalis) stat in eo, quod munus, quod quispiam gerit, in alterum transmittatur. Potest esse plus minus perfecta, prout successor acquirat omnia iura omnesque praerogativas antecessoris, vel aliqua tantum. Ut vero plenius pateat qualis fuerit successio de qua in thesi, oportet notare iura episcopalia apostolorum fuisse mire aucta et ditata propter singulares *apostolatus* praerogativas.

In ordine magisterii apostoli habuerunt eminentiam triplicem in qua non communicant *singuli* episcopi; singuli nempe apostoli erant ornati *personali infallibilitate* ad proponendam doctrinam sacram revelatam cum speculativam tum practicam — Fuerunt quoque *organa novae revelationis*, quae in eis et per eos crescebat ac dilatabatur. — Gaudebant praeterea mirabili *scientia* biblica et theologica *divinitus infusa*. — Accedebat pro aliquibus charismaticum *inspirationis donum*, vi cuius scribebant sub influxu et motione Spiritus Sancti causae principalis.

In ordine iurisdictionis habebant apostoli potestatem fundandi ecclesias ubique terrarum, easque organizandi et regendi sive per se, sive per alios electos ac consecratos presbyteros-episcopos, quos sibi subiectos retinerent. Habebant proinde potestatem regiminis universalem eatenus saltem, quatenus poterant regere omnes communitates christianas *a se fun-*

datas, utique sub supremo Petri regimine. Vides iurisdictionem apostolicam esse extensive et intensive superiorem potestate episcopali. *In ordine morali* splendebant apostoli omnes *sanctitate extraordinaria*; nec desunt qui putent eos fuisse confirmatos in gratia; de hac tamen mirabili praerogativa omnimoda certitudine non constat. *In ordine executionis* demum fruebantur apostoli singuli praecellenti *potestate thau-maturgica*, qua utebantur ad confirmandam suam divinam missionem, necnon doctrinam quam nomine Christi praedicabant.

Ex his patet quomodo sit intelligenda successio episcoporum de qua agimus: in *potestate ordinis* episcopi succedunt apostolis plene et perfecte: — in *potestate magisterii authenticici* doctrinae revelatae; hinc successio est imperfecta; collegium vero episcoporum succedit collegio apostolorum etiam in praerogativa infallibilitatis, ut suo loco ostendemus: — in *potestate regiminis* singuli eatenus succedunt quatenus et ipsi habent potestatem ordinariam ac propriam regendi aliquam portionem gregis ecclesiastici; collegium vero episcopale verius succedit collegio apostolico, nam episcopi omnes collective sumpti sub Romano Pontifice habent iurisdictionem universalem quam praeprimis exercent dum in concilium oecumenicum congregantur: — Ergo non eodem modo quo Romanus Pontifex Petro, episcopi succedunt apostolis; ille enim apostolo singulari, utpote apostolorum capiti succedit, isti non apostolis singularibus, non singuli singulis, sed collegium collegio succedit.

Positio adversaria

Indirecte adversantur huic primae parti quicumque negant fundamentale totius thesaeos suppositum, divinam nempe apostolatus institutionem. Horum aliqui eo usque procedunt, ut ipsam collegii duodecim efformationem Christo abiudicent: sic Seufert, Weber, I. Weiss. Alii ut Harnack, admissa institutione collegii duodenarii a Christo facta, negant Christum formaliter instituisse apostolatatum iuridicum. His pro more resonant Modernistae: quorum est doctrina: « Seniores qui in

christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur instituti sunt ab apostolis presbyteri vel episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et auctoritatem apostolorum » D. n. 2050.

Directe adversantur thesi nostrae *Irvingiani* sic dicti seu fautores ecclesiae apostolicae. Agitur de secta protestantica saeculo XIX in Scotia nata et in varias Europae et Americae regiones deinceps propagata, duce E. Irving et J. Cardale. Admittunt supremam potestatem ecclesiasticam a Christo in collegio apostolico fundatam, quam volunt continuandam non in collegio episcoporum, sed in alio collegio duodecim quos ipsi apostolos appellant. Simul cum apostolis admittunt alios gradus subordinatos: prophetas, nempe, episcopos, presbyteros, diaconos. Prophetarum munus principale est designare viros qui ad episcopatum et presbyteratum promoveri debent. Singulae communitates gubernabantur ab Angelo seu episcopo cum subordinato sibi presbyterio et diaconatu. Apostolorum quidem ordo perivit culpa hominum; iterum tamen erigetur a Deo ut homines per illum praeparentur ad ultimum Christi adventum. Huius adventus, quem proximum putabant, tempus et annum saepius prophetaverunt, imo et procrastinaverunt contrario rerum adventu non semel eruditi. — Protestantes Lutherani et Calviniani, ut plurimum, negant Christum instituisse in collegio apostolico potestatem *iuridicam* successionem in Ecclesia transmittendam et perpetuandam: — Anglicani et Episcopaliani admittunt apostolatam a Christo institutum et in collegio episcopali continuandum: — Orientalium demum positio cum nostra catholicorum plene concordat.

Probatur thesis

Via historica-critica: Sacra Scriptura nullibi docet episcopos proprie dictos succedere apostolis in regimine ecclesiarum; aperte tamen tradit ea, e quibus invicte concluditur collegium episcopale succedere in locum collegii apostolici. Sane Christus instituit collegium apostolicum ornatum triplici potestate: sacerdotali, magisteriali et iurisdictionali. Voluit autem

Christus *hoc tale* collegium continuatum usque ad consummationem saeculi (Mt. 28, 18-20). Sed continuatores apostolorum in hac triplici potestate sunt episcopi, ut patet ex ipsa episcopatus notione. Ergo *principium successionis* episcopalis aperte continetur in testimonio evangelico. *Factum* porro *successionis* subito proclamatur in documentis christianae traditionis.

Clemens Romanus praecedit ordine testium. Cuius notum est testimonium in epistula scripta ad fideles ecclesiae corinthiaca collabente saeculo primo: « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino nostro Iesu Christo. Iesus Christus missus est a Deo, et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinate ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum Spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant ... Et quid mirum eos, quibus in Christo a Deo hoc munus erat, praedictos constituisse... Apostoli quoque nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus oborituram: ob eam ergo causam perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos, ac deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi discessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constituti sunt ab illis, vel deinceps ab aliis viris eximiis, consentiente universa ecclesia ... hos iudicamus munere suo non iuste deiici » cap. 42-44 apud Funk, *Patres Apostolici* vol. I (1901) pag. 153 sq. Cf. *R. Journal* n. 20 et 21.

In hoc egregio testimonio clare distinguitur duplex personarum ordo: 1° earum quae mittunt et constituunt; 2° earum quae mittuntur et constituuntur. *Mittentes* seu constituentes sunt Deus — Christus — apostoli — viri eximii. *Missi* vero seu constituti sunt Christus — apostoli — episcopi cum diaconis; sed horum (episcoporum) duplex classis recensetur: alii sunt primo constituti ab ipsis apostolis; alii deinceps ab his qui dicuntur viri eximii (ἑλλόγιμοι ἄνδρες). Hos viros

eximios esse episcopos proprie tales invicte concluditur duplici ratione: primo quidem quia succedunt apostolis in munere constituendi per cheirotationiam episcopos-presbyteros; deinde vero quia ministri ab his constituti apparent ornati potestate sacerdotali et liturgica. Utrum vero fuerint episcopi stabiles seu residentiales, an potius itinerantes seu missionarii, quales fuerunt Timotheus et Titus, ex hoc solo testimonio vix concludi potest. Vides *factum successionis* episcopalis clare doceri a Clemente iam saeculo primo. Utrum *principium quoque successionis* proclametur a Clemente, an non, pendet a recta intelligentia verborum: « deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi (apostoli? episcopi?) discessissent, alii viri probati munus eorum exciperent ». At de hac pericopé acris est controversia Doctorum, quam examini subiiciemus in apposito scholio.

Ignatius Antiochenus, initio saeculi secundi, passim exhibet ecclesias locales constitutas sub episcopo cum subordinato sibi presbyterio et diaconis. Testimonia dabimus in parte secunda et tertia; hic sufficiat exscribere quae tradit in epistula ad Smyrnaeos, c. VIII (Funk, o. c. p. 283):

« Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri, et presbiterio ut apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapem celebrare; sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne quod peragitur ». R. Journal, n. 65. Hinc clare apparet episcopos, proprie tales, esse rectores supremos in ecclesiis localibus in ordine liturgico, doctrinali et disciplinari. Unde invicte concluditur eos tenere locum et ministerium apostolorum, quibus proinde succedunt in munere gubernandi ecclesiastico. Hoc rursus fit manifestum ex his quae tradit de *origine* potestatis episcopalis, quippe quae tota quanta referenda sit ad *missionem Christi* (ad Ephes. VI, 1). Evidens profecto est hanc missionem non esse *immediatam* respectu singulorum episcoporum. Est ergo mediata seu successioni innixa.

Hegesippus in suis Memorabilibus exhibet episcopos tamquam supremos ecclesiarum rectores et authenticos orthodoxiae custodes. Cuius rei testis est Eusebius in Hist. Eccles. L IV. c. 22, 3: ubi de Hegesippo scribitur: « scribit enim se, quum Romam (ex Palaestina) proficisceretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eandem doctrinam audivisse ». Idem postquam de Clementis ad Corinthios epistula quaedam commemoravit, haec addit: « et Corinthiorum quidem, inquit, ecclesia in recta fide permansit usque ad Primum eiusdem loci episcopum, quibuscum familiariter colloquutus sum dum Romam navigarem, nec paucos dies versatus sum cum Corinthiis, mutuamque ex recta fide consolationem cepimus ».

Hos episcopos habitos ab Hegesippo fuisse tamquam veros apostolorum successores sat clare innui videtur in subsequentibus.

« Romam quum venissem, catalogum feci usque ad Anicetum, cuius tum diaconus erat Eleutherus. Post obitum deinde Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherus. In singulis autem *episcoporum successionibus* et per singulas urbes eadem manent, quae per Legem ac Prophetas et a Domino praedicata sunt ». R. J. n. 188.

Irenaeus eminet inter testes huius secundi saeculi. Pauca seligo ex l. III et IV operis contra haereses. In l. III, c. 3 haec habet: « Traditionem itaque apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus enumerare eos qui ab apostolis sunt *instituti episcopi et successores eorum usque ad nos ...* Etenim si recondita mysteria scivissent apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, *quibus etiam ipsas ecclesias committebant*. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant, *quos et successores relinquebant suum ipsorum locum magisterii tradentes* » R. J. n. 209. His gemina sunt quae scribit in l. IV, 26, 2: « His qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui *successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione* charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt » R. J. n. 237. Item in eodem li-

bro c. 33, 8: « Agnitio vera est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status in universo mundo, et character corporis Christi secundum *successiones episcoporum*, quibus illi (apostoli) eam, quae unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt » R. J. n. 242.

Tertullianus eandem fidem strenue testatur: « Ceterum, si quae (ecclesiae) audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab apostolis traditae quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant *ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem*, ut primus ille episcopus *aliquem ex apostolis* vel apostolicis, qui tamen cum apostolis perseveraverit, *habuerit auctorem et antecessorem*. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt ». « De praescriptione », 32. R. J. n. 293 et 296.

Cypriani eadem est fides et saepe inculcata sententia in suis epistulis: « Christus dicit ad apostolos ac per eos ad omnes praepositos, qui apostolis *vicaria ordinatione succedunt* » Epist. 66, Hartel. Quinam sint hi praepositi impertinenter quaereretur in nota ecclesiologica cypriana. Similiter in epistula 45 Hartel p. 700. « Hoc maxime laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino et per apostolos *nobis successoribus* traditam, quantum possumus, obtinere curemus ». Ceterum Cyprianus enixe conatur potestatem episcopalem omnem revocare non modo ad apostolos, sed ad ipsum principem apostolorum Petrum. Sic in Epistula 33 Hartel p. 566. « Dominus noster cuius praecepta metuere et servare debemus, episcopi honorem et Ecclesiae rationem disponens in evangelio loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ... *Inde per temporum et successionum vices* episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit ». R. J. n. 571. Eadem doctrina recurrit in epistula 43, Hartel p. 594. Deus unus est, et Christus unus et una Ecclesia et *cathedra una super Petrum Domini voce fundata*. Aliud altare constitui et sacerdotium novum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. Quicumque alibi collegerit, spargit ». R. J. n. 573.

Firmilianus pro more Cypriano resonat: « Potestas ergo remittendorum peccatorum apostolis data est, et ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis qui eis *ordinatione vicaria successerunt* ». R. J. n. 602.

Pacianus contra Novatianos strenue tuetur potestatem ligandi et solvendi a Christo apostolis eorumque successoribus concessam: « Quid est illud quod apostolis dicit: quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in caelis? An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum dare solis, et solis gentium peccata purgare, quia tantum hoc non aliis quam apostolis imperatum est. Quodsi uno in loco et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur, aut totum *ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est*, aut nec illud ex decretis relaxatum est ... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, maiorum et longe chrismatum, *ad episcopos inde descendit*, et ligandi quoque ius adfuit atque solvendi ». R. J. n. 1244.

Hieronymus epistula 41 ad Marcellam scribit: « Apud nos *apostolorum locum episcopi tenent*; apud eos (Montanistas) episcopus tertius est. Habent enim primos de Papusa Prygiae patriarchas, secundos quos appellant Canonas; atque ita in tertium i. e. paene ultimum locum episcopi devolvuntur, quasi exinde ambitiosior religio fiat, si, quod apud nos primum est, apud illos novissimum sit ». In epistula vero ad Evangelium ait de episcopis: « Ceterum *omnes apostolorum successores sunt* ». ML. 22,

Augustini sententiam atque auctoritatem premit *Pelagius* papa ad episcopos schismaticos Istriae scribens: « Ubi namque Ecclesia sit constituta, licet ipsius Domini voce in evangelio (Mt. 16, 18) sit apertum, quid tamen beatus Augustinus eiusdem dominicae memor sententiae definierit audiamus: in his namque, ait, esse Dei Ecclesiam constitutam, qui *sedibus apostolicis per successiones praesulum* praesidere noscuntur ». ML. 72, 71.

Leo Magnus in sermone IV scribit: « Transivit quidem etiam in *alios apostolos* ius potestatis illius (ligandi et solvendi),

et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commea-
vit; sed non frustra uni (Petro) commendatur, quod om-
nibus intimetur; Petro enim hoc singulariter creditur, quia
cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur ». ML.
54, 149.

Gregorius I claudat seriem testium: « Principatum su-
perni iudicii sortiuntur (apostoli), ut vice Dei peccata quibus-
dam retineant ... *Horum profecto nunc in Ecclesia episcopi lo-
cum tenent*; ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt
qui gradum regiminis sortiuntur ». In evangelia homiliae 2,
26, 4. ML. 76, 1199. cf. R. J. n. 2332.

Via dogmatica quaestio breviter dirimitur:

Concilium Florentinum in decreto pro Armenis de mi-
nistro confirmationis docet: « Ordinarius minister est episco-
pus. Et quum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhi-
bere, hanc nonnisi episcopus dedet conferre: quia de solis apos-
tolis legitur, *quorum vicem tenent episcopi*, quod per manus
impositionem Spiritum Sanctum dabant ». Denzinger n. 697.
— Praecesserat declaratio *Innocenti III*, qui iisdem fere verbis
usus fuerat: « de solis apostolis legitur *quorum vicarii sunt
episcopi*, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum da-
bant ». Denzinger, n. 419.

Concilium Tridentinum sessione XXIII, c. 4 contra pro-
testantes tradit: « Proinde Sancta Synodus declarat, praeter
ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, *qui in apostolorum
locum successerunt*, ad hunc hierarchicum ordinem pertine-
re ... eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum con-
firmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare atque alia
pleraque ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui
inferioris ordinis nullam habent ». Denzinger n. 960. Suo loco
ostendemus Concilium agere non de iurisdictione, sed de sola
ordinis potestate.

Concilium Vaticanum postquam declaravit germanam pri-
matus romani vim et naturam, ita alloquitur. « Tantum au-
tem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat ordinariae
atque immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua

episcopi, qui positi a Spiritu Sancto *in apostolorum locum successerunt*, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastori asseratur, roboretur ac vindicetur ». Denzinger n. 1828. Vides hic sermonem esse etiam de potestate iurisdictionis.

Leo XIII in Encyclica « Satis cognitum » data 29 Iunii 1896 scribit: « Erat igitur divinitus provisum ut magisterium a Iesu Christo institutum non iisdem finibus quibus vita apostolorum terminaretur, sed esset perpetuo duraturum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecraverit episcopos apostoli, *qui sibi proxime succederent in ministerio verbi* designavere ... Si Petri eiusque successoris plena ac summa potestas est, ea tamen ne putetur esse sola. Nam qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem elegit duodecim .. quos et apostolos nominavit. Quomodo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic episcopi, quod *successerunt apostolis*, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt ».

Pius X in Motu proprio « Sacrorum Antistitum » scribit: « Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae firmam retinebo, de charismate veritatis certo, quod est, fuit eritque semper *in episcopatus ab apostolis successione* ». Denzinger, n. 2147.

Decretum S. Officii « Lamentabili » praecesserat, in quo damnatur doctrina modernistica: « Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad *perpetuandam missionem et potestatem apostolicam* ». Denzinger, n. 2050.

Codex Iuris Canonici demum constantem magisterii ecclesiastici ordinarii doctrinam colligit in canone 329: « *Episcopi sunt successores apostolorum*, atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ».

Pius XII in Encyclica « *Mystici Corporis* » docet n. 41: « Quapropter (episcopi) *ut apostolorum ex divina institutione successores*, a populo venerandi sunt ».

II

De divina episcopatus institutione.

Status quaestionis. Pars prior ostendit episcopos succedere apostolis in regimine ecclesiastico. Quaeritur iam quo iure seu lege facta sit praefata successio. Contendimus id factum esse *iure divino* ideoque incommutabili. At duae sunt quaestiones his apprime distinguendae: 1° Num ipse Christus instituerit *munus episcopale* in Ecclesia. 2° Num ab ipso Christo immediate derivetur in episcopos illa, qua pollent, iurisdictionis potestas. Hae duae quaestiones non necessario coincidunt: nam potuit Christus velle ac praecipere ut adsint in Ecclesia episcopi, qui a Romano Pontifice suam particularem iurisdictionem recipiant. Patres Tridentini circa primam quaestionem unanimes prorsus fuere; de altera vero longe et acri certamine litigaverunt. Asserimus Christum ipsum, dum in terris ageret, instituisse munus seu ordinem episcopalem. Quaestio de immediata origine iurisdictionis episcopalis enodabitur in thesi sequenti.

Positio adversaria

Huius partis adversarii iidem fere sunt ac in parte praecedenti. Speciatim notandi Rationalistae ac Protestantes liberales, apud quos regimen ecclesiasticum primaevum non fuit hierarchicum et episcopale, sed potius democraticum et charismaticum. Episcopatus iuridicus serius apparet tamquam fructus evolutionis variis hinc inde concurrentibus causis. Reiecta ergo origine divina episcopatus, quaeritur origo eiusmodi humana, quae multiplex assignatur.

Ethnicam originem proponit professor Oxoniensis *E. Hatch*. Apud quem initio rei christianae aderant sodalitia pia inter ethnicos. Similia porro creabat christianismus, hoc ta-

men discrimine, quod opera misericordiae fuerunt pro christianis aliquid essentielle. Qui his operibus et sodalitiis praesidebat, vere in communitate eminebat, eiusque potestas administrativa praevalebat et paulatim transformabatur in episcopalem iuridicam.

Iudaicam originem episcopatus tuetur *Sabatier, Schurer*, alii. Ex oriente quippe christianismo aderant inter iudaeos tum synedrium centrale hierosolymitanum, tum particulares synagogae locales, quae presbyteris constituebantur; nihil mirum si christianismus similem institutionem creabat. Quin imo, integra synedria nonnumquam ad christianismum convertebantur, at presbyteri in sua dignitate et institutione manebant, quae ceteroquin favore ac protectione reipublicae romanae fruebatur.

Pneumaticam originem episcopatus assignat *Loofs*. Primitivi nempe christianismi character proprius erat enthusiasmus religiosus, cui praeerat auctoritas charismatica. At decrescente primitivo enthusiasmo christianorum, auctoritas charismatica sensim sine sensu deformatur, et induit naturam iuridicam et episcopalem.

Harnack opinatur originem episcopatus reponendam in transformatione triplicis potestatis primigeniae: charismaticae, nempe, patriarchalis et administrativae, eiusque absortione per hanc ultimam seu episcopalem, quae originarie erat ordinis administrativi. Cf. ea quae exposuimus in vol. I pag. 193.

E. Renan quaerit originem hierarchicam et episcopalem catholicismi romani in triplici abdicatione: communitatis, presbyterorum, episcoporum. Communitas in primis abdicabat in favorem collegii presbyteralis; presbyteri dein suae potestati renuntiabant in favorem episcopi; hi demum, abdicabant in favorem episcopi romani, qui sic fit caput totius christianismi.

Sohm originem episcopatus sedulo investigat in suo noto opere *Kirchenrecht*. Summa rei ad haec fere revocari potest: Primo quidem statuitur et premitur oppositio essentialis inter

constitutionem iuridicam et indolem nativam Ecclesiae. Potestas ecclesiastica est necessario divina et spiritualis, quippe quae sit tota posita in auctoritate verbi Dei. Haec porro potestas altior est, nobilior est, quam ut possit ulla formula iuridica exprimi, contineri et coerceri. Hinc ecclesiae primitivae constitutio erat pure charismatica. Quicumque habebat charisma doctrinale, eo ipso habebat potestatem docendi. Communitatis erat probare et approbare germanam charismatis naturam. Probata origine divina charismatis, oritur obligatio naturalis obediendi charismaticis. — Cultui eucharistico praeerant apostoli et prophetae; his porro disparentibus substituebatur *episcopus* a communitate selectus ad administranda bona temporalia communitatis. Initio quidem haec potestas administrativa et culturalis episcopi carebat vi iuridica; paulatim tamen transformatur et induit characterem vere iuridicum. — Huic transformationi ansam quidem dabat debilitas seu tepiditas fidei et fervoris primitivi, vim vero et efficaciam epistula Clementis romani ad Corinthios, in qua functio liturgica et administrativa exhibetur ut *institutio apostolica*. — Succedebat demum *theoria successionis* seu de episcopis successoribus apostolorum. En iam inductam *institutionem divinam episcopatus*, totamque potestatem ecclesiasticam concentratam penes episcopos.

Probatur thesis

Via historica-critica praecedat duplici forma incedens, biblica nempe et patristica. Argumentum biblicum primae partis potest restaurari integrum, quippe quod sit aptum pro hac quoque secunda parte. Profecto episcopatus, ut praenotavimus, continetur triplici potestate: sacerdotali summa, magisteriali, iurisdictionali. Porro Christus, dum in terris ageret, instituit hanc triplicem potestatem, eamque iussit continuari usque ad consummationem saeculi. Ergo eo ipso instituit munus seu ordinem episcopalem.

Potestas quidem sacerdotalis et sacrificia instituebatur a Christo in ultima coena, quam ipse cum discipulis celebravit et celebratam deinceps voluit *donec veniat*. Cf. Mt. XXVI, 26 sq.; Mc. XIV, 22 sq.; Lc. XXII, 19 sq.; 1^a ad Cor. XI, 23 sq.

Potestas magisterialis et regalis instituebatur potissimum in ultima sollemni missione apostolorum (Mt. XXVIII, 18 sq.; Mc. XVI, 15 sq.) Christum voluisse has potestates continuatas usque in finem mundi demonstratur duplici ratione: primo quidem ipse iussit evangelium Regni praedicari omni creaturae, omnibus gentibus. Apostoli porro pro sua conditione mortali non poterant hoc mandatum exequi opera personali; hinc eo ipso iubentur eligere et consecrare homines, qui suam missionem, suas potestates, suum opus continuent. — Deinde Christus expresse annuntiaverat suum evangelium praedicatum iri in toto mundo usque ad eius finem, et hic rursus promittit se futurum cum apostolis docentibus usque in consummationem saeculi. Eo ipso praedixit et promisit futurum collegium episcoporum, et consequenter instituit munus episcopale.

Novum argumentum biblicum haud raro fieri consuevit pro divina episcopatus institutione ex verbis Paulinis in Act. Apostolorum XX, 28; ubi sermo est de his quos *Spiritus Sanctus posuit episcopos* regere Ecclesiam Dei. At de valore huius argumenti merito dubitatur. Recurret de his sermo in apposito scholio.

Argumentum traditionis historicae etiam primaevae dabant Patres:

Clemens Romanus prae primis divinae episcopatus institutioni illustre testimonium perhibet in allegato superius loco: ibi docet Christum, missum a Patre, misisse apostolos. Qui, acceptis mandatis evangelium per orbem et regiones praedica-verunt, primitias Spiritu probatas in episcopos consecraverunt, ac deinceps ordinationem dederunt ut, quum illi discessissent, alii viri privati munus eorum exciperent. Unde merito concludit: « Itaque, qui constituti sunt ab illis (apostolis); vel deinceps ab aliis viris eximiiis, consentiente universa ecclesia, hos iudicamus munere suo non iuste deiici ». Superius ostendimus in hoc testimonio sermonem esse de *veris episcopis*, quorum nomine veniunt hi qui dicuntur viri eximii. Remanet demonstrandum sermonem esse de episcopis *divinitus constitutis*, id quod trifariam exprimitur.

a) Primo quidem Clemens expresse docet et premit ordinem hierarchicum divinitus stabilitum in Antiquo Testamen-

to: « Cuncta ordine debemus facere quae nos *Dominus* statutis *peragere iussit*. Oblationes scilicet et officia sacra perfici neque temere neque inordinate *fieri praecepit*, sed statutis temporibus et horis. Ubi etiam et a quibus eas celebrari vult, ipse excellentissima *sua voluntate definivit*. Qui ergo adsignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt; *Domini enim mandata exsequentes* non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua munera incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur ». Funk, o. c. p. 151. Age iam: Clemens evidenter supponit *in Novo quoque Testamento dari similem ordinem sacrum a Deo stabilitum*. Ideo continenter pergit: « Unusquisque nostrum, fratres, in suo ordine cum bona conscientia *praescriptam sui ministerii regulam non transgrediens*, honeste Deo gratias agat ». Quin imò addit: « Videtis, fratres, quo maiori cognitione digni sumus habiti, eo graviore periculo sumus obnoxii ».

b) Deinde explicitis verbis mandatum divinum commemoratur: « Quid mirum eos, quibus in Christo *a Deo hoc munus commissum est*, praedictos (Spiritu probatos) constituisse? Quum beatus Moses ... omnia quae ipsi mandata erant in sacris libris notaverit ».

c) Demum asseritur apostolos *acceptis mandatis* (Christi), per urbes praedicasse, episcopos-presbyteros constituisse, ac deinceps ordinationem dedisse ut, quum illi discessissent, eorum munus alii viri probati exciperent. Porro si objectum ordinationis apostolicae fuit, ut apostolis morientibus, eorum munus alii viri probati exciperent, habes mandatum divinum explicitum de episcopis constituendis. Si vero objectum ordinationis apostolicae fuit, ut primis viris probatis (in episcopatum), alii viri probati succederent, habes mandatum divinum implicitum de instituendis episcopis, quum sacerdotes presbyteri adesse non possint sine vero episcopo a quo consecrarentur. *Dices*: Clemens tribuit institutionem episcopatus praevisioni qua apostoli noverunt contentionem de nomine episcopatus oborturam. Ergo non mandato Christi. *Resp.*: Secundum Clementem haec praevisionis contentio non fuit causa *instituendi episcopatus*, sed fuit causa assumendi ad hoc munus « praedictos » i. e. viros *Spiritu probatos*.

Ignatius Antiochenus attribuit episcopatum divinae missioni seu institutioni. Sic in epistula ad Ephes. scribit: « Et quamdiu quis episcopum tacentem videt, tanto magis eum revereatur; quemcumque enim Paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum qui mittit. *Manifestum igitur est, quod episcopum recipere oporteat ut ipsum Dominum* » Funk, o. c. p. 219. Manifestum ergo est, quod episcopus pro Ignatio est missus seu institutus a Domino. Hinc facile intelligitur quod Phyladelphenses salutatur ut gaudium suum » maxime si sint uniti cum episcopo et presbyteris eius et diaconis *iuxta sententiam Christi* constitutis ». Funk, o. c. p. 265. Nihil ergo mirum si ad Trallianos scribit: « Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum, sicut episcopum qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. *Sine his ecclesia non vocatur* ». Funk, o. c. p. 245. Unde apparet episcopum cum subordinato sibi presbyterio et diaconatu pertinere ad constitutiva Ecclesiae plene institutae. Similiter ad Phyladelphenses scribit: « Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis conservis meis; ut quod faciatis, secundum Deum faciatis ». Funk, o. c. p. 267. Ubi ordo episcopalis iis rebus consociatur, quae certissime iuris divini sunt.

Irenaeus non adeo explicite effert divinam episcopatus institutionem, sed illam constanter supponit et implicite tradit, ut videre est in sequentibus:

a) Notanda praepremis quae scribit in L. IV Ad. Haer. 26, 2.: « His qui sunt in Ecclesia presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum beneplacitum Patris acceperunt ». Duo hic clare affirmantur: 1° episcopos succedere apostolis in suo munere episcopali et magisteriali; 2° episcopos succedere apostolis in suo magisterio charismatico et infallibili. Haec porro successio in magisterio infallibili evidenter supponit divinam episcopatus institutionem. Quippe eatenus episcopi succedunt apostolis in magisterio infallibili, quatenus verba Christi (Mt. XXVIII, 18 sq.) ins-

tituentis magisterium apostolicum infallibile dirigebantur ad episcopos huius collegii apostolici successores. Atqui si verba Christi institutoris dirigebantur etiam ad episcopos, episcopatus evidenter referendus est ad Christum auctorem. Ergo ...

b) His affinia sunt quae leguntur in eodem libro IV, 33, 8 (R. Journal, n. 242). « Agnitio (gnosis) vera est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status (systema) in universo mundo, et *character corporis Christi secundum successiones episcoporum*, quibus illi (apostoli), eam, quae in unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt ». Ex quibus sat clare apparet veram Christi Ecclesiam, in sua nativa structura mystica-sociali consideratam, esse pro Irenaeo essentialiter hierarchicam, i. e. apostolico-episcopalem, et consequenter cum apostolatam, tum episcopatum Christum habere auctorem et institutorem.

c) His harmonice resonant quae doctor Lugdunensis scribit in L. III eiusdem operis 24, 1, (R. Journal n. 226). « In ecclesia posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem spiritus, cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam ... ubi enim Ecclesia, ibi Spiritus; et ubi Spiritus Dei, illic et Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas ». Docet ergo Irenaeus Deum *posuisse* in Ecclesia apostolos, prophetas, doctores. Hi porro doctores pro Irenaeo sunt praeprius episcopi, quos ideo praecise oportet audire, quia simul cum episcopatu *charisma veritatis* (quae est operatio Spiritus) acceperunt.

d) Demum argumentum generale, consonanter ad testimonia superius citata, sic confici potest: negari nequit unitatem fidei pertinere secundum Irenaeum ad essentiam Ecclesiae Christi. Medium porro visibile seu instrumentum a Christo institutum ad efficiendam et perenniter conservandam hanc unitatem non est aliud quam magisterium vivum, authenticum, infallibile, in collegio apostolico collocatum, in collegio episcopali iugiter continuatum. Apostolatus ergo simul cum episcopatu ad mentem Irenaei referatur oportet ad ipsam Christi voluntatem et institutionem.

Cyprianus divinam episcopatus originem non semel fateatur: a) Primo quidem in epistula 33 (Hartel, p. 566): « Dominus Iesus Christus, cuius praecepta metuere et servare debemus, *episcopi honorem* et Ecclesiae suae rationem *disponens* in

evangelio loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ... Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut *Ecclesia super episcopos constituatur*, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Quum hoc ita *divina lege fundatum sit*, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut Ecclesiae nomine litteras facerem, quando ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta ».

b) Deinde in epistula 43 (Hartel p. 594): « Deus unus est, et Christus unus et una Ecclesia et *cathedra una* super Petrum *Domini voce fundata*. Aliud altare constitui, aut novum sacerdotium (episcopatum) fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest; quisquis alibi colligit, spargit; adulterum est, impium est, sacrilegum est quidquid humano furore instituitur, ut divina dispositio violetur ». Huius divinae dispositionis violatores redarguuntur schismatici africani, qui « se ultro apud temerarios convenas *sine divina dispositione* praeficiunt, qui se praepositos *sine ulla ordinationis lege* constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi nomen assumunt ». (De Unitate Ecclesiae, c. 10, Hartel p. 218).

c) At nullibi clarius effertur et altius premitur divina episcopatus origo, quam in oratione inaugurali concilii Carthaginensis: « Expectemus omnes iudicium Domini Nostri Iesu Christi, *qui unus et solus habet potestatem et praepo- nendi nos in Ecclesiae suae gubernatione* et de actu nostro iudicandi ». Hartel p. 436.

Ultimum argumentum pro thesi trahi potest ex ipso conceptu successionis. Etenim successio nihil aliud est, quam successio unius in iura et officia antecessoris. Atqui Christus ipse instituit apostolatam. Ergo episcopi eo ipso quod succedunt apostolis, occupant iura et officia *divinitus fundata*, quae si ad mentem et voluntatem Christi debuissent extinguere cum apostolatu, episcopi non proprie dici succedere apostolis in horum iuribus et potestate; ageretur potius de nova quadam creatione apostolica vel ecclesiastica. Atqui constans est Patrum, Doctorum et Theologorum doctrina episcopos esse veros et proprie dictos successores apostolorum in Ecclesiae regimine et magisterio. Ergo ...

Via dogmatica thesis facile probatur allatis documentis Ecclesiae:

Concilium Tridentinum sessione XXIII canone 6 definit: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione institutam*, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, A. S. » (Denzinger n. 966). Ubi duo notanda occurrunt: a) In hoc canone agitur tantum de *potestate ordinis*. Duae sunt huius asserti rationes. Primo quidem quia si ageretur de potestate iurisdictionis, vix concipitur omissio gradus supremi et primatialis divinitus constituti; deinde vero in contraria hypothesi oporteret admittere presbyteros et ministros habere *iure divino* potestatem iurisdictionis, id quod est inauditum in sana theologia. b) Verba « divina ordinatione » consulto sunt posita. Postulatum fuerat a nonnullis episcopis hispanis, ut, loco verborum *divina ordinatione*, poneretur *divina institutione*, quae ius divinum expressius definiunt; at reiecta fuit postulatio, ne ansa daretur falsae interpretationi de iurisdictione episcopali immediate a Christo derivata.

Docet praeterea Concilium in capite IV: « Sancta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et *positos* (sicut idem apostolus ait) *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* » (Denzinger n. 960). Etiam in hoc capite agitur tantum de potestate ordinis, ut expressius deinde ostendemus. Ceterum sufficiat notare quae Patres Tridentini addunt in fine huius capitis: « haec sunt quae generatim sacrae Synodo visum est Christi fideles de *sacramento ordinis* docere. His autem contraria certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit ».

Pius VI divinam episcopatus originem eatenus attestatur, quatenus damnat doctrinam synodi Pistoriensis *in ea tantum parte* qua iura episcopalia divinitus orta exaggerantur. — Perpendas v. gr. haec quae sequuntur: « Doctrina Synodi qua profitetur persuasum sibi esse *episcopum accepisse a Christo* omnia iura necessaria pro bono regimine suae dioeceseos, perinde ac si bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes ..., schismatica: — Item, quod et

sibi persuasum esse ait, *iura episcopi a Iesu Christo accepta* pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse ... in eo quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse ..., inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis » (Denzinger n. 1506-1508). Vides Pontificem approbare doctrinam synodi de origine divina iurium episcopalium; condemnare doctrinam synodi ex qua parte exagerat iura episcopalia.

Concilium Vaticanum iterato docet divinam episcopatus constitutionem: Primo quidem in prooemio constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi sessione IV. « quemadmodum igitur apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus est a Patre, ita in Ecclesia sua, *pastores et doctores* usque ad consummationem saeculi *esse voluit*. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset ... » (Denzinger n. 1821). Vides nomine pastorum et doctorum intelligi a Concilio, sicut olim ab Irenaeo, *episcopos, quos Christus esse voluit*. — Eadem divina institutio exhibetur in capite III: « Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat immediatae ac ordinariae illi *episcopalis iurisdictionis* potestati, qua episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo pastore asseratur, roboretur ac vindicetur ». (Denzinger, n. 1828). Advertas Concilium Vaticanum agere etiam de potestate iurisdictionis.

Pius IX fortiter tuetur iura episcoporum contra excessus coesaropapisticos: « Non enim potentes huius saeculi praefecit Dominus sacrorum antistibus in iis quae ad sanctum ministerium attinent, sed Beatum Petrum ...; proindeque a nulla quantumvis sublimes saeculi potestate episcopali officio privari possunt hii *quos Spiritus posuit regere Ecclesiam Dei* ». Encyclica « Quod numquam » ad episcopos Borussiae. Denzinger n. 1842.

Leo XIII in Encyclica « Satis cognitum » eandem doctrinam aperte tradit: « Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservare volunt, quidquid est in Ec-

clesia *divinitus constitutum*; propterea quemadmodum potestatem suam ea, qua par est cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut *sua episcopis auctoritas* salva sit ». Denzinger n. 1062.

Codex Iuris Canonici canone 329 sancit constantem Ecclesiae praedicationem: « Episcopi sunt successores apostolorum, atque *ex divina ordinatione* peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ».

Pius XII in Encyclica « *Mystici Corporis* » rem totam confirmat et coronat: « quapropter (episcopi), ut apostolorum *ex divina institutione* successores a populo venerandi sunt; ac magis quam huius mundi moderatoribus, etiamsi altissimis, illud Episcopis, utpote Spiritus Sancti chrismate ornatis, convenit effatum: « Nolite tangere Christos meos ».

III

De episcopatu monarchico.

Praenotanda

Episcopatus monarchicus consistit in eo, quod singuli episcopi singulos greges regant, sub Romano Pontifice. Opponitur *episcopatus collegiali*, in quo non unus, sed collegium episcoporum vel presbyterorum aequalium regit determinatam Ecclesiae partem. At non opponitur omni formae collegialitatis; simul enim cum episcopatu monarchico stare potest collegium presbyterorum vel etiam episcoporum, dummodo hi episcopi aut presbyteri sint subiecti uni episcopo habenti iurisdictionem ordinariam et propriam. Nec pugnet cum episcopatu monarchico exsistentia duplicis episcopi in una eademque civitate, in qua singuli regerent suos proprios coetus ritu, gente, lingua distinctos.

Quaestio de facto et origine episcopatus monarchici est vere difficilis. Via historica apparet sat deficiens et obscura;

nec via ipsa dogmatica caret suis difficultatibus. Verba Christi evangelica clare exhibent episcopatum succedentem collegio apostolico; at eius formam unitariam vel collegialem nullatenus determinant. Documenta ergo primaevae christianitatis interroganda erunt. Via porro indagandi aptior visa est sequens: *a*) historice investigatur quale fuerit regimen ecclesiasticum tempore apostolico et subapostolico. Haec porro inquisitio ostendet episcopatum monarchicum attingentem tempora apostolica, progredientem tempore subapostolico, plene et stabiliter obtinentem medio saeculo secundo. Quo posito, *b*) fit inquisitio in originem et naturam huius formae monarchicae: utrum sit mere apostolica vel ecclesiastica, an potius ad ipsum Christum sit referenda.

I

De primaevo ecclesiarum regimine seu constitutione

Fontes historici exhibent tamquam veros ecclesiarum praepositos varias personarum classes: apostolos — delegatos seu cooperatores apostolorum — episcopos presbyteros — Accedunt hi qui vocantur ἐγούμενοι.

Apostoli (stricte tales) sunt duodecim (vel undecim) a Christo electi, educati, consecrati, missi, Spiritu Christi multifariam ornati ac ditati. His adduntur Matthias, Paulus et Barnabas. Hi sunt ecclesiarum fundatores et supremi rectores, non tamen stabiles et fixi, sed potius itinerantes seu missionarii, summò sacerdotio, magisterio et imperio investiti.

Cooperatores Pauli (ceteros fere ignoramus) sunt: Ioannes, Marcus, Silas seu Silvanus, Timotheus, Titus, Caius Derbensis, Aristarcus, Sopater, Tichicus, Trofimus, Lucas, Demas, Epaphras, Iesus iustus, Caius Corinthiacus, Artemas, Sostenes, Epaphroditus, Filemon, Archipus, Crescens, et si quis alius. Hi omnes sunt delegati et adiutores Pauli in regimine ecclesiarum, pertinentque ad hierarchiam potius itinerantem seu missionariam. Horum sin minus omnes, saltem aliqui erant ornati dignitate et potestate episcopali. De Tito

et Timotheo id certe constat; de aliis, saltem plurimis, merito supponitur.

Episcopi-presbyteri: Hoc nomine designantur in documentis primi saeculi hi qui sunt stabiliter praefecti singulis communitatibus christianis. Ex accurato horum documentorum examine definiri plus minus certo potest quatenam sit episcopus inter et presbyterum mutua habitudo, qualisve ipsorum dignitas et potestas.

Presbyteri porro recurrunt in ecclesia hierosolymitana: Act. XI, 30; XV, 2, 4, 6, 22-23; XVI, 4: — XXI, 8: — item in ecclesiis christiano-iudaicis dispersionis: epist. Iac. V, 14: — in ecclesiis fundatis a Paulo et Barnaba in primo itinere apostolico: Act. XIV, 22: — in ecclesia Ephesina: Act. XX, 17; I Tim. IV, 14; V 17 et 19: — in ecclesia Cretensi: Tit. I, 5: — in Asia minori: I Petr. V, 1 (cfr. I, 1): — in ecclesia Corinthiaca: epist. Clementis Romani XL, 5; LVII, 2 et alias.

Episcopi recurrunt in ecclesia Ephesina Act. XX, 28; I Tim. III, 2 sq.: — in ecclesiis Asiae minoris I Petr. V, 2: — in ecclesia Corinthiaca: in epist. Clementis Romani XLII, 4, XL — in Didache XV, 1. Ex his porro documentis apparet communitas sive nominis sive officii eorum qui appellantur episcopi-presbyteri.

Communitas nominis seu synonymia invicte ostenditur ex variis documentis. Paulus imprimis quos prius vocaverat presbyteros (ecclesiae Ephesinae) Act. XX, 17, eosdem appellat episcopos a Spiritu S. positos regere Ecclesiam Dei: Act. XX 28: Idem Paulus scribit ad Titum I, 5-7: « Reliqui te Cretae ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi: si quis sine crimine est... oportet enim episcopum sine crimine esse ». Ratio foret frivola vel iocosa si presbyter non foret idem et episcopus. Similiter Petrus quos vocat presbyteros I Petr. V, 1, eosdem exhibet ἐπισκοποῦντες in versu sequenti. Eadem synonymia recurrit apud Clementem Romanum, qui presbyteros appellat (LVII, 1; LIV, 2) quos episcopatu eiectos exhibuerat (XLIV, 4), quibus iterum presbyteros ironice opponit in n. sequenti:

« Beati presbyteri viam prius emensi ... non enim verentur, ne quis eos transferat de loco (episcopatu) ipsis constituto ».

Communitas officii eodem modo ostendi potest. Triplex officium tribuitur tum presbyteris, tum episcopis: regere, docere, offerre. Presbyteri *regunt* Act. XV, 23; I Tim. V, 17: *docent* Act. XX, 28-30; I Tim. V, 17: *offerunt* (Clemens R. XL, 4); ritum sacrum extremae unctionis administrans Iac. V, 14. — Eadem officia exercent episcopi. Qui *regunt* Act. XX, 28; *docent* Act. ibidem; Tit. I, 7 collato cum 9; I Tim. V, 17 collato cum III, 1 sq.: *offerunt* Didache, XIV-XV. — *Communitus investiturae* per cheirotoniam non minus manifesta est.

Qualis sit gradus sacerdotalis horum ministrorum difficilium determinatur. Triplex potissimum circumfertur sententia Doctorum: *Prima* sententia docet eos, qui in praefatis documentis dicuntur episcopi, esse episcopos proprie dictos i. e. sacerdotes primi ordinis. Sic Petavius, Mamachus, Perrone et si quis alius. *Secunda* sententia tenet hoc nomen episcopi in scriptis N. testamenti designare nunc veros episcopos, nunc sacerdotes secundi gradus, quos hodie dicimus presbyteros. Sic Epiphanius, Chrysostomus, Theofilactus, S. Thomas, Franzelin, Knabenbauer, Bover, alii. *Tertia* sententia defendit nomen episcopi designare in N. testamento semper et exclusive sacerdotes secundi ordinis. Haec est nostris diebus communior sententia, quam tuentur Michiels, Ruffini, Marschal, Holzmeister aliique quam plurimi. Praecesserat in antiquitate Hyeronimus, Theodorus M.; Theodoretus, alii.

Novissima est vox professoris V. Cavalla opinantis utramque vocem episcopi et presbyteri designare in praefatis documentis *sensu generico* sacerdotium, clerum. « Ed allora per essere più precisi nè d'altra parte così esclusivisti da urtare in difficoltà, non sarebbe meglio dire che coi due titoli si intendono non i vescovi nè i soli semplici sacerdoti nè indifferentemente i sacerdoti semplici, o i vescovi, ma i sacerdoti (o il sacerdote) in generale? Precisando dico che con entrambi nomi intendesi il sacerdote, il sacerdozio, il clero in genere ». « La Scuola Cattolica » 1936, p. 235 sq.

Mira haec sententiarum diversitas sat clare ostendit intrinsecam rei difficultatem, cui vix possibile videtur certam

quamdam ac undequaque firmam solutionem apponere. Omnibus pensatis nobis praeferenda videtur tertia sententia hoc sensu intellecta, quod, missa quaestione de significatione biblica vocis episcopus, *de facto* tamen hi omnes qui hoc nomine decorantur, sunt reapse sacerdotes secundi ordinis. Princeps huius sententiae argumentum illud est, quod nota characteristicam veri et stricti episcopatus merito reponitur in potestate ordinandi. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus quod presbyter non faciat, inquit Hieronymus. Hi porro episcopi, qui in documentis primi saeculi recurrunt, nusquam apparent ornati hac ordinandi potestate. Accedit quod in epistula Clementis R. ii qui sunt veri episcopi nondum hoc nomine designantur, sed vocantur viri eximii a quibus constituuntur ii qui vocantur episcopi post quos veniunt non presbyteri, sed diaconi.

Duplex praecipua difficultas movetur contra hanc sententiam, una exegetica, altera dogmatica. Prior petitur ex I Tim. IV, 14: « Noli negligere gratiam, quae in te est, data est tibi per prophetiam *cum impositione manuum presbyterii* ». Ubi presbyteri facultatem ordinandi exercuisse videntur. At responsio sat obvia occurrit consideranti alterum textum Paulinum II Tim. I, 6: « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te *per impositionem manuum mearum* ». Unde apparet principem Timothei consecratorem fuisse Paulum, cui comes aderat principali liturgo corona presbyterii manus imponentis eo fere modo quo ritus consecratorius etiamnum nostris diebus perfici consuevit. — At difficultas longe maior recensetur dogmatica ex auctoritate Concilii Tridentini petita. Ubi Patres textum Paulinum de episcopis quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei (Act. XX, 28) videntur interpretari de veris et proprie dictis episcopis (Denzinger n. 960). Mirum iure videri possit quantopere haec difficultas criticos ceteroquin optimos vexarit. Simplex et adaequatum responsum suppeditabit historia Concilii liquido ostendens Patres Tridentinos contrariam sententiam de meris presbyteris minime reprobasse. At de his infra sermo recurret.

Remanet determinanda positio illorum qui in primitivis documentis vocantur προϊστάμενοι (I. Thessal. V, 12), ἡγουμένοι (Hbr., 7, 17, 24 Clem. Rom. I, 3, XXXI, 6), ποιμένες (Ephes. 4, 11). Quenam horum dignitas et potestas? nobis

praefata videtur sententia in qua praefati praepositi identificantur cum iis, quos commemoravimus presbyteros-episcopos. Presbyteri προσεστῶτες recurring in I. Tim. V, 17. Presbyteri ποίμενες apparent in Act. XX, 17 et 28. Presbyteri sunt ἡγούμενοι apud Clementem Romanum in epist. ad Corinthios. Hisce praestabilitis, examinemus quale fuerit regimen ecclesiasticum tempore apostolico et subapostolico.

Tempore apostolico

Tria hoc tempore examinanda veniunt: Status Ecclesiae Hierosolymitanae, Antiochenae, demum ecclesiarum quas Paulus apud gentes constituit.

a) *In ecclesia Hierosolymitana* distingui potest stadium duplex: unum praecedens, alterum subsequens dispersionem apostolorum. In primo stadio communitas iudaeo-christiana regitur a Collegio apostolico *sub Petro* constituto; est ergo regimen eo sensu monarchico, quo auctoritas *Suprema* in uno subiectatur. In altero stadio communitatem regit Iacobus, frater Domini, cum subordinato sibi collegio presbyterorum et diaconorum. Cf. Act. XII, 17; XXI, 18; XV, 13 sq.; Gal. II, 12 et 9. Vides formam episcopatus monarchici elucere in prima omnium ecclesiarum matrici et exemplari.

b) *Ecclesiae Antiochenae* regimen primaevum obscurius est. Novimus primos huius ecclesiae praecones ac fundatores fuisse quosdam missionarios hellenistas cypros et cyrenaeos, qui dispersi erant ex Hierosolymis a tribulatione quae facta fuerat sub Stephano (Act. XI, 20). Apostoli porro laeto nuntio recreati mox illuc mittunt Barnabam, qui, accersito Paulo, illam communitatem moderandam suscepisse videtur (Act. XI, 22-30). Accedit vetus traditio de Petro primo huius ecclesiae episcopo, cui Evodius successisse fertur. Incerta tamen manet tum epocha adventus Petrini, tum diuturnitas commorationis Antiochenae. Ex alia parte notetur silentium de collegio presbyterali huic communitati praeposito, nisi presbyteros forte putaveris prephetas et doctores, de quibus sermo est in Act. XIII, 1-2.

c) *In ecclesiis Paulinis* forma regiminis monarchica

eatenus admitti potest, quatenus omnes et singulae communitates locales habent unum supremum rectorem, ipsum nempe ecclesiarum fundatorem. Verus harum ecclesiarum episcopus est Paulus; qui ad regimen et moderationem ipsarum duplici utitur hierarchico ministerio, sive mobili et itineranti delegatorum, sive fixo et stabili collegii presbyteralis. At haec forma monarchica differt a nostra hodierna, imo et subsequenti ecclesiastica, in qua singuli episcopi singulos greges pascunt et regunt. Nec collegium presbyteriale hodiernum, regimini paroeciali praepositum, eas tenet partes, quas prius illud gerebat ministerio apostolico deserviens. Germina tamen episcopatus monarchici strictioris apparent iam ipso tempore Pauli. Qui vertente iam in finem suo ministerio apostolico nonnullis ecclesiis episcopos monarchicos plus minus stabiles assignabat, qui presbyteris, diaconis, integrae communitati praeesset. Verum quidem est hos episcopos nondum habere iurisdictionem *ordinariam et propriam*, sed verum itidem est has communitates esse iam proxime depositas, ut, post mortem Apostoli, mox induant formam stricte unitariam.

Tempore subapostolico

Post aevum apostolicum constitutio monarchica manifestatur multifariam multisque modis:

a) *Ecclesiae principales* quatuor: Romana, Antiochena et Hierosolymitana ab initio prae se ferunt formam episcopatus stricte monarchici. Patet id ex catalogis episcoporum, quos Eusebius in sua Historia ecclesiastica asservavit.

Ecclesiae Hierosolymitanae catalogum affert in L. IV, 5, 3: Episcopi huius ecclesiae hoc ordine recensentur: *ex hebraeis* Iacobus, Simeon, Iustus, Zachaeus, Tobiás, Benjamin, Ioannes, Matthias, Philippus, Seneca, Iustus, Levi, Ephrem, Ioseph, Iudas, *Ex ethnicis* Marcus, Cassianus, Publius, Maximus, Iulianus, Gaius, Symmachus, Gaius, Iulianus, Capito, Maximus, Antoninus, Valens, Dolichiamus, Narcisus.

Ecclesiae Romanae episcopi numerantur: Petrus, Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xistus, Telespho-

rus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleuterus, Victor, Zephyrinus, Callistus ...

Ecclesiae Alexandrinae praefuerunt: Marcus, Annianus, Abilius, Cerdon, Primus, Iustus, Eumenes, Marcus, Cēladion, Aggripinus, Iulianus, Demetrius.

Ecclesiae Antiochenae demum episcopi recensentur: Petrus, Evodius, Ignatius, Heron, Cornelius, Eros, Theophilus, Maximinus, Serapion. Advertas Eusebium novisse catalogos confectos a Iulio Africano, Irenaeo, Hegesippo.

b) *Ecclesiae Asianae* a Ioanne Apostolo fundatae formam episcopatus monarchici rursus manifestant. Apparet id ex his quae ipse Ioannes ex mandato Domini scribit *septem angelis* septem ecclesiarum in capite secundo Apocalypsis. Hi porro angeli homines sunt, non spiritus coelestes, siquidem reprehenduntur, invitantur ad paenitentiam, et quidem per litteras, quas spiritus coelestes quomodo receperint? Nec possunt hi angeli reduci ad puras et symbolicas harum ecclesiarum repraesentationes, ecclesiae quippe repraesentatur per septem candelabra aurea, ut ipse Ioannes in antecessum notaverat: « septem stellae angeli sunt septem ecclesiarum; et candelabra septem, ecclesiae sunt ». Videntur ergo hi angeli esse veri episcopi; etenim apparent ut praefecti et rectores ecclesiarum, quas debent ex officio docere, conservare in sana doctrina, defendere a pravis haereticorum seductionibus. Accedit auctoritas Tertulliani scribentis adversus Marcionem IV, 5: « Habemus et Ioannis ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuat, *ordo tamen episcoporum in originem recensus* in Ioannem stabit auctorem ». Consentit Clemens Alexandrinus scribens: « Quum post tyranni obitum a Patmo insula in Ephesum redisset, vicinas quoque gentes rogatus visebat, partim quidem *ut episcopos constitueret*, partim vero ut integras ecclesias disponderet ac formaret, partim quoque ut unumquemque eorum, quos Spiritus S. designaret, in clerum coaptaret ». (Quis dives salvetur, c. 42).

c) *Ignatius Antiochenus* praeclarus est testis episcopatus monarchici existentis ineunte saeculo secundo. Qui in om-

ni fere epistula premit et urget obedientiam et communionem servandam cum episcopo eiusque presbyteris et diaconis. Sufficiet allegare ea tantum loca seu testimonia quae in Enchiridio patristico R. Journal facile inveniri possunt.

Ad Ephesianos: « Vos ad unum omnes nominatim per gratiam convenitis ut obediatis episcopo et presbyterio » Journal n. 43.

Ad Magnesianos: « Hortor ut in concordia omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimis concredendum habentibus ministerium Iesu Christi ». Journal n. 44.

Ad Trallianos: « Cuncti similiter reverantur diaconos ut Iesum Christum, sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur ». Journal n. 49. — « Qui intra altare est, mundus est; qui extra altare est, non est mundus: hoc est, qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidquam agit, is non est mundus in conscientia ». Journal, 50.

Ad Philadelphenses: « Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis conservis meis ». Journal, n. 56. — Omnibus paenitentibus remittit Dominus, si se convertant ad unionem cum Deo et ad communionem cum episcopo » Journal 59.

Ad Smyrnaeos: « Omnes episcopo obtemperate, ut Iesus Christus Patri, presbyterio ut apostolis, diaconos autem reveramini ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus, ibi catholica est Ecclesia ». Journal, n. 65.

d) *Alias ecclesias quod attinet, desiderantur testimonia directa et explicita pro episcopatu monarchico hoc tempore subapostolico vigente. At tota haec epocha obscurior illuminari aliquatenus possit luce mutuata ex laudata epistula Clementis Romani. Apud quem successores apostolorum sunt sic dicti viri eximii quales fuerunt Timotheus, Titus, cooperatores apostolorum universim. Quaenam fuit horum positio hierarchica post mortem apostolorum? Triplex hypothesis apparet possibilis: vel retinent formam apostolatus missionariam et itinerantem, quo in casu constitutio ecclesiarum similis fuisset ac tempore apostolico: vel seligunt sedes aliquas episcopales stabiliter gubernandas, quo in casu habes episcopatum monarchicum inductum post mortem apostolorum: vel constituunt aliqua centra episcopalia maiora (instar archiepiscopatus vel patriarchatus), quibus manent interim subiectae aliae ecclesiae minores, in quibus paulatim induceretur forma episcopatus unitarii pro opportunitate temporum et adiunctorum. Quid horum factum sit certo nescimus; at testimonia historica posteriora videntur supponere formam episcopatus monarchici inductam in plerisque saltem ecclesiis subito post mortem apostolorum. Perpendas v. gr. testimonium Tertulliani superius adductum: « Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum Polycarpum ab Iohanne collocatum; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et ceterae exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant ». Adv. Marcionem IV, 5. Nonne hic modus loquendi et argumentandi aperte supponit episcopatum monarchicum ab initio praevalentem in ecclesiis apostolicis? Eodem modo ac Tertullianus loquitur Irenaeus scribens: « Habemus enumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos ... quibus etiam ipsa ecclesias committebant » (Adv. Haer. III, 3, 1). Porro Irenaeus loquitur de singularum ecclesiarum successione, hinc loquitur de successione in forma monarchica, qualis est Romana, cuius exemplum ex-*

templo affert. Ignatius quoque Antiochenus videtur supponere episcopatum monarchicum ubique vigentem in noto testimonio epistulae ad Ephesios. (Journal n. 38): « Iesus Christus, inseparabilis vita nostra, sententia Patris est, ut et episcopi *per tractus terrae constituti* in sententia Iesu Christi sunt ». Haud dissimilis sententiae est Hieronymus in celebri testimonio commentarii ad Titum: « Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae regebantur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, *in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris*, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum seminaria tollerentur ». Notanda demum testimonia directa, etsi tardiora, sive Origenis pro ecclesia Thessalonicensi, cuius primus episcopus exhibetur Caius Corinthiacus, sive Eusebii pro ecclesia Atheniensi, quam Dionysius Areopagita primus gubernavit, sive Ambrosiastri pro ecclesia Colossensi cuius primus episcopus fuisse perhibetur Archippus.

e) *Constitutio collegialis* ex alia parte nequit demonstrari pro ulla ecclesia: duae exceptiones solent afferri: una in ecclesia Corinthiaca tempore Clementis Romani; alia in ecclesia Philippensi tempore Polycarpi. Primam quod attinet, notant nullum episcopum nominari a Clemente in sua epistula; unde concludunt hanc communitatem adhuc in fine saeculi primi communi presbyterorum consilio gubernari. At res ex mero silentio confici nequit. Non desunt indicia sive indirecta, sive directa episcopatus monarchici Corinthi hoc tempore vigentis. Testimonium indirectum dabit Irenaeus, qui ex una parte epistolam Clementis certissime novit, imo et commemoravit, ex alia vero parte episcopatum monarchicum universalem fidus agnovit. Testimonium directum peti consuevit ex ipsa Clementis epistula c. XL: « *Summo quippe sacerdoti* sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munera incumbunt; homo laicus praecipis laicis constringitur ». Ubi tres gradus hierarchici clare distinguuntur. Sed ista proxime intelligenda esse videntur de hierarchia sacerdotali Antiqui Testamenti. Supponitne Clemens similem trinum ordinem pro Novo quoque Testamento?

Hanc suppositionem nonnulli critici insinuatam vident in verbis subsequētibz: « Unusquisque *nostrum*, fratres, in suo ordine cum bona conscientia praescriptam *ministerii sui* regulam non transgrediens, honeste Deo gratias agat ». Fate-
mur sincere hanc suppositionem nobis non videri sufficienter
claram; hinc abstinendum putamus ab ea sive citius inferen-
da, sive audacius detrectanda.

Tutiori via incedere nobis videntur, qui episcopum mo-
narchicum insinuatam a Clemente vident in capite ultimo suae
epistolae (Funk, o. c. p. 183): « Missos a nobis Claudium
Ephebum et Valerium Bitonem *simul cum Fortunato* (σύν και
Φορτουνάτω) in pace cum gaudio ad nos brevi remittite ».
Unde aliqui non inverisimiliter concludunt Fortunatum, non
Romanum, sed Corinthium (forte ipsum de quo Paulus I Cor.
XVI, 17) fuisse, qui Romanos de Corinthiorum seditione cer-
tiores fecit. Cui in patriam redeunti comites additi sunt le-
gati Romani Claudius et Valerius. Similis formulae recurrit in
Act. Apost. XV, 25 ad designandos legatos Hierosolymitanos,
Iudam et Silam, additos legatis Antiochenis Paulo et Barna-
ba. « Placuit nobis collectis in unum eligere viros et mittere
ad vos *cum* charissimis nostris Barnaba et Paulo (σύν τοῖς
ἀγαπητοῖς). Fortunatus ergo fuisset episcopus communitatis
Corinthiacae. — Quod attinet ecclesiam Philippensem, iterum
agitur de argumento mero silentio innixo. Polycarpus certe
commemorat diaconos et presbyteros. Collegium vero pres-
byteriale quomodo fuisset constitutum: utrum sub uno cae-
teris praeposito, an non, ulterius non explicatur. Paulus quo-
que ad Hebraeos XII, 7 et 17 solos commemorat praepositos
in universum; at Eusebius recenset episcopos huius ecclesiae
monarchice ad Iacobum usque ascendentes.

f) *Saeculo secundo mediante* i. e. v. a. 150-160 forma
episcopatus monarchici apparet iam *plene et firmiter constabi-
lita* in universo fere mundo christiano. Nimis longum fo-
ret singulae monumenta accurate persequi et minutatim re-
censere. Sufficiet fontes praecipuos ordinate exhibere: Scrip-
ta videlicet *Irenaei* et epistula *Polycratis* episcopi Ephesini. —
Documenta spectantia ad litem de *celebrando paschate* necnon
ad controversiam *cum Montanismo* — Scripta dein *Claudii*

Apollinarii episcopi Hierapolitani, *Dionysii* episcopi Corinthiaci et *Hegesippi* si apte inter se conferantur, liquido ostendunt episcopatum monarchicum vigentem in tota christianitate. Cf. *Dieckmann*, De Ecclesia, v. I, n. 435. Ubi, post accuratam descriptionem historicam simul et graphicam, finis toti argumentationi hisce imponitur: « Cuius (Hegesippi) testimonium si comparatur cum his, quae extant ex causa Montanismi et in epistulis Dionysii, certe dicendum comprehendere totam Ecclesiam, ita ut vi horum testium necesse sit admittere circa annum 160 et antea episcopatum monarchicum non solum valuisse in universa Ecclesia, sed consideratum esse tamquam formam organisationis ecclesiasticae legitimam atque adeo unicam ». Ipsi critici acatholici rem attestari iam non verentur. Audiatur Loisy: L'épiscopat monarchique aura donc été institué d'en certaines communautés, soit qu'elles fussent davantage préparées à ce régime, soit que l'influence de personnalités mieux données pour le comendement y ait contribué. N'avons-nous pas entendu Hermas reprocher aux presbytres romains leur ambition? L'Asie a pu précéder dans cette voie la Grèce propre et surtout Rome ou l'on éprouva peut-être quelque difficulté a centraliser les groupements chrétiens. On peut croire que le péril gnostique aura précipité cette évolution; car si l'épiscopat unitaire n'existe pas partout avant 130-140, *il semble exister partout après 150-160* ». La naissance du Christianisme, 1933, p. 437.

Sit iam conclusio: Summa argumentationis historicae potest sic exhiberi: a) Forma episcopatus monarchici radices agit in ipsam *aetatem apostolicam*: b) Dilatatur vero ac progreditur *tempore subapostolico* ita quidem ut c) *mediante saeculo secundo* plene, firmiter ac universaliter obtineat: d) dum forma episcopatus collegialis nusquam sufficienter manifestetur. Hinc oritur problema de origine huius constitutionis monarchicae: sitne apostolica, an potius ad ipsam Christi voluntatem referenda.

II

De origine episcopatus unitarii

Via historica difficulter devenitur ad conclusionem aliquam *omnino certam* de divina episcopatus monarchici consti-

tutione. Non desunt tamen *indicia* sat verisimilia quibus divina haec origo, sin minus demonstretur, vehementer tamen *suadetur*. Subiungimus ac ordinate exhibemus illa testimonia quae nobis potiora visa sunt.

Ignatius Antiochenus praecedit ordine testium. Qui in epistula ad philadelphiaenses scribit: « Studeatis una eucharistia uti: una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis; unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis conservis meis ». Ubi unitas episcopi collocatur in eadem linea, in eodem ordine ac unitas carnis eucharisticae, sanguinis, altaris, quae omnia certe spectant ad *ordinem iuris divini*: Hinc datur plenius intelligere ea, quae scribit ad Trallianos: « Cuncti similiter reverentur diaconos ut Iesum Christum, presbyteros autem ut senatum Dei, sicut et episcopum, qui est typus Patris. *Sine his ecclesia non vocatur* ». Tria haec elementa: diaconatus, presbyteratus et episcopatus *monarchicus* videntur considerari ab Ignatio ut quid essenziale ac immutabile in ecclesia plene constituta, hinc, sicut ipsa ecclesia, iuris divini. Hinc rursus melius forte intelliguntur quae Romanis scribit Ignatius: « Memores estote in precibus vestris ecclesiae Syriae, quae mei loco Deo pastore utitur. Solus Iesus Christus illam vice episcopi reget atque vestrae charitas ». Nonne erat collegium presbyterale in ecclesia Antiochena? Quod si ad normam iuris divini ecclesia possit gubernari regimine sive unitario sive collegiali, quare, absente Ignatio, ecclesia Syriae non potest uti vice episcopi collegio presbyterorum?

Irenaeus divinam episcopatus originem certe admisit. Ex alia vero parte unam novit formam episcopatus eamque unitariam. Videretur ergo hanc talem formam ad divinam voluntatem revocasse. Haec porro persuasio elucere videtur in his quae in libro IV adv. Haer. scribit: « Agnitio vera est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status (systema) in universo mundo, et *character corporis Christi secundum successiones episcoporum* ». Successio episcopalis monarchica dicitur constituere characterem proprium Corporis Mystici et ecclesiastici eodem modo ac apostolicitas doctrinae. Nonne eo ipso ad ordinem iuris divini revocatur? Haec eadem persuasio

in causa fuisse videtur, quare Irenaeus locum Paulinum (Act. XX, 28) sit interpretatus de episcopis (monarchicis) et presbyteris: « In Mileto enim convocatis *episcopis et presbyteris*, qui erant ab Epheso et reliquis proximis civitatibus » (MG, 914). Nec enim concipere poterat quod in una civitate Ephesina plures essent episcopi.

Cyprianus prae ceteris divinam originem episcopatus unitarii docet et premit. Primo quidem in libro De Unitate Ecclesiae, c. 8: Monet Christus in evangelio dicens: et erunt unus grex et unus pastor: et esse posse in uno loco aliquis existimet aut multos pastores aut greges plures? » — In epistula dein ad Iubaianum (Hartel) asserverat Novatianum non posse esse legitimum ecclesiae (romanae) episcopum hac fultus ratione: « cum post primum *secundus esse non possit*, quisquis post unum, *qui solus esse debeat* factus est, non iam secundus ille, sed nullus est ». Nec veretur Cyprianus originem schismaticae et haereticae pravitatis reponere in neglecta lege divina episcopatus unitarii: « Neque enim aliunde haereses abortae sunt, aut nata sunt schismata, quam quando sacerdoti Dei non obtemperatur, *nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos* et ad tempus iudex cogitatur » (epist. 59, Hartel p. 671). Similiter in epistula 55: « Unde schismata et haereses abortae sunt et oriuntur? dum episcopus, *qui unus est* et ecclesiae praeest superba quorundam praesumptione contemnitur » (Hartel).

Confessores Romani ex parte schismatica Novatiani ad partem catholicam Cornelii redeuntes eandem fidem profiterentur: « Nos Cornelium episcopum sanctissimae catholicae Ecclesiae electum a Deo omnipotente et Christo Domino scimus. Nos errorem nostrum confitemur. Non enim ignoramus Unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum quem confessi sumus, unum Sanctum Spiritum, *unum episcopum in catholica ecclesia esse debere*. (Hartel, p. 611).

Ipsae Cornelius papa miratur quod Novatianus hanc legem episcopatus unitarii ignorare potuerit; sic enim scribit in sua ad episcopum Antiochenum epistula: « Ergo ille evangelii vindex ignorabat *unum episcopum esse oportere in Ec-*

clesia catholica ». Cf. *Historiam Ecclesiasticam Eusebii VI*, 43, 11.

Ambrosiaster v. 29, cap. 12 epistulae I Cor. sic interpretatur: Numquid omnes Apostoli? Verum est, quia *in Ecclesia unus est episcopus* ». Haec porro unitas oritur ex divino praecepto: « Ideo quamquam sit melior apostolus, aliquando tamen eget prophetis. Et quia ab uno Deo Patre sunt omnia, *singulos episcopos singulis ecclesiis praeesse decrevit* ». *ML 14*, 256.

Hieronymus eodem modo commentatur praefatum Paulinum: « Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam episcopum et presbyterum unum esse, et aliud aetatis, aliud esse nomen officii? Relegat Apostoli ad Philipenses verba dicentis: Paulus et Timotheus ... omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis ... Philippi una est urbs Macedoniae, et certe *in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant* » (*ML 26*, 597).

Theodoretus eadem est sententia et commentatio: « Episcopis coniunxit diaconos, nulla facta presbyterorum mentione, praesertim *cum fieri non posset ut multi episcopi essent unius civitatis pastores*, ut liquido pateat presbyteros eos esse quos nominavit episcopos. Beatum porro Epaphroditum in epistula sua eorum appellavit apostolum » *MG 82*, 560. Vides legem unicitatis episcopalis in singulis ecclesiis alte proclamari apud Patres cum Orientales, tum Occidentales. Haec porro lex habenda est divina, id quod aliqui explicite efferunt, alii vero implicite supponere videntur.

Plebs christiana Romanae animis quam alte inhaeserit persuasio de impossibilitate duplicis rectoris in una ecclesia patet luculenter ex his quae narrat Theodoretus in sua historia ecclesiastica l. 2, c. 14 (*MG 82*, 1040). Imperator nempe Constantius litteris iussit ut et Liberius redux et eius diaconus Felix « communi opera ecclesiam romanam gubernarent ». Has porro litteras imperatorias populus romanus reiecit, imo et irrisit, atque « in unam vocem omnes pariter eruperunt: Unus Deus, unus Christus, unus episcopus ».

Viam dogmaticam quod attinet, pauca sunt nec valde perspicua documenta quae rem nostram aliquo modo attingunt.

Concilium Tridentinum in primis asserit quidem hierarchiam divina ordinatione institutam quae episcopis constat (DB n. 966). At de forma unitaria huius episcopatus nihil dicit. Accedit quod Patres Tridentini expresse monent se de sola potestate ordinis agere; quaestio vero de forma unitaria vel collegiali episcopatus ad potestatem iurisdictionis spectat.

Concilium Vaticanum ad rem nostram proprius accedit. Aiunt namque Patres: « Tantum autem abest ut haec summi Pontificis potestas officiat immediatae atque ordinariae illi *episcopalis iurisdictionis* potestati, qua episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges *singuli singulos* pascunt et regunt, ut eadem a Supremo ac universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur » DB n. 1828. Vides Concilium explicite agere de episcopis monarchicis, et quidem de potestate iurisdictionis. Patres porro docent hos episcopos positos esse a Spiritu Sancto. Quibus verbis divina episcopatus institutio procul dubio asseritur. Hanc vero divinam institutionem *ad mentem Patrum* esse protendendam ad ipsam quoque episcopatus *monarchici* constitutionem merito dubitaveris, quum in Concilio de hac speciali quaestione nihil sit actum. Textus ceteroquin Paulinus (Act. XX, 28) a Patribus, sin minus invocatus, at certe prae oculis habitus, minime aptus censeri debet ad hanc formam monarchicam evincendam.

Eadem obscuritate ac ambiguitate laborare videntur verba Leonis XIII in Encyclica « Satis cognitum »: Romani Pontifices officii sui memores, maxime omnium volunt conservari quidquid est in Ecclesia divinitus *constitutum*: propterea ... dedere et dabunt operam ut sua episcopis auctoritas salva sit ». Hic quoque divina episcopatus institutio clare docetur. Quaestio vero de *forma monarchica* episcopatus, divinitus determinata, a mente et intentione Pontificis exorbitare videtur.

Codex iuris canonici in canone 329 rem pressius definire nonnullis videtur: « Episcopi sunt successores Apostolorum,

atque *ex divina ordinatione* praeficiuntur peculiaribus ecclesiis, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ». Hic canon sensu obvio videtur intelligendus de episcopis singulis (monarchicis), qui divina ordinatione praeponuntur peculiarium ecclesiarum regimini. At hunc esse unicum sensum possibilem, quin imo compilatores huius canonis habuisse prae oculis hanc nostram quaestionem de origine divina episcopatus monarchici merito dubitari potest. Rem ergo totam Canonistis strictius declarandam relinquo.

Conclusio: Ut illuc, unde est orta disputatio, revertar, quaestio de origine et natura episcopatus unitarii obscurior est, quam ut propriis ac certis limitibus definiri inpraesentiarum possit. Institutio divina, si quae sit, multifariam limitanda videtur. Tempus videlicet et forma transitionis ex forma regiminis apostolici ad formam strictiorem unitariam et episcopalem, divisio territorii ecclesiastici, numerus et amplitudo dioeceseon; haec, inquam, et his similia alia non pauca ipse Christus sua voluntate non definivit, sed suo in terris Vicario pro opportunitate determinanda reliquit.

Scholion. I — *De testimonio Clementis R. inquisitio ulterior.*

Sive antiquitas documenti consideratur, sive potentior auctoris dignitas attenditur, sive rei, de qua agitur, gravitas ac momentum spectatur, testimonium Clementis Romani maiorem quamdam attentionem meretur, quam eidem praestari ab auctoribus universim consuevit, iis minime exceptis, qui argumenti historici valorem accuratius simul et aequius solent ponderare. Hinc operae pretium duximus totam rem strictiori indagini ac examini subiicere. Textus ergo integer cum primis prae oculis habeatur.

« Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino nostro Iesu Christo; Iesus Christus missus est a Deo. Christus ergo a Deo, et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis, et per resurrectionem Iesu Christi plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi

sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias (ἀπαρχὰς) earum Spiritu cum probassent (δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι) constituerunt (καθίστανον) episcopos et diaconos eorum qui credituri erant. Neque hoc quidem novum institutum; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est. Sic enim alibi dicit Scriptura: constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide. Et quid mirum eos quibus in Christo hoc munus a Deo commissum est praedictos constituisse (κατέστησαν)? ... Apostoli quoque nostri per Iesum Christum Dominum nostrum (sicut olim Moyses) cognoverunt contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam, perfecta praescientia praedicti praedictos constituerunt, ac deinceps ordinationem (ἐπινομήν) dederunt, ut quum discessissent (ἐὰν κοιμηθῶσιν) ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui sunt constituti (κατασταθεντας) ab illis (apostolis), vel deinceps ab aliis viris eximiis (ελλογιμωνανδῶν), consentiente universa ecclesia, hos iudicamus munere suo (τῆς λειτουργίας) non iuste deiici ». Funk, o. c. p. 153 sq.

Hierarchiae Apostolicae divinam originem hic a Clemente proclamari nemo est quin videat. Quanam vero de episcopatu doceantur non tanta claritate liquet. Tria sunt quae a criticis hodiernis communi fere calculo tamquam a Clemente asserta admittuntur. Primo quidem synonymia vocum presbyteri et episcopi. Superius ostendimus eos, qui dicuntur *episcopi*, esse eosdem qui in tota epistola *presbyteri* nomine designantur. Conveniunt secundo critici in determinanda dignitate seu gradu sacerdotali horum episcoporum; admittitur nempe hos episcopos esse sacerdotes secundi gradus, quos hodie presbyteros appellamus. Tertio demum admittitur eos sic dictos *viros eximios* esse veros episcopos seu sacerdotes primi ordinis, qui apostolis succedunt in munere constituendi cheirotonia per civitates sacros Ecclesiae ministros i. e. episcopos et diaconos.

Pericope maxime controversa continetur verbis illis supra citatis: « Ac deinceps ordinationem dederunt (apostoli), ut quum discessissent, alii viri probati ministerium eorum exciperent ». Obscuritatem imprimis creat vox ἐπινομήν; at

quidquid sit de ratione etymologica vocabuli, critici iam unanimiter docent hac voce designari ordinationem, praeceptum, institutionem vel quid simile; merito quidem: profecto haec est unica significatio quae cum contexta oratione apte cohaeret, et scopo auctoris apprime respondet. Sed obscuritas potissimum derivatur ex altero inciso: « quum discessissent, ministerium *eorum* alii viri probati exciperent ». Agitur de recipiendo ministerio eorum qui mortui sunt. At quinam sunt isti? Duplex sententia circumfertur: alii pericopen sic interpretantur: Apostoli primo quidem ad sacra ministeria (episcopatum et diaconatum) selegerunt viros *Spiritu probatos*, et deinceps ordinationem dederunt ut quum *ipsi*, i. e. apostoli decessissent, ministerium eorum i. e. apostolorum alii viri probati exciperent. Obiectum ergo ordinationis apostolicae sunt normae ad quas debent eligi veri episcopi (viri eximii), qui ipsis apostolis succedant. Sicut primi candidati ad sacerdotium et diaconatum, sic etiam candidati ad *episcopatum* debent esse viri probati, quos Clemens vocat *viros eximios*. Vides in hac interpretatione *principium successionis apostolico-episcopalis* a Clemente explicite proclamari. Hanc porro sententiam tuentur Rothe, Freppel, Brüll, Doellinger, Lesquoy, Michiels, Ruffini, Bruders, alii. Dieckmann vacillat et rem totam in medio relinquit.

Altera sententia pericopen sic interpretatur: Apostoli primo quidem elegerunt ad sacerdotium viros probatos; deinceps vero ordinationem dederunt, ut quum *isti viri probati* morerentur, alii viri item probati eorum (virorum probatorum) munus exciperent. Obiectum ergo ordinationis apostolicae in hac sententia sunt normae secundum quas debent eligi candidati ad continuandum sacerdotium. Primis sacerdotibus, viris probatis, debent succedere *alii viri probati*. Vides in hac sententia supponi quidem, at non explicite proclamari a Clemente principium successionis apostolico-episcopalis. Huius sententiae patroni sunt Hefele, Harnack, Funk, d'Herbigny, alii.

Utraque sententia gramaticaliter et exegetice possibilis est; utraque rationem sufficienter reddit tum contextae orationis, tum scopi quem tota Clementis argumentatio collineat. Altera tamen sententia nobis longe praeferenda videtur. Rationes porro huius praeferentiae sunt sequentes:

a) In controversa pericope agitur de viris quorum munus designatur voce λειτουργία. Atqui hac voce designat Clemens munus non apostolorum, sed eorum presbyterorum seu sacerdotum qui e suo episcopatu erant eieci: « Non enim leve erit nostrum peccatum, si eos, qui sancte et sine reprehensione *munera obtulerunt*, e suo munere sacro (της ἐπισκοπῆς) eiecimus ». Advertas diligenter officium illorum virorum, de quorum successione agitur, designari prius (n. 2) voce λειτουργία, dein (n. 4) voce ἐπισκοπῆς. Agitur ergo de substituendis non apostolis, sed primis viris Spiritu probatis, quos Clemens episcopus nominavit. E contra vox adhibita a Clemente ad designandum officium apostolorum est κατάστασις. Hac eadem voce designatur munus eorum, qui a Clemente appellantur viri eximii, qui apostolis succedunt in munere *constituendi* ministros Ecclesiae. Notatu dignum est quod haec ipsa vox κατάστασις recurrit ubi agitur de constitutione sive diaconorum (Act. VI, 3), sive presbyterorum ad episcopatum (Tit. I, 5).

b) Obiectum dispositionis apostolicae respondeat oportet motivo, quod eidem ansam seu occasionem dederat; hoc porro motivum erat quaedam contentio (ἔρις) discipulorum. Contentio vero seu aemulatio discipulorum erat non de continuanda hierarchia aut de successione in munus apostolorum, sed de nomine *episcopatus* seu sacerdotio. Ideo rebelles fortiter obiurgantur eo quod viros qui sancte munera obtulerant e suo sacro ministerio seu episcopatu deturbaverint. Accedit quod in hac nostra interpretatione multo facilius et connaturalius intelligitur illa quasi duplicatio virorum *probatorum*. Primis viris (Spiritu) probatis, quos apostoli constituerunt episcopos, debent succedere *alii viri item probati*, quos viri eximii constituent episcopos, priorum successores in munere sacerdotali.

c) Eadem conclusio obtinetur examinato processu argumentationis quem auctor adhibet. Clemens vult illustrare ac iustificare modum agendi apostolorum, adhibito exemplo Moysis. Moyses vidit exortam aemulationem pro sacerdotio inter tribus Israëli, timuitque seditionem in populo oborituram. Apostoli quoque divinitus illustrati praeviderunt contentionem de nomine episcopatus inter fideles oborituram. Porro sicut

Moyses aemulationem cohibet provocando miraculosam manifestationem voluntatis pro tribu Aaronis divinitus electa ad gradum et dignitatem sacerdotalem, sic etiam apostoli nostri contentionem coërcere satagunt determinando normas pro candidatis contendentibus ad sacerdotium; in utroque casu agitur de praecavendo periculo ex aemulatione orto. Periculum porro ac aemulatio coërcetur, non exhibita dignitate *eligentium*, sed determinata ac praecepta probitate *eligendorum*.

d) In sententia prima seu nobis contraria oporteret admittere viros eximios nonnisi post mortem apostolorum exercuisse munus constituendi ministros pro sacerdotio seu episcopatu. « Apostoli namque ordinationem dederunt, ut quum *ipsi discessissent*, ministerium eorum alii viri probati exciperent ». Atqui historice constat viros eximios, quales fuerunt Timotheus et Titus, munus constituendi per civitates presbyteros exercuisse *ante mortem Pauli*. Rursus, nullibi apparet apostolos praescripsisse normas morales pro suis successoribus eligendis; constat vero apostolos dedisse normas morales pro candidatis ad sacerdotium seu episcopatum. « Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum ... » (Tit. I, 6). Ideo scribit ad suum discipulum: Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, ut constituas per civitates presbyteros sicut et *ego disposui tibi* ». Similes dispositiones ac normas dat etiam Timotheo (Tim. I, 1). Vult nempe Paulus ut candidati ad sacra ministeria sint viri probati: « Et hi omnes *probentur* primum » και οὗτοι δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον. Ibid. III, 10. Eodem porro verbo usus fuerat Clemens ad designandos viros probatos *δοκιμασμένοι ἄνδρες*.

e) Accedit debilitas fundamenti cui sententia contraria innititur: Michiels argumentatur sic: « Manifestement, les apôtres furent préoccupés de la nécessité de mettre l'autorité des pasteurs au-dessus de toute contestation. Pour ceux qu'ils établirent eux-mêmes, pas de doute possible sur leur légitimité; mais pour la suite il fallut un statut: « ensuite ils statuèrent qu'à leur mort ... ». La mort à prévoir ce n'est pas tant celle des pasteurs, puisque les apôtres sont là pour en établir d'autres en leur lieu et place, mais c'est celle des apôtres, sources du pouvoir ecclésiastique. A la mort des apôtres, qui

leur succédera? S'ils ont des successeurs, l'autorité ecclésiastique est assurée pour l'avenir; s'ils n'en ont pas, elle est tarie dans sa source. « Ces hommes éprouvés » qui n'ont pas encore de titre spécial, sont donc les successeurs des apôtres. Dès lors que les apôtres se sont assuré des successeurs, aucune contestation n'est possible sur la légitimité des pasteurs établis successivement dans les diverses églises ». Dict. Apol. I, c. 1765.

Tota haec argumentatio est innixa multiplici falso supposito:

a) Auctor falso supponit sufficienter constare (pro Clemente) de legitimitate praepositorum quos ipsi apostoli statuerunt *ex eo tantum* quod sunt constituti ab ipsis apostolis. At Clemens totus est in notando apostolos divinitus illustratos selegisse ad ministeria sacra viros *Spiritu probatos*. Criterium ergo legitimitatis innixum voluere apostoli non tam propriae ipsorum auctoritati apostolicae quam supernae ac pneumaticae probationi.

b) Rursus falso supponitur legem successionis apostolicae in Ecclesia suspensam ac indeterminatam manere nisi accedat *statutum apostolicum* praecipiens praefatam successionem. Atqui legi et facto successionis apostolicae sufficienter provisum erat *praeepto divino* ipsius Christi, qui apostolis mandatum dederat praedicandi evangelium Regni omni creaturae, usque ad limites terrae, usque ad *consummationem saeculi*, necnon celebrandi cultum eucharisticum *donec ipse veniat*. Si factum successionis apostolicae deberetur statuto apostolico, ut contendit Michiels, oporteret concludere episcopatum non esse *divinae institutionis*, sed apostolicae ordinationis. Ceterum vel sola lege constituendi viros probatos ad sacra ministeria providetur legi apostolicae successionis, quum sacerdotes creari non possint sine episcopis qui apostolis succedant in potestate ordinis.

c) Improbabile prorsus videtur apostolos dedisse *legem* aliquam de eligendis *viris probatis* ad successionem apostolicam. Successores quippe apostolorum ut plurimum fuere viri delegati ac cooperatores ipsorum apostolorum, ut Timotheus, Titus, Lucas, Silas ... quos nempe *ipsi apostoli* elegerant, consecraverant, probaverant, ac fidelissimos in omnibus experti

erant. Multo verisimilior apparet praecoccupatio ac sollicitudo de stabiliendis aptis normis pro candidatis ad sacerdotium. Ceterum historice constat apostolos fuisse hac de re sollicitos, ac normas reapse dedisse ut homines *probati* seligantur ad sacra ministeria.

Subtilius argumentatur Lesquoy in hunc fere modum: Viri sic dicti *probati* iidem sunt ac viri sic dicti *eximii*. Atqui viri *eximii* evidenter sunt successores apostolorum. Ergo et viri *probati*. Maior probatur sic: Verba prioris incisum: « apostoli constituerunt praedictos, ac *deinceps* ordinationem dederunt, ut quum discessissent, ministerium eorum *alii viri probati* exciperent » perfecte correspondent verbis alterius incisum: « Itaque qui *constituti sunt ab illis*, vel *deinceps* ab *aliis viris eximiis*, consentiente universa ecclesia ». Ergo viri *probati* merito identificantur cum *viris eximiis*.

In pericope igitur controversa agitur de excipiendo ministerio non presbyterorum priorum, sed apostolorum decedentium.

Resp.: Haec argumentatio speciosior quidem est, at responsio omni caret difficultate post ea quae superius disseruimus. Verum quidem est viros *eximios* esse successores apostolorum. Verum itidem est dari perfectam correspondentiam et intimam connexionem inter utrumque incisum. At haec interna consecutio ac correspondentia non stat in eo, quod viri *probati* sint iidem ac viri *eximii*, sed in eo potius, quod *viris probatis*, *constitutis* ab apostolis, respondent alii viri *item probati* *deinceps* *constituti* a *viris eximiis*.

Nova quaedam interpretatio pericopes controversae recenter proposita est a L. Hertling in ephemeride romana « *Biblica* » 1939, p. 276 sq. Quae, si vera foret, totam nostram argumentationem destrueret, et conclusiones proin eidem enixas labefactaret. Hinc novam exegesim exponere, eamque crisi subiicere operae pretium duximus.

Principio notatur Clementem novisse Pauli epistolam primam ad Cor. quippe qui eam non semel citat. Porro comparatis his, quae Paulus I Cor. XVI, 15-16 docet de primitiis ecclesiae corinthiacae, cum his quae Clemens tradit XLII, 4 de

primitiis ab apostolis in episcopatum selectis, sequitur Stephanam, Fortunatum et Achaicum fuisse primos communitatis corinthiacae praepositos. Similiter Eubulus et Pudens gubernarunt viventibus Petro et Paulo, horumque loco; mortui vero sunt ante mortem apostolorum. Post mortem apostolorum primus gubernavit ecclesiam romanam Linus, cui successit Clemens. Hisce prae oculis habitis, licet coniectari seriem Stephanas, Fortunatus, Achaicus non esse simplicem seriem *additionis*, sed potius seriem *hierarchicam*, quae ordinem successionis in ecclesia corinthiaca designat. Fortunatus est *secunda primitia*, tenetque primum locum hierarchicum tempore epistolae Clementis, mortuo iam Stephana. Hanc coniecturam esse obiectivam et realem ostenditur facta analysi pericopes controversae: ordinationem dederunt (επινομήν δεδώκασιν), quam sic commentatur:

Worauf hat sich dieser « Auftrag » bezogen? — Auf das, worüber Streit entstehen konnte; denn solchen Streit zu verhüten war ja der Grund, warum die Apostel den « Auftrag » gaben. Streit entstehen konnte nicht darüber, ob man die Hierarchie fortsetzen oder sie eingehen lassen sollte, sonder nur über die Personenfrage. Wer hat an seine Stelle zu treten, wenn ein « Erstling » stirbt? Der Auftrag der Apostel kann sich nur darauf beziehen: Sie haben Nachfolger designiert, sie haben eine *Reihenfolge*-aufgestellt nach der sich die Erstlinge gegebenenfalls nachzufolgen hätten ». o. c. p. 278.

Scilicet: Obiectum dispositionis apostolicae debet respondere motivo, quod contentioni ansam seu originem dederat. Origo porro contentionis non erat utrum hierarchia deberet continuari necne, sed erat quaestio mere personalis: quis deberet succedere in episcopatu, quum unus ex primitiis occubisset. Obiectum ergo dispositionis apostolicae recte in hoc ponitur, quod Apostoli designaverunt ordinem personarum pro successione. Quod attinet verba immediate subsequentia: « Itaque qui sunt constituti ab illis (apostolis), vel deinceps ab aliis viris eximiis, consentiente universa ecclesia ... », opinatur Hertling his contineri responsionem Clementis tacitae obiectioni: tua theoria de primitiis deque apostolica dispositione non est mala; at quomodo tu ipse qui nec ad primitias pertines, nec ab apostolis es constitutus, erigis te ipsum in superio-

rem? En novam interpretationem pericopes controversae. Reliquum est ut huius novae theoriae crisin instituamus. Mitto alia, et subito venio ad ea quae rem nostram directe attingunt. Duo ergo sunt examinanda: primo num in controversa pericope obiectum dispositionis apostolicae recte assignetur; secundo num in adiecto inciso respondeatur obiectioni quae Clementis personam respiciat.

Pericopem controversam quod attinet, rectissime notatur obiectum dispositionis apostolicae debere respondere motivo quod contentioni originem dederat. Exortam Corinthi contentionem non versari circa quaestionem de continuanda vel non continuanda hierarchia; in controversa proin pericope non agi de excipiendo munere *apostolorum* decedentium, sed eorum potius qui inter primitias electi in episcopatum fuerant, prorsus consentio iuxta ea, quae superius contra Michiels aliosque statui. Sed inde minime sequitur obiectum dispositionis apostolicae reponendum esse in decreto seu determinato *ordine personarum* succedentium. Apostoli exortam contentionem et aemulationem de sacerdotio coërcere satagunt statuendo non *quis cui*, sed *qualis quali* succedere debeat, id quod Clemens explicite effert: « apostoli deinceps ordinationem dederunt un alii *homines probati* eorum ministerium exciperent ». Apostoli ergo *non designant personas*, quae mortuis succedant, sed determinant *qualitates morales* personarum, quae debent antecessoribus succedere, quaecumque demum illae sint. Vides obiectum posterioris dispositionis apprimè respondere obiecto prioris constitutionis. Sicut in prima episcoporum et diaconorum constitutione apostoli seligunt ex primitiis eas quae sunt *Spiritu probatae*, sic in posteriore dispositione volunt ut viris probatis decedentibus *alii viri probati* succedant. Mirum prorsus est quod Hertling in sua exegesi sic absolute praescindat ab hac pneumatica probatione, cuius narrationem Clemens praeparaverat praemissa longa descriptione de virga Aaronica miraculose florescenti. Vides iam ruere conclusionem ultimam auctoris de *ordine hierarchico* agnoscendo in serie Stephanas + Fortunatus + Achaicus. Adverias nos non negare ipsum praefatum ordinem hierarchicum, de quo tamen vehementer dubitamus, sed legitimam eius probationem in tentata superius et examinata argumentatione.

Adiecti incisi nova interpretatio remanet examinanda. Agitur de verbis controversam pericopen subsequentibus, quae ita habent: « Itaque qui sunt constituti ab illis, vel deinceps ab aliis viris eximiis ... ». Hertling opinatur Clementem his verbis obviam ire tacitae obiectioni, quae propriam suam personam respiciat, quippe qui nec ab ipsis apostolis fuerat constitutus. Quam sit extranea et arbitraria ista exegesis subito apparet ex verbis proxime subsequentibus, quae attentionem auctoris totaliter effugisse videntur: « Itaque qui constituti sunt ab illis (apostolis), vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt ... hos iudicamus munere suo non iuste deiici ». Agitur ergo de his ministris, qui a viris eximiis erant constituti et *munere suo iniuste depulsi*. Atqui Clemens e munere suo minime erat eiectus (!)

Scholion. II — *De presbyteris-episcopis (Act. XX, 28) in C. Tridentino.*

Vetus est ac pervulgata theologorum discordia de significatione annexa voci « episcopus » in primaevae christianae litteraturae monumentis, necnon de propria illorum dignitate seu gradu sacerdotali qui glorioso hoc nomine ibidem celebrantur. Nostris diebus facile praevallet opinio tenens hos sic dictos episcopos fuisse non primi, sed secundi gradus sacerdotes, quos hodie presbyteros appellamus, stabili quidem ac collegiali ecclesiarum localium regimini praepositos, superiori apostoli fundatoris sive apostolici cooperantis auctoritati subiectos.

Quod si praefata opinio apud theologos et exegetas nondum firmiter obtinuit, id magnam partem inde repetendum videtur, quod gravis eidem obiectio opponitur e textu Paulino (Act. XX, 28) de his quos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam sanguine suo acquisivit. Duplex inde difficultas movetur: prior dogmatica, altera exegetica. Dogmatica, quae longe praecipua est, petitur e Concilio Tridentino, cui adici nonnumquam consuevit auctoritas sive conciliaris Vaticana, sive papalis Pii IX et Caelestini I. Patres qui-

dem Tridentinos verba Pauli esse interpretatos de episcopis vere et proprie talibus sat clare elucere videtur ex his quae sessione XXIII, capite IV leguntur:

« Sacrosancta Synodus declarat, praeter ceteros gradus ecclesiasticos, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos (sicut idem apostolus ait) a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse » Denzinger n. 960.

Positio criticorum prae hoc documento conciliari varia est:

Prima rigidior momentum ipsius dogmaticum ita extollit ac premit, ut omnem controversiam inter catholicos eliminatam iam velit. Nemo hac via longius est progressus, quam *P. Patrizi*, cuius sunt haec gravissima verba in suo ad Actus apostolorum commentario: « Ne vero putes ... effugium a Patrum Tridentinorum auctoritate tibi patere in illo theologorum effato: *Ex his quae in universalibus conciliis proponuntur, id solum tenendum esse de fide quod est definitionis obiectum.* Esto namque illi Patres non directe definiverint Pauli sensum verborum, proptereaque dici nequeat *tenendum esse de fide* horum verborum sensum esse illum in quem ipsi acceperunt; at certe necesse est dicere sensum, in quem haec Pauli verba Tridentini Patres acceperunt, et indubium esse, et esse *eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia.* Nisi enim sensus esset indubius, id quod ex eo illi collegerunt ac definiverunt, non certe efficeretur ex propositis neque necessario esset consequens; et quamquam de eo ipso, quod definitum est, dubitari haud liceret, constaret tamen contra logicas rationes ac praeccepta id esse definitum ... Contra eum sensum vero quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia Scripturam interpretari tum lege Tridentina prohibemur (sessione IV), tum, quominus audeamus, sacramento adstringimur ».

Patrizi vestigia alte premit gravissimus *Franzelin*. Qui in opere posthumo de Ecclesia Christi, thesi XVI scribit: « Commemorata sententiam — illam nempe quam inter cri-

ticos recentiores communiorem diximus — maxime post Concilium Tridentinum, nemo catholicus facile in animum inducet ».

Eadem severitatis via alacrius incedit I. M. Bover. Qui in ephemeride Matritensi « Estudios eclesiásticos » a. 1923, p. 213 scribit: « Sobre la interpretación que da el Tridentino a las palabras de San Pablo son muy dignas de consideración aquellas graves reflexiones que hace el P. Patrizi en su comentario a los hechos de los apóstoles: "Ne vero putes... effugium a Patrum Tridentinorum auctoritate tibi patere..." ». Sequuntur verba Patrizi superius exscripta. At P. Bover minime fuit contentus urgere ac premere auctoritatem dogmaticam Concilii Tridentini, sed rationes quoque exegeticas stabilire laudabili consilio satagit, quibus sententia conciliaris commendari possit, et ab obiectis recentius difficultatibus vindicari.

Exegetica porro explicatio procedit hoc modo: Primo quidem si verba Pauli, Mileti pronuntiata, oportet intelligere ut directa ad solos presbyteros ephesinos, licet supponere collegium hoc presbyterale constitutum sub uno presbytero ceteris praeposito veraque potestate episcopali praedito. Quo in casu verba Pauli de episcopis positus a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei possent intelligi primo et principaliter de hoc episcopo, secundario et concomitanter de presbyteris episcopo subiectis eique in regimine ecclesiastico associatis. At contextus praecedens sat clare ostendere videtur colloquio adfuisse praesentes alios quoque presbyteros-episcopos urbium vicinarum, id quod ceteroquin docuerat olim Irenaeus scribens (Adv. haer. III, 14): « In Mileto convocatis presbyteris et episcopis qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus ». Tertio nihil prohibet quominus supponamus in ecclesia ephesina illam regiminis formam quae propria fuit ecclesiae antiochenae. In qua aderant prophetae et doctores vera potestate episcopali praediti, quippe qui manu impositione Paulum et Barnabam consecraverant (Act. XIII, 1-3). In hac porro hypothesis Pauli verba de episcopis positus a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei reperiunt explicationem sat

aptam, multo sane meliorem quam, in hypothesis contraria de meris presbyteris.

Accedit demum quod Paulus in suo colloquio, Mileti habito, presbyteris ephesinis extremum vale dicit: « Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos transivi praedicans regnum Dei ». (Act. XX, 25). Estne verisimile voluisse apostolum magnam ecclesiam ephesinam *non plene constitutam relinquere*? Quis vero ignoret ecclesiam suo episcopo orbatam nondum esse firmiter stabilitam? Haec quum ita sint, ipsis rationibus exegeticis constringimur conciliarem Patrum auctoritatem minime detrectare, sed eidem fidi inhaerere.

Altera positio, priori e regione opposita, momentum pericopes Tridentinae extenuat et practice negligit. Notant hi auctores Patres Tridentinos nullam voluisse dare textus Paulini interpretationem authenticam et infallibilem. Sic prae ceteris *E. Ruffini* in sua laureata thesi « La Gerarchia della Chiesa negli Atti degli apostoli e nelle lettere di S. Paolo », p. 80-81 scribens:

« Era dunque sentenza dei Padri Tridentini che l'Apostolo a Mileto avesse parlato a vescovi propriamente detti. Tuttavia autori gravissimi (Michiels, Prat) giudicano che il Concilio non abbia inteso di dare un'interpretazione autentica definitivamente imposta dall'infallibilità del Magistero. « Nam ex his, quae in universalibus conciliis proponuntur, id solum tenendum est de fide, quod est definitionis objectum » (Gotti, Segna, Pesch). Molto meno può essere imposto l'uso che fa la Chiesa del medesimo versetto (Atti 20, 28) nell'ufficiatura dei Confessori Pontifici ».

Nihil ergo prohibet quominus a sententia Patrum Tridentinorum reverenter recedamus, si adsint rationes exegeticae constringentes in contrarium. Hae porro rationes in nostro casu minime desunt.

Tertia demum positio sententiae recentiori de meris presbyteris ita adhaeret, ut simul quaerat aptum modum tuendi

auctoritatem conciliarem. Sic prae ceteris U. Holzmeister in « Biblica » a. 1931, p. 65-66. Ubi obiectae difficultati ex Tridentino respondens scribit:

« Imprimis optimo iure urgent multi auctores (Estius, Prat, Michiels, Ruffini) concilium Tridentinum minime voluisse definire hanc esse unicam veram expositionem verborum apostoli ... At etiamsi concilium haec verba adhibet de episcopis vera sunt etiam in nostra expositione. Si enim secundum interpretationem nostram S. Paulus de sacerdotibus quoque secundi ordinis asserit eos non tantum a seipso, sed imprimis a Spiritu Sancto in suo munere esse collocatos, divinaeque igitur auctoritate investitos, a fortiori hoc valet de sacerdotibus primi ordinis sive iam ab ipso constitutis, sive demum constituendis. Ergo vera est declaratio concilii utriusque, licet non sensu exclusivo. Hunc vero Concilium Tridentinum exprimere noluit, quum praetermittat formulam: praeter ceteros gradus ecclesiasticos ... Unica difficultas, quae in hoc usu verbi apostoli ex parte duorum conciliorum et duorum Pontificum continetur, est haec: videntur verba summi sensu exclusivo in omnibus quatuor locis. Nullibi vero hoc in ipsis verbis exprimitur ».

V. Cavalla recentius proponit novam quandam solutionem in periodico milanensi « La Scuola Cattolica » a. 1936. Ubi notat vocem « episcopus » in documentis primitivae christianitatis significare « sacerdotes » non precise primi vel secundi gradus, sed generice « sacerdotium » « clerum ». Verba ergo Pauli (Act. XX, 28) intelligenda sunt de clero ephesino cum vero episcopo, idque sive exclusive, sive simul cum clero Milèti item cum suo episcopo. Hinc nulla manet difficultas interpretandi verba Concilii Tridentini. Quae vera manent non iam vi *sensus deductivi*, sicut in sententia Holzmeister, sed vi potius *sensus inclusivi*.

« Così il Concilio di Trento, che applica le parole di questo testo (Act. XX, 28) esplicitamente ai vescovi, non ci fa più grave difficoltà. Sicuramente parlando al clero tutte quelle parole erano rivolte anche ... anzi a fortiori a chi aveva la pienezza del sacerdozio. Per questo argomento a fortiori e per

un senso implicito, più che per altri argomenti mi pare si possa spiegare, nella nostra sentenza, il testo Tridentino prout stat ».

En varia tentamina a criticis utcumque facta ad tollendum omne dissidii genus auctoritatem apostolicam inter et conciliarem. De quibus si iudicium universim ferre oporteat, asseri fidenter potest: latet in his omnibus elaborationibus nescio quid artificiosi et aprioristici, quod vel falsitatem re dolet, vel particulam tantum veri continet, ideoque necessario indiget complemento. Obviam, limpida, integram rei explicationem dabit Historia Concilii determinans naturam potestatis episcopalis de qua agunt Patres Tridentini. Eadem historia rursus ostendet modum singularem quo textus Paulinus (Act. XX, 28) irrepsit in caput quartum sessionis XXIII. Inde licebit strictius definire qualiter Patres intellexerint et docuissent verba apostoli de episcopis a Spiritu Sancto positis regere Ecclesiam Dei.

Tentamina varia criticorum superius descripta sat clare manifestare videntur cum theologos, tum exegetas latuisse consilium Patrum Tridentinorum agendi *de sola ordinis potestate*, nihil vero de iurisdictione episcopali. Hanc porro fuisse mentem Patrum sufficienter apparet vel ex ipsis verbis quae leguntur in epilogo praedicti capitis quarti (Denzinger, n. 960): « Haec sunt quae generatim sacrae Synodo visum est Christi fideles de *sacramento Ordinis* docere ». At id multo luculentius fit manifestum ex Actis Concilii, ubi describitur sessio privata celebrata in domo cardinalis Moroni die sexta Iulii a. 1563, quae sat proxime praecedebat sessionem ultimam et definitivam die decima quinta eiusdem mensis celebrandam.

Optabant aliqui — aiunt Acta — ut fieret mentio de capite hierarchiae, videlicet de Romano Pontifice tamquam summo hierarcha, aut diceretur quod omnes hi gradus sunt sub eius obedientia aut quid simile, ut apud sanctum Bernardum « de consideratione ». Sed replicatum fuit, cum agendum sit *tantum de sacramento ordinis*, non esse necesse caput hierarchiae explicare, imo id non posse, cum in his non plus possit

Papa quam episcopus quilibet, siquidem sacramentalia omnia aequae episcopi perficiunt ac Papa, unde ea non possunt dici esse sub Papa. Duplex est enim hierarchia, alia sacramentorum functionum, alia gubernationum. Prima ad sacramentum Ordinis pertinet, *de qua nunc agitur*, et in ea summus gradus est episcoporum, secunda ad iurisdictionem, *de qua non agimus*, et in hac caput est Papa, cum et hoc nomen Papae sit nomen iurisdictionis. Igitur *nihil hic de capite hierarchiae agendum, quia aliam materiam ingrederemur* ».

Vides iam ruere omnia tentamina a criticis instituta ad explicandum sensum quo secundum Tridentinum episcopi (et presbyteri) dicuntur a Paulo positi a Spiritu Sancto *gubernare* Ecclesiam Dei. At protinus dices: Si Patres Tridentini intendebant agere de sola ordinis potestate, quare appellant ad textum Paulinum, ubi agitur de episcopis positus a Spiritu Sancto *regere* Ecclesiam Dei? Difficultas haec gravior est, quam ut ullo artificio dialectico vel exegetico solvi adaequate possit. Unicam solutionis viam rursus sternent Acta Concilii, quae minute describunt adiuncta et facta, quae textui Paulino interserendo ansam dedere.

Hodierna forma capituli IV sessionis XXIII fructus est cuiusdam additionis, quae modo prorsus singulari facta est sessione illa privata, quae die sexta Iulii celebrata est in domo Cardinalis Moroni. Videlicet, postquam Patres demum decreverunt agere de sola potestate ordinis, praeparatum est *quadruplex schema* praedicti capituli quarti, quod Patrum examini, selectioni et definitivae tandem approbationi subiiciendum erat. Porro — notetur id diligenter — *in nulla ex his quatuor formulis reperiebatur textus Paulinus* (Act. XX, 28). Quomodo ergo — inquires — facta est praefati textus insertio? En totam rei explicationem, qualis apparet in « Tridentini Diaria », vol. III, pars prima, edit. Merkle, 1931, pag. 683-684.

Lotaringius Cardinalis, partis gallicae dux et antesignanus, re cum hispanis communicata, consentit in quarta formula, ubi fit mentio de hierarchia, cupiunt tamen verba quaedam addi tum in doctrina (seu capite), tum in canone (sexto), quae *non magni momenti videntur*. Itaque hodie convocantur

quamplures praelati ex diversis nationibus in domo cardinalis Moroni, ut si fieri possit deliberetur tum de hac doctrina ac canone, quam de decreto residentiae, quod adhuc firmatum non fuerat, ut scilicet exploratis istorum iudiciis, res deinde in Congregatione generali proponatur. Aderant legati quatuor, Cardinales alii duo, oratores ecclesiastici ferme omnes, prelati alii fere quadraginta. Proposita primum materia de sacramento Ordinis, cum Lotaringius petiisset in doctrina (i. e. in capite quarto) addi auctoritatem Actuum: « in quo vos posuit Spiritus Sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei » (XX, 28), aliqui renuebant non solum in hoc, sed in alia auctoritate apostoli: alios doctores, alios pastores (Ephes. IV, 11). Dicebant enim has auctoritates pertinere potius ad iurisdictionem, ideo omittendas, cum hic constitutum sit nihil agere nisi de sacramento Ordinis. Sed responsum fuit locum Act. apostolorum pridem ab eadem Synodo sub Paulo III sessione VI fuisse usurpatum, nec alium sensum admittere posse quam eum, quem sacri Doctores tradunt. Deinde quosdam intelligere ea verba ad Presbyteros tantum Ephesios referri, cum in principio loquatur de senioribus natu in ecclesia ephesina, quo in casu nihil posset contineri de iurisdictione; sed et quamvis et ad episcopos pertineant, cum olim promiscue episcopi et presbyteri vocarentur, tamen id non accipi de iurisdictione contentiosa, de qua est quaestio, sed de ea quae est cum sacramento Ordinis, in quo praebetur tantum usus et materia, ut in confirmatione, consecratione Ecclesiae et similibus, ut per Thomam 2a. 2ae q. 39, art. 3. Et maxime quia in textu graeco dicitur ποιμαίνειν quod est pascere, non regere. Ad aliam auctoritatem (Ephes. IV, 11) dictum est divum Ambrosium eum locum exponere pro diversis muniis, quae exercentur in ecclesia a ministris sacrorum.

Ex his, quae historice praenotavimus, licet concludere:

Primo: Insertio textus Paulini (Act. XX, 28) in caput quartum sessionis XXIII facta est citra primam Patrum redactorum intentionem. Unica insertionis ratio fuit petitio facta a Cardinali Lotaringio, qui parti gallicae et hispanicae aliquam satisfactionem suppeditare cupiebat. Magna porro pars Patrum, qui huic capiti quarto et canoni sexto approbationem

in Congregatione generali et ultima dederunt, non fuit praesens in hac particulari sessione celebrata in domo Cardinalis Moroni.

Secundo: Inter ipsos Patres, qui huic sessioni praesentes fuere, aliqui insertioni textus Paulini opponebantur, quippe qui non immerito putarent verba apostoli intelligenda esse de potestate iurisdictionis. Obiectae porro difficultatis solutio ex altera parte datur facta duplici hypothese: vel Paulus agit de solis presbyteris ephesinis, ut aliqui contendunt, et tunc non potest esse quaestio de iurisdictione; vel Paulus agit de omnibus episcopis, ut fautoribus insertionis probabilius videtur; sed nec in hoc casu censendus est apostolus agere de iurisdictione proprie dicta, maxime cum utatur voce graeca ποιμαίνειν quae significat pascere, non regere. Hinc patet ipsos Patres fautores insertionis interpretationi de veris episcopis sic adhaesisse, ut contrariam de meris presbyteris non omnino reiecerint ut impossibilem, sed ea quoque uti voluerint ad solvendam difficultatem.

Tertio: Interpretatio vocis ποιμαίνειν in sensu pascendi, non regendi, vix probabitur vel ipsis criticis, qui momentum dogmaticum pericopes Tridentinae rigidius premendum censent. Ea minime probatur Patribus Concilii Vaticani. Qui eandem vocem ποιμαίνειν interpretantur de vera et proprie dicta iurisdictione, quique textum Paulinum (Act. XX, 28) citant: « Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi *episcopalis iurisdictionis* potestati qua episcopi, qui *positi a Spiritu Sancto* in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos *pascunt et regunt*, ut eadem a supremo pastore asseratur, roboretur ac vindicetur » Denzinger n. 1828. Eandem iurisdictionis potestatem commemorant ibi etiam, ubi textum Ioannaem (XXI, 15 sq.) interpretantur: « Uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et *reitoris iurisdictionem* in totum suum ovile dicens *pasce agnos meos, pasce oves meas* ». Hinc qui auctoritatem Concilii Tridentini premere vult ad determinandum sensum vocis « episcopus » in textu Pauli, eandem premere debet, quum agitur de interpretando sensu vocis

ποιμαίνειν seu pascere. Id porro si faciat, adversarium se auctoritati Concilii Vaticani fateatur oportet.

Quarto: Quod attinet alium textum Paulinum (Ephes. IV, 11): « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores », adversarii quidem insertionis hunc textum omissum volebant, quippe qui ad iurisdictionem potius quam ad ordinis potestatem spectaret. At responsum ex alia parte fuit divum Ambrosium eum locum exponere pro diversis muniis quae exercentur in ecclesia a ministris sacrorum.

Sed iuvat observare hanc expositionem non esse Ambrosii, sed Ambrosiastri. Ambrosiaster vero apostolos interpretatur episcopos vera iurisdictione praeditos, imo ecclesias monarchice gubernantes. Prophetas vult esse Sacrarum Scripturarum interpretes. Evangelistas intelligit diaconos. Pastores putat posse esse lectores. Doctores vero exorcistas. Vix reperietur hodie exegeta, qui singularem hanc Ambrosiastri interpretationem ex integro acceptet, iis minime exceptis, qui auctoritatem conciliarem rigidius premunt. Quin imo ipse Ambrosiaster lectorem prudenter praemonuerat scribens: « Ut ergo cresceret plebs christiana et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est evangelizare, et baptizare et Scripturas in ecclesia explanare; at ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, et rectores, et cetera officia in Ecclesia sunt ordinata ... Ideo *non per omnia conveniunt scripta apostoli ordinationi quae nunc in Ecclesia est; quia haec inter ipsa primordia sunt scripta* ».

Conclusio peracti examinis est: *Primo*: Concilium Tridentinum *nihil definit* de sensu vocis « episcopus » in laudato textu Paulino: *Secundo*: *nihil authentice* de eodem docuit: *Tertio*: nullam textus interpretationem *ut unice et exclusive veram proposuit*.

Quod de Tridentino diximus, a fortiori valent de Vaticano, sessione IV, cap. 3, paragr. 3 (Denzinger, n. 1828). Ubi textus Paulini insertio partialis rursus facta est praeter primam Patrum redactorum intentionem. En schema quale fuit

praeparatum die nono Maii 1870, ut Patrum examini et approbationi in Congregatione generali subiiceretur:

« Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas opponatur ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua particularium ecclesiarum pastores assignatos sibi greges, singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur ». Coll. Lac. VII, 271.

Hujus schematis variae emendationes propositae sunt, in quibus jurisdictionis episcopalis origo divina expressius efferebatur *invocato integro textu Paulino* (Ac. XX, 28). Omnes hae emendationes rejectae sunt. Una tantum est admissa emendatio proposita ab episcopo Barcinonensi:

« Propono ... ut in paragrapho tertia post verba " episcopalis jurisdictionis potestati " subdantur haec alia: qua episcopi ut apostolorum successores et a Spiritu Sancto positi tamquam particularium ecclesiarum pastores assignatos sibi greges ... ».

Qualiter sit haec emendatio-admissa a deputatione de fide, dilucide explicavit episcopus Zinelli: « Reverendissimi emendationum auctores desiderant in paragrapho III capitis tertii inseri aliqua verba, ut explicite episcopi dicantur apostolorum successores a Spiritu Sancto positi et veri pastores. Quamvis additio haec necessaria non esset, attamen quum sit non solum innocua, sed et multis Patribus grata esse possit, nec illi ingrata, deputatio de fide acceptat juxta modum. Modus autem est sequens, dicatur: " Potestati qua episcopi ut apostolorum successores et a Spiritu Sancto positi tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos etc. " », ut in Textu Coll. Lac. VII, 359.

Haec capitis tertii redactio visa est nonnullis in Congregatione Generali 15 Julii (1870) parum determinata et efficax: « Vox " positi " affertur modo absoluto et indeterminato, ac propterea obscure. Multo melius videtur afferre verba integra Concilii Tridentini (l. c.) ex divo Paulo: positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, quae verba sequentibus explicantur ». Mansi 52, 1259.

Obiectionem dissolvit laudatus Zinelli hoc aptissimo responso: « Est parum, dicitur, accurata in argumentatione. At nullam volebant hic capitis auctores adhibere argumentatio-

nem, sed veritatem duntaxat enuntiare, et asserere pontifices summos huic veritati libenter adstipulari ». Coll. Lac. VII, 469. Veritas porro enuntianda haec una erat: nullam esse oppositionem inter supremam summi Pontificis potestatem primatiale et ordinariam ac immediatam episcoporum iurisdictionem.

Quae quum ita sint, liquido patet Patres Vaticanos nullatenus intendisse tradere ullam autenticam declarationem vocis « episcopus » in textu Paulino (Ac. XX, 28). Nulla ceteroquin praecesserat hujus quaestionis conquisitio apud theologos, nulla apud Patres deliberatio. Quaedam praefati textus verba sunt admissa capiti tertio interserenda, quippe quae forent et prorsus innocua et multis Patribus pergrata. Vidēs quanta cautela, quanta prudentia praetermiserit omnem Concilii Vaticani mentionem Ioannes B. Franzelin, hujus Concilii theologus, et rerum, quae in eo factae erant, perfecte gnarus. Solam auctoritatem Concilii Tridentini invocātam voluit in allato superius testimonio: « commemoratam sententiam ..., maxime post Tridentinum, nemo catholicus facile in animum inducet ». His non obstantibus, nonnemo impavide scripsit: « Mayor valor tien aún la declaración del Concilio Vaticano, cuyos Padres y Teólogos conocían la interpretación más benigna del texto de los Hechos, y, sin embargo dijeron: Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt ».

Remoto ergo omni scrupulo aut praeiudicio dogmatico, remanet examinanda ipsa *difficultas exegetica e Pauli verbis desumpta*.

Noto imprimis quod ratio inde petita, quod colloquio Paulino praesentes fuerint presbyteri ephesini et urbium vicinarum, immo et Mileti, nequit esse decretoria. Dato enim, et non concesso, quod sermo apostoli ad hos omnes dirigatur, quaestio manet integra, num Ephesi, Mileti et in aliis quoque urbibus fuissent presbyteri vera potestate episcopali ornati. At vicissim ratio deprompta ex pluralitate presbyterorum in urbe ephesina nequit esse decisiva ad omnem episcopi praesentiam excludendam. Quaestio enim est num hoc presbyterorum collegium foret subjectum uni ceteris praeposito, veraque potestate episcopali praedito. Sic rem explicabat in ipso

Concilio Tridentino episcopus Cavensis *Cassella* ad locum Pauli observans: « Paulum loqui de presbyteris ab episcopo ephesino ordinatis ». Quod attinet prophetas et doctores a P. Bover invocatos, agitur de mera quadam suppositione cui nulum substat fundamentum positivum. Solvenda dein quaestio foret num hi prophetae et doctores essent veri episcopi; num ecclesiae ephesinae stabiliter praepositi, an potius missionarii itinerantes.

Auctoritas Irenaei invocari consuevit a patronis prioris sententiae: « In Mileto, inquit, convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus ». At per se patet rem e sola Irenaei auctoritate dirimi non posse. Nec sufficienter constat utrum S. Pater utatur traditione sibi nota, an potius notionem episcopi et statum ecclesiarum suo tempore obtinentem transferat ad tempora apostolica.

Validius argumentari videntur qui notant Paulum in colloquio Mileti habito extremum vale dicere presbyteris ephesinis: « Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei ». Estne verisimile apostolum magnam ecclesiam ephesinam episcopo orbatam, ideoque non plene constitutam relinquere voluisse? At haec quoque ratio infirmior apparet, quippe quae sit innixa toto falso supposito. Gratis namque et falso supponitur congruae ecclesiae constitutioni aptoque rerum ordini ac regimini aliter provideri non potuisse, quam episcopo illic stabiliter constituto, cui supremum communitatis moderamen commendaretur. Paulus imprimis poterat regimen illius ecclesiae etiamnum retinere, illudque e carcere, quem praevidebat, exercere. Poterat dein apto suorum legatorum ministerio identidem uti, id quod reapse praestitit, misso illuc Timotheo, cuius absentiam, Romam accersiti, per Tichicum supplere studet. Estne verisimile Paulum fuisse adeo sollicitum de mittendis illuc et substituendis suis legatis, si ecclesiam ephesinam paucis ante annis suo episcopo fixo et stabili communitam reliquisset? Nec praetereunda observatio facta a cl. Ruffini circa pulcherrimam orationem ab apostolo Mileti habitam: nullum ibi recurrere sermonem, nullum monitum de vigilantia et cautela in electione atque ordinatione clericorum adhibenda.

Multo gravior difficultas sumitur ex ipsis apostoli ver-

bis. In quibus agitur de presbyteris quos Spiritus Sanctus posuit *regere* Ecclesiam Dei. Atqui soli episcopi dicuntur *jure divino* obtinere iurisdictionem in Ecclesiam Christi. Ergo presbyteros ephesinos inter veros et proprie dictos episcopos merito recensueris. Haec difficultas meretur specialem quandam attentionem, quæ ut facilius praestetur, licebit per partes gradatim procedere.

Notetur imprimis sermonem esse in textu de his quos Spiritus Sanctus posuit ἔθετο episcopos. At positio multiplex distingui potest. Potest primo intelligi positio significans *institutionem episcopatus*. Sed haec talis institutio melius tribuitur ipsi Christo constituenti munus episcopale, dum in terris ageret. Potest dein sermo esse de positione implicante *charismaticam pastoratus donationem*. Quo in casu sensus verborum idem substantialiter esset ac in nota pericope a Ephes. IV, 11: « Et ipse *dedit* quosdam apostolos ... alios vero *pastores* et doctores ». Notatu dignum est quod in nostro textu (Act. XX, 28) sermo est de his quos Spiritus Christi posuit *pascere* Ecclesiam Dei; agitur ergo de his quos Spiritus Sanctus *dedit* pastores et doctores. Notetur etiam quod ipsum verbum posuit ἔθετο recurrit in loco parallelo epistolae primae ad Corinthios XII, 28: « Et quosdam quidem *posuit* Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas ... » ubi positio idem videtur esse ac donatio.

Potest ulterius dari positio significans *designationem* seu electionem per prophetas eorum qui *ad episcopatum vel sacerdotium debebant segregari*. Haec porro interpretatio illustrem habet intellectum ex celebri testimonio Clementis Romani ad Corinthios: « Per regiones ergo et urbes verbum praedicantes (apostoli), primitias earum *Spiritu quom probasent* δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant ». Haec pneumatica probatio fiebat vel per charismata electis (vel eligendis) superne collata, vel per designationem electi factam per prophetas. Episcopi ergo ephesini possunt dici *positi a Spiritu Sancto*, quia sunt designati ad episcopatum per prophetiam. Simili fere modo gratia episcopatus dicitur data Timotheo per prophetiam (I Tim. IV, 14), quia propheticae voces designaverant Timotheum tamquam aptum candidatum ad sacerdotium vel episcopatum. Ipseque Paulus cum Barnaba fuit segregatus ad opus

missionarium ministerio prophetarum. Quibus ministrantibus in Domino in ecclesia antiochena *dixit Spiritus*: « Segregate mihi Saulum et Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos » (Act. XIII, 1-3).

Potest quarto loco dari positio Spiritus sita in collatione potestatis episcopalis. At potestas episcopalis duplex est: alia ordinis seu sacramentalis, alia iurisdictionis seu regiminis. Spectata porro potestate sacramentali, nihil prohibet quominus presbyteri dicantur a Spiritu Sancto pascere Ecclesiam Dei. Potestatem iurisdictionis quod attinet, oportet rursus distinguere inter collationem *mediatam* seu factam per Romanum Pontificem, vel per ipsum Paulum in nostro casu ecclesiae ephesinae, et collationem *immediatam*. In utroque casu episcopi possunt dici positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. Ipse Paulus ait de Deo in laudata superius epistula prima ad Corinthios XII, 28: « Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, sicut voluit ». At notum est Deum plasmasse compaginem organicam adhibito concursu causarum naturalium. *Breviter ergo*: Agitur in textu Paulino de actione quadam a Spiritu Sancto exercita in presbyteros — episcopos terminata, nomine positionis designata. Haec vero positio potest intelligi: vel institutio episcopatus — vel eiusdem charismatica donatio — vel prophetica episcopi seu sacerdotis designatio — vel largitio potestatis sacramentariae — vel collatio potestatis iurisdictionis sive immediata sive mediata. Quod si quaeratur qualiter de facto sit intelligenda in nostro casu, nobis praeplacet interpretatio tertio loco collocata, quippe quae sit solido fundamento historico innixa. Clemens Pauli auditor et comes testatur apostolos per urbes et regiones constituisse in episcopatu seu sacerdotio viros *pneumatica seu prophetica approbatione* segregatos. Consentit Clemens Alexandrinus de apostolo Ioanne scribens: « Cum post tyranni obitum a Patmos insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatus visebat, partim quoque ut unumquemque eorum quos *Spiritus Sanctus designaret* in clerum cooptaret ». R. Journal, n. 438. Nonne viri a Spiritu Sancto designati possunt optime dici a Spiritu Sancto *positi* pascere Ecclesiam Dei? Patet ergo exegeticae difficultatis initio propositae non unam, sed multiplicem solutionem praesto adesse. Nulla ergo est ratio dogmatica, nulla exegetica impediens

quominus ephesinos quoque episcopos inter sacerdotes secundi ordinis recenseamus.

Textus Paulini commentario finem liceat apponere revocato in memoriam triplici monito: *Primum* sit illud quod theologi curiae romanae dabant nonnullis Patribus Tridentinis. Qui, ad definiendam divinam episcopatus institutionem, sequentem formulam canonis sexti proponebant: Si quis dixerit episcopos non esse positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei A. S. Theologi romani respondent: « Licet videantur illa verba adduci ex Act. XX, 28, et sint verba Pauli ibidem recitata, ex quibus *pie intellectis* nullus possit oriri error, tamen non sunt ad propositum huius canonis firmandi in ecclesia catholica, tum quia non ad universam, sed tantummodo ad ephesinam ecclesiam dicta sunt, tum etiam quia in quo posuit vos episcopos, episcopos non intelligitur de his tantummodo qui erant episcopali gradu vel ordine insigniti, sed de senioribus natu ecclesiae, id est, de senioribus ecclesiae ephesinae; nam inquit paulo ante: " A Mileto autem mittens Ephesum vocavit maiores natu ecclesiae, qui cum venissent " etc. sicque liquet vocasse beatum Paulum et appellasse episcopos presbyteros. Conc. Tridentinum edit. Ehes IX, 232. Salubre hoc monitum in memoriam revocare opportunum duximus. Notum quippe est verba Pauli nostris quoque temporibus non raro adhiberi ad ostendendam divinam episcopatus institutionem, idque non tantum in conferentiis et in periodicis, ut aiunt, vulgarizationis, sed in libris quoque theologicis, imo et in publicis documentis ... Aliud porro est verba Pauli citare, eaque in sensu plus minus accommodatio usurpare; aliud ex his verbis dogma catholicum episcopatus demonstrare.

Alterum monitum dabit archiepiscopus *Rosanensis*. Qui rursus in Concilio Tridentino quibusdam Patribus verba Pauli (Act. XX, 28) nimium prementibus, quippe quae fuissent citata in decreto de Residentia episcoporum, opportune admodum respondebat: « Licet in hoc eodem Concilio in decreto de Residentia inductus sit (hic locus Act. de episcopis), *aliud est enuntiative aliquid in praefatione quasi incidenter dicere, aliud super hoc fundamento canonem fidei construere* ». Conc. Tridentinum, Ehes IX, 120.

Tertium monitum, omnium gravissimum, est Patris Laynez. Qui suffragium daturus decretis de Ordine et Residentia

episcoporum in ultima et definitiva Congregatione generali die 15 Iulii 1563 celebrata, haec gravissima verba protulit:

« Istae opiniones de residentia et iurisdictione an sint de iure divino et a Christo, sunt controversae tantum inter catholicos. Modus terminandi haec non est ut clare damnetur aliqua ex his opinionibus; nam ita bona pars catholicorum damnaretur. *Tutius ergo esset tacere; quando id non possumus, non displicent causa concordiae haec decreta, quamvis possint trahi in varios sensus. Et possunt pie exponi singula verba* ».

Quod theologi Tridentini praevidebant, quod Laynez anxie verebatur, id reapse accidit. Decretum Tridentinum de Ordine ita est redactum, ut possit pie intelligi, sed possit etiam in varios sensus trahi. Tristi experientia docemur illud non raro in falsum sensum detorqueri. Verba apostoli Act. XX, 28 in Tridentino — idem prorsus dixeris de Vaticano — sunt inserta sola *concordiae causa*, nec ullo didactico aut exegetico scopo. Talia porro verba urgere, premere, sicque exegeticam libertatem immoderatus praepedire, arbitramur satioribus methodi scientificae principiis, ipsi quoque legitimo progressui theologico, vehementer adversari.

Summa pedagogica huius scholii continetur hac simplici observatione: In concinnando argumento theologico positivo, sive biblicum illud sit sive patristicum, sive conciliare, opus est magna cautela, maxima prudentia.

Scholion. III — *De problemate Hieronymiano.*

Quaestio de vera mente Hieronymi circa episcopatum est vere difficilis et ingenia criticorum mirabiliter exercuit. Difficultas maxime oritur e quatuor locis seu textibus, quorum duo sunt principales, alii duo secundarii. Textus principales sunt:

a) Commentarium ad Titum I, 5 sq. ML: XXVI, 596 sq.: « Audiant episcopi qui habent constituendi presbyteros potestatem ... Idem ergo est presbyter qui et episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Post-

quam autem unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putaverat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur ... Haec propterea ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos et episcopos, paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicuti ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae constuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos; ita episcopi noverint se consuetudine, magis quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in communi debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet solus praeesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum indicaret ».

b) Alter textus reperitur epistula 146 ad Evangelium n. 1-2: « Legimus in Isaia: Fatuus fatua loquetur. Audio quendam in tantum erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est, episcopis anteferet. Nam cum apostolus conspicue doceat eosdem esse presbyteros quos et episcopos, quid patitur mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quaeris auctoritatem? Audi testimonium ... Quod autem postea unus electus sit, qui ceteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesias rumperet. Nam et Alexandria a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? Nec altera romanae urbis ecclesia altera totius orbis iudicanda est ». ML. XXII, 1192.

c) Tertius textus reperitur in epistula 69 ad Oceanum, n. 3: « In utraque epistula (ad Timotheum et Titum) sive presbyteri sive episcopi, quamvis apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerint, quia illud nomen dignitatis est, hoc aetatis, iubentur monogami in Clerum eligi ». ML. XXII, 569.

d) Quartus textus repetit eandem identitatem: « Et ne casu hoc dixisse videatur, ad Titum quoque super presbyteris, quos et episcopos intelligi vult, ordinandis, eadem cau-

tela servatur ». In Commentario ad Aggaeum II, 11 sq. ML. XXV, 406.

Ex his porro textibus oritur difficultas triplex: Videtur namque Hieronymus docere identitatem presbyteri et episcopi; hinc negare superioritatem episcopi supra presbyterum iure divino inductam — videtur quoque negare originem divinam episcopatus monarchici — quin immo videretur negare ipsam episcopatus institutionem divinam saltem quoad potestatem iurisdictionis.

Positio criticorum varia est apud ipsos etiam catholicos tum veteres, tum recentes. Protestantes imprimis Presbyteriani mordicus tenent Hieronymum negasse divinam episcopatus institutionem: Sic Calvin, Dalmatius, Blondel, Franc. Budæus, cuius sunt haec verba: « Nihil aut luculentius, aut ad nostram sententiam accomodatius dici poterat ».

Positio catholicorum in triplicem turmam distribui potest: Alii putant Hieronymum in tota hac materia graviter errasse, immo fuisse damnatum ab Ecclesia in Aerio, in Waldensibus, in I. Wicclefo: sic M. Medina, quem sequitur Vazquez. — Alii volunt trahere Hieronymum in sensum orthodoxum: sic iam S. Thomas, Baronius, Bellarminus et potissimum Mamachus, Frasen, Perrone, et recentius Michiel, Forget, Ruffini, d'Herbigny, van Laak. — Alii opinantur Hieronymum non satis sibi cohaerere: sic Sanders distinguit Hieronymum historicum a Hieronymo exegeta. Tixeront et Batiffol accusant Hieronymum erroris contra communem Patrum sententiam in quaestione de episcopis iure divino superioribus prae presbyteris in linea iurisdictionis.

Vera Hieronymi sententia ut melius pateat, examinanda ex ordine erunt: notio episcopatus — Forma regiminis episcopalis — Transformatio regiminis collegialis in episcopatum monarchicum — Ansa, causa, tempus, natura, effectus, transformationis — Origo divina episcopatus quoad potestatem ordinis et iurisdictionis — Origo episcopatus monarchici.

Notio episcopatus

Notio episcopatus perspicue datur a Hieronymo cum etymologica, tum realis.

Notio etymologica traditur in epistula ad Evangelum occasione textus Petrini (I Petr. V, 1): « Presbyteros in vobis precor compresbyter regere gregem Christi et inspicere non ex necessitate, sed voluntarie iuxta Deum. Quod quidem graece significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes, unde et nomen episcopi tractum est ».

Notio realis episcopatus adumbratur in Commentario ad Titum, dum notatur discrimen inter presbyterum et episcopum: « Putat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam episcopum et presbyterum unum esse, et aliud aetatis, aliud esse *nomen officii*? » Hinc patet episcopatum consistere in *quodam officio* vel etiam dignitate, ut dicitur in ipsa epistula ad Evangelum: « Presbyter et episcopus, aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen ».

Officia episcopi describit Hieronymus in Commentario ad Sophoniam (ML. XXV, 1322): « Episcopi quippe dant baptisma, et ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum chrismatis, manus imponunt, catechumenos erudiunt, levitas et alios constituunt sacerdotes ». Nova officia alibi recenset: huc spectant: praedicare verbum Dei (epistula ad Heliiodorum, n. 8; Dialog. adv. Lucif. 21 ML. XXIII, 184), peccata absolvere et peccatorem cum Ecclesia reconciliare, excommunicationis poenam imponere (Epistula 7 ad Oceanum Hilberg, III, 199. Item in Mat. 16, 19 ML. XXVI, 122). Nova episcopi potestas commemoratur in Commentario ad Titum: « Audiant episcopi qui habent constituendi presbyteros per urbes singulas potestatem » (ML. XXVI, 596). De potestate confirmandi baptizatos expresse loquitur in Dial. contra Lucif. (ML. XXIII, 172): « Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a maioribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impositurus excurrat ».

Summatim ergo: Episcopi est dare baptisma, Eucharistiam celebrare, baptizatos manuum impositione confirmare, levitas sacerdotes consecrare, catechumenos erudire, verbum Dei praedicare, poenitentes fideles absolvere, excommunicare, presbyteros per civitates singulas constituere, ecclesiam

regere. Horum officiorum alia sunt communia episcopis et presbyteris, alia propria episcoporum.

Officia propria et exclusiva episcopi sunt quattuor secundum Hieronymum: confirmare baptizatos, oleum chrisma-tis facere, ministros ecclesiasticos ordinare, presbyteros per civitates constituere; horum tria sunt propria episcopi *de facto*; unum saltem *de facto et de iure* nempe ordinare ministros. Sic erui videtur ex his quae asserit in epistula ad Evangelum: « Quid enim facit episcopus, *excepta ordinatione*, quod presbyter non faciat? » Ergo differentia maxima fundamentalis et radicalis inter episcopum et presbyterum posita est in facultate seu *potestate ordinandi*. Cetera quidem solus episcopus reapse facit, hoc vero ultimum ita facit solus episcopus, ut alii *non possint facere*.

Duplex ergo notio episcopi ad mentem Hieronymi distinguenda videtur. Alia *plenior*, propria eius qui potest *omnia* officia episcopalia peragere; alia vera quidem, sed *minus plena* propria illius qui aliqua vel pleraque officia episcopalia praestare potest.

Forma regiminis ecclesiastici

Duplex forma regiminis ecclesiastici distinguitur a Hieronymo: alia missionaria et mobilis, alia fixa et stabilis. Primam exercent apostoli et eorum delegati seu cooperatores, quales fuerunt Timotheus, Titus, Artemas, Tichicus, etc. Aliam exercent hierarchae seu praepositi locales; at haec iterum duplex: alia monarchica seu unitaria, alia collegialis.

Regimen missionarium quod attinet, Hieronymus distinguit inter apostolos, qui sunt architecti ecclesiarum fundamenta ponentes, et apostolorum delegatos seu cooperatores, qui sunt artifices inferiores, quorum est sedes super fundamenta collocare. Sic in Commentario ad Titum I, 5: « Apostolicae dignitatis est ecclesiae iacere fundamentum, quod nemo potest ponere nisi architectus ... Quod inferiores artifices sunt, hi possunt sedes super fundamenta construere ». Tum architecti seu apostoli, tum artifices inferiores seu apostolici

cooperatores sunt rectores ecclesiastici missionarii seu mobiles. De Tito asserit Hieronymus quod Paulus reliquit eum Cretae « ut rudimenta nascentis ecclesiae confirmaret ... *ipse pergens ad alias nationes*, ut rursum in eis iaceret Christi fundamentum ». Similia scribit in Commentario ad Titum II, 12: « Legimus: hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae deerant corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui. Ut, quia Cretenses nuper crediderant recedente Paulo, et *ad alias ecclesias transeunte*, non dimitterentur orphani, sed haberent apostolicum virum, qui ea quae videbantur deesse corrigeret. Quia ergo post fundamentum aliarum ecclesiarum necessarius erat Titus, qui aedificium superstrueret, scribit ei ut, cum Artemam vel Tichicum, unum scilicet e duobus qui secum fuerant, Cretam misisset, impleturum locum ejus, ipse Nicopolim veniret ... Necessarium habet Titum in ecclesiae ministerium, tamen non eum ante ad se vult venire, *nisi in locum eius Artemas vel Tichicus successor advenit* » ML XXVI, 633 sq. Hinc patet apostolos et apostolicos viros esse rectores ecclesiarum non fixos et stabiles, sed mobiles potius et missionarios.

Forma regiminis monarchici existit secundum Hieronymum, et quidem ab initio, saltem in quattuor magnis ecclesiis: hierosolymitana, romana, alexandrina et antiochena. En testimonia de ecclesia *hierosolymitana*: « Iacobus post passionem Domini statim ab apostolis Hierosolymorum episcopus ordinatus est ... Triginta annis rexit ecclesiam » (De viris ill. 15, 1, edit. Richardson, p. 7). Porro Iacobus habuit successorem Simonem, ut expresse asseritur in Comment. ad Galatas (ML XXVI, 355): « Hic autem Iacobus episcopus Hierosolymorum primus fuit ... successorem habuit Simonem ». De ecclesia *romana*: « Clemens fuit quartus episcopus post Linum et Cletum » (De viris Ill. 15, Richardson, p. 17). « Stephanus fuit episcopus romanus vigesimo-secundus post Petrum » (Dial. contra Lucif. 23 ML XXIII, 186). De ecclesia *alexandrina* superius attulimus testimonium quod legitur in epistula ad Evangelum: « Alexandriae inde a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopum presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant » (ML XXII, 1192). Ecclesiam *antiochenam* quod atti-

net, Ignatius fuit « antiochenae episcopus tertius post apostolum Petrum » (De viris ill. 16, Richardson, p. 17). Theophilus est eiusdem ecclesiae septimus episcopus post Petrum apostolum (De viris illustr. 8, Richardson, p. 12).

Haec testimonia illustrem habent confirmationem ex Chronicis Eusebii a S. Hieronymo interpretatis: « Ecclesiae Hierosolymitanae primus episcopus ab apostolis ordinatus Iacobus, qui et habitus est frater Domini » (ML 27, 445) — « Petrus apostolus, cum primum ecclesiam antiochenam fundasset, Romam mittitur, ibique evangelium praedicans 25 annis eiusdem urbis episcopus perseverat » (ML XXVII, 449). « Post Petrum primus ecclesiam romanam tenuit Linus annis duodecim » (ML XXVII, 453). « Post Marcum evangelistam primus alexandrinae ecclesiae ordinatur episcopus Anianus, qui praefuit annis 20 » (ML XXVII, 453). « Antiochia secundus episcopus ordinatur Ignatius » (ML XXVII, 455).

Alias ecclesias quod attinet, remanent colligenda pauca quaedam testimonia. De ecclesia *Atheniensi* scribit Hieronymus: « Quadratus apostolorum discipulus, Publio Athenarum episcopo, ob Christi martyrium coronato, in locum eius substituitur et ecclesiam grandi terrore dispersam fide et industria sua congregat » (De viris ill. Rich. 19, p. 19). Ecclesiae *colossensis* primus episcopus verisimiliter est Archipus de quo Paulus ad Philem. 5, 2 et ad Coloss. 4, 17 (ML XXVI, 642). Ecclesiae corinthiacae primus episcopus recensetur Apollo (ante schisma) Comment. in Titum III, 13 (ML XXVI, 631). Polycarpus exhibetur ut episcopus ecclesiae *Smyrnensis* a Ioanne apostolo ordinatus (De viris ill. Rich. p. 17). Papias, item discipulus Ioannis, est episcopus ecclesiae *Hierapolytanae* (De vir. ill. Rich. p. 19).

Forma regiminis collegialis primitiva perspicue docetur a Hieronymo primo quidem in Comm. ad Titum: « Idem ergo est presbyter qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe

decretum est ut unus e presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur » (ML XXVI, 596 sq). Similiter in epist. ad Evangelum, postquam multis textibus biblicis demonstravit identitatem presbyteri et episcopi, concludit: « Quod autem postea unus electus est, qui ceteris praeponebatur in schismatis remedium factum est; ne unusquisque ad se trahens ecclesias Christi rumperet » (ML XXII, 1192 sq).

Natura hujus regiminis collegialis nequit plene intelligi, nisi accurate determinentur: a) habitudo presbyteri ad episcopum in his hierarchis localibus — b) gradus sacerdotalis horum ministrorum, qui dicuntur presbyteri-episcopi — c) character potestatis ipsorum num sit potestas iurisdictionis propria et ordinaria an potius delegata.

Primum punctum quod attinet, Hieronymus fortiter premit identitatem realem presbyteri et episcopi, eamque probat duplici argumento, biblico nempe et historico. Quattuor testimonia biblica allegantur in Comm. ad Titum: Philipp. 1, 1; Act. 20, 28; Hebr. 13, 17; I Pet. 5, 1-2. Iidem textus citantur in epistula ad Evangelum. Quibus quattuor novi adduntur: I Tim. 4, 14; Tit. 1, 5 et 7; II Ioan. 1, 1. Argumentum *historicum* textibus biblicis adiungitur in hac epistula ad Evangelum: « Nam et Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum et in gradu excelsiori collocatum; episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus quod presbyter non faciat? Nec altera romanae urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est » (ML XXII, 1194). In quo sit posita vis argumenti historici, aut quem in finem afferatur a Hieronymo casus singularis ecclesiae Alexandrinae disputant doctores. Alii putant Hieronymum extollere privilegium presbyterorum alexandrinorum, quippe qui habent facultatem eligendi episcopum ..., alii potius opinantur casum singularem ecclesiae alexandrinae ideo potissimum commemorari, quia sic historice confirmatur conclusio biblica superius demonstrata de identitate episcopi et presbyteri. Episco-

pus nempe alexandrinus ex eo tantum quod a presbyteris eligitur et nominatur iam est vere episcopus antequam consecratur et sacerdotio summo ditetur. Quid enim facit, excepta ordinatione episcopus quod presbyter non faciat? Res tota illuminari potest ex aliis testimoniis historicis, quae singularem ecclesiae alexandrinae consuetudinem describunt.

Gradus sacerdotalis collegii presbyteralis primitivi qualis sit in mente Hieronymi non clare apparet; hinc non est mirandum quod critici dissentiant inter se. Dom. Sanders fortiter tenet hos presbyteros primitivos esse sacerdotes primi ordinis. Alii ut *Michiels* opinantur esse sacerdotes secundi ordinis. Haec secunda opinio praeferenda omnino videtur. Hieronymus vult probare identitatem presbyteri et episcopi. Id ut ostendat, appellat ad S. Scripturam. Primus occurrit ei textus Pauli ad Philipp. 1, 1: Paulus et Timotheus ... omnibus sanctis qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis. Philippi una urbs est Macedoniae et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus. Episcopi, ut *nuncupantur*, sunt certe sacerdotes primi ordinis. Atqui presbyteri Philippenses non sunt episcopi ut nuncupantur, quum sint plures. Sunt ergo sacerdotes secundi ordinis. At id ipsum luculentius demonstratur examinata conclusione a Hieronymo deducta: « Sicuti ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae consuetudine esse subjectos ei, qui sibi praepositus fuerit, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores ». Hieronymus ex origine humana transformationis collegii presbyteralis primitivi ad hodiernum episcopatum monarchicum deducit presbyteros hodiernos (sui temporis) esse subjectos episcopo iure non divino sed humano. Presbyteri porro sui temporis sunt certissime sacerdotes secundi ordinis. Atqui haec conclusio minime obtineret, si presbyteri primitivi forent veri episcopi seu sacerdotes primi ordinis.

Sed non est praetermittenda difficultas obvia, quae ex nonnullis testimoniis citatis occurrit. Hieronymus ad probandam identitatem presbyteri et episcopi citat (inter alios textus)

duos desumptos ex II et III Ioannis: « Parva tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba evangelica filius tonitruum quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluentia potavit. Presbyter electae dominae, et filiis eius, quos ego diligo in veritate » (II Ioan., 1). Et in alia epistula: « Presbyter Caio carissimo quem ego diligo in veritate ». Ioannes apostolus certe erat episcopus vere talis seu summus sacerdos. Porro Ioannes vocat se ipsum presbyterum. Ergo datur quaedam identitas inter episcopum et presbyterum. Sed haec identitas realizatur in eo, qui est sacerdos primi ordinis. Quomodo ergo Hieronymus potest inde probare identitatem inter sacerdotem primi ordinis et presbyterum qui sit sacerdos secundi ordinis?

Hieronymus rursus appellat ad testimonium Pauli in sua epistula I ad Timotheum 4, 14 « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae tibi data est per prophetiam per impositionem manuum presbyterii ». Quomodo inde demonstratur identitas presbyteri et episcopi non clare apparet. Hieronymus videtur argumentari sic: Manus imponere in ritu consecratorio est proprium episcopi. Atqui presbyteri manus imponunt Timotheo consecrando. Ergo sunt veri episcopi; iidem ergo sunt presbyteri et episcopi. At tunc manet duplex difficultas: 1°) Si presbyteri manus imponunt et consecrant, quomodo Hieronymus potuit in antecessum scribere: « Quid enim facit, *excepta* ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » 2°) Si presbyteri consecrantes Timotheum sunt veri episcopi seu sacerdotes primi ordinis, quomodo Hieronymus potuit ex textu probare identitatem inter episcopum et presbyterum qui sit sacerdos secundi ordinis?

Similis difficultas oritur ex alio textu a Hieronymo invocato Hebr. 13, 17: « Obedite praepositis vestris, et subiaccete eis ». Quomodo ex hoc textu potest demonstrari identitas presbyteri et episcopi? Hieronymi argumentum videtur esse huiusmodi: In ecclesia hebraeorum sunt multi praepositi. Atqui in una ecclesia non possunt esse plures veri episcopi. Ergo hi praepositi sunt presbyteri sacerdotes secundi ordinis. Sed ex alia parte isti presbyteri sunt praepositi seu rectores ecclesiae. Sunt ergo episcopi quorum est regere ecclesias. Sed rursus

manet gravis difficultas: Ex hoc tali argumento probatur quidem identitas inter presbyterum et episcopum, qui sit sacerdos secundi ordinis; at non probatur identitas inter presbyterum et episcopum qui sit sacerdos primi ordinis. Ex alia parte notetur diligenter id quod Hieronymus docuerat de episcopatu monarchico ecclesiae hierosolymitanæ, cuius primus episcopus fuit Iacobus, frater Domini. Ecclesia ergo hebraeorum nequit dici ad mentem Hieronymi gubernata communi consilio praepositorum, qui forent omnes sacerdotes secundi ordinis.

Nova difficultas surgit ex invocato a Hieronymo textu Petri: (I Petr. 5, 1) « Presbyteros in vobis precor compressbyter, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte ». Inde Sanders argumentatur pro sua theoria duplici modo: a) Petrus vocat se presbyterum. Atqui Petrus erat sacerdos primi ordinis. Ergo Presbyteri de quibus agit Hieronymus erant sacerdotes primi ordinis. b) Episcopi est regere ecclesiam. Atqui presbyteri ad quos loquitur Petrus regunt ecclesiam. Ergo sunt veri episcopi seu sacerdotes primi ordinis. At dubitari merito potest, num Sanders mentem Hieronymi sit recte assecutus. Argumentatio Hieronymi posset sic concipi: Petrus loquitur ad plures presbyteros. Atqui in una ecclesia plures, ut nuncupantur, episcopi esse non possunt. Ergo sunt presbyteri episcopi sacerdotes secundi ordinis.

Dices: Quid ergo tandem dicendum de vera mente Hieronymi?

a) *Quod attinet regimen ecclesiarum*, regimen collegiale, a Hieronymo assertum, nequit intelligi plene universale. Etenim ipse Hieronymus, ut superius estendimus, exhibet varias ecclesias, praeprimis quattuor magnas ecclesias romanam, alexandrinam, hierosolymitanam, antiochenam *ab initio* monarchice gubernatas.

b) *Quot attinet gradum sacerdotalem presbyterorum-episcoporum*, duplex hypothesis manet possibilis: Vel Hieronymus non semper sibi cohaeret, et quandoque utitur quibusdam exaggerationibus vel asserit identitatem presbyteri et episcopi modo quodam generali et indeterminato, ita ut iidem episcopi presbyteri sint aliquando sacerdotes primi ordinis,

alias sacerdotes secundi ordinis, vel asserit praefatam identitatem non *in ipsa potestate* episcopali sed potius *in nomine* et *in ipso exercitio* primaevo potestatis regiminis.

Remanet examinanda quaestio de natura potestatis eorum qui dicuntur presbyteri-episcopi: estne *ordinaria* et propria, an potius *delegata*? Problema de natura iurisdictionis collegii presbyteralis potest considerari primo quidem objective seu in se, secundo subiective seu in mente et doctrina Hieronymi.

Si quaestio in se spectatur, videtur omnino tenendum iurisdictionem horum presbyterorum esse non ordinariam sed delegatam. Princeps huius rei argumentum illud est quod apostoli fundatores ecclesiarum retinent ipsi potestatem harum ecclesiarum usque ad mortem; nec mere retinent, sed eam multifariam exercent. Paulus cuius historiam melius novimus gubernat suas ecclesias opera sive propria et personali, sive aliena delegatorum.

Propriam quidem exercet scribendo litteras, visitando identidem communitates locales, ibique praedicando, iudicando, cultum celebrando, constituendo ministros etc. Sed utitur quoque in regimine ecclesiarum duplici ministerio delegato: Uno mobili et missionario delegatorum, altero fixo et stabili collegii presbyteralis. Porro sicut potestas cooperatorum missionariorum est delegata, tunc etiam quando hi delegati praeficiuntur modo quodam transitorio alicui ecclesiae, sic etiam potestas collegii presbyteralis dicenda est delegata. Verus ergo episcopus harum ecclesiarum est et manet apostolus.

Si mens et doctrina Hieronymi in hoc puncto quaeratur, primo quidem quaeri posset num sancto Doctori sufficienter innotuerit nostra hodierna divisio potestatis iuridicae in ordinariam et delegatam, propriam et vicariam. Hoc unum affirmare sufficiat eam nunquam recurrere in suis scriptis. Dato dein et non concessio Hieronymum novisse hanc talem distinctionem, potest quaeri quid in praesenti casu presbyterorum tenuerit. Responsio est vere difficilis, quia nullum vestigium huius distinctionis apparet in scriptis Doctoris Maximi. Hieronymus hoc unum premit et urget ecclesias initio fuisse

gubernatas *de facto* communi consilio presbyterorum, deinceps vero ad unum fuisse delatam omnem ecclesiae curam. At Hieronymus ulterius novit et admittit collegium presbyterorum fuisse subiectum tum apostolo fundatori, tum etiam cooperatori seu delegato apostolico. Hinc facile intelligitur quod optimi critici ut Michiels, Forget, D'Herbigny, tenent potestatem collegii presbyteralis fuisse pro Hieronymo non ordinariam sed delegatam.

Dicēs: Hieronymus saepe asserit eundem esse presbyterum et episcopum. Atqui potestas episcopi est ordinaria. Ergo etiam presbyteri. Resp. — Distinguo Maiorem: Hieronymus asserit identitatem presbyteri et episcopi ubi agitur de sacerdote secundi ordinis, conc.; ubi agitur de episcopo sacerdote primi ordinis, subd.; asserit identitatem adaequatam, nego; inadaequatam, conc. Hieronymus expressis verbis reservat episcopo potestatem ordinis. Quod attinet potestatem iurisdictionis, Hieronymus docet identitatem presbyteri et episcopi spectato *exercitio* potestatis regiminis, idque pro tempore antecedente decretum apostolicum de quo supra. At Hieronymus nusquam docet esse ordinariam potestatem regiminis exercitam sive ab episcopo, sive a presbytero, sive a collegio presbyterali, quandiu hoc collegium manebat subiectum potestati sive apostoli sive delegati apostolici.

Oportet ergo fateri remanere obscuritatem magnam in hoc puncto doctrinali quod, rem nostram quod attinet, habet momentum capitale. Etenim si potestas collegii presbyteralis est delegata, constitutio harum ecclesiarum nequit dici *stricte collegialis*; sed manet quodam modo monarchica, cum potestas *ordinaria* localis non sit, inter plures condivisa, sed uni tantum apostolo (vel delegato) inhaerens.

Transformatio regiminis collegialis

Transformatio regiminis collegialis in episcopatum unitarium nequit plene intelligi, nisi accurate determinentur ipsius occasio seu motivum, tempus, causa efficiens, terminus a quo,

terminus ad quem transformationis. Singula ordinate examinemus.

Motivum transformationis duplex assignatur in commentario ad Titum: studium ex parte fidelium dicentium: ego sum Pauli, ego Apollinis, ego Cephae; superbia vel partialitas ex parte ipsorum presbyterorum putantium vel contendentium suos esse, non Christi, eos quos baptizabant. In epistula ad Evangelum solum assignatur culpa presbyterorum Ecclesiam Christi rumpentium.

Tempus transformationis quod attinet, aliqui opinantur illud assignari in ipso commentario ad Titum: foret nempe ipsum tempus schismatis corinthiaci. At hoc schismate indicari quidem motivum vel genus motivi generatim admittitur; tempus vero ipsum designari ab aliis negatur; merito quidem. Primo notetur Paulum agere de factionibus fidelium, non vero de culpa rectorum ecclesiasticorum; Hieronymus vero de hac culpa potissimum loquitur. Dein advertatur iuxta Hieronymum ecclesias ante schisma gubernari collegialiter; sed ipse Hieronymus docet primum ecclesiae corinthiacae episcopum fuisse Apollo, qui durante dissidio inde discessit iterum reversurus post dissidium litteris Pauli sublatum: « Iste est Apollo de quo ad corinthios scribitur: unusquisque vestrum dicit: ego sum Pauli, ego Apollo... Fuit autem vir Alexandrinus ex Iudaeis, valde eloquens et perfectus in lege, episcopus Corinthiorum, quem propter dissensiones quae in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam, cum Zena legis doctore putandum est transfretasse; et Pauli epistula dissensionibus, quae Corinthi ortae erant, temperatis, rursum Corinthum revertisse » (ML. XXVI, 631). Postremo iuvat observare apostolos iuxta Hieronymum (ML. XXVI, 195) ordinasse episcopos et presbyteros per *singulas provincias*. Hi porro episcopi, ab apostolis ordinati, vel sunt episcopi ecclesias monarchice regentes, quo in casu episcopatus monarchicus inductus iam fuisset ipso tempore apostolico in singulis provinciis; vel sunt episcopi ecclesias collegialiter gubernantes, quo in casu collegia presbyteralia nequeunt dici constituta solis presbyteris seu sacerdotibus secundi ordinis.

Causa transformationis non potest tuto assignari, nisi prius determinetur natura decreti, quod toto orbe asseritur. Agitur de vero quodam decreto apostolico, an potius de consuetudine nomine decreti designata? Hieronymus primo quidem commemorat decretum; « in toto orbe decretum est »; inferius tamen loquitur de consuetudine: « sicuti ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi prae-positus fuerit esse subiectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse maiores ». Quod si de vero decreto ageretur, nondum apparet num sit quaestio de uno decreto toti orbi applicato, an potius agatur de multis et successivis decretis particularibus hac illac promulgatis pro opportunitate temporis. Causa ergo principalis decreti num fuerit apostolica, num subapostolica et ecclesiastica, utrum papalis, an conciliaris, nequit clare definiri. Hoc unum asseri certo potest: fuisse auctoritatem competentem et legitimam cum Hieronymus nusquam dubium moveat de legitimitate decreti. Ceterum inter decretum, si quod reapse fuerit, eiusque applicationem universalem, aliquod spatium temporis plus minus longum collocandum videtur, cum ipse Hieronymus scribat: « haec propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos et episcopos, paulatim vero, ut dissensionum plantaria delerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam ».

Natura intima transformationis pendet a natura termini a quo et termini ad quem praefatae mutationis: uterque ergo examinandus venit.

Terminus a quo est regimen collegiale. Utrum haec collegialitas sit stricta, an late dicta, pendet a controversa superius quaestione tum de gradu sacerdotali horum presbyterorum, tum de indole seu caractere ipsius potestatis. Vidimus non nihil obscuritatis ac incertitudinis remanere in prima quaestione, num hi presbyteri sint sacerdotes primi an secundi ordinis, an forte inter presbyteros sit unus qui sit verus episcopus, ut suaderi forte videretur ex casu ecclesiae Hierosolymitanae, ubi simul cum aliis praepositis adest episcopus Iacobus, eiusque successores ... Quod si potestas presbyterorum concipienda foret ad mentem Hieronymi, ut potestas de-

legata, collegialitas esset late dicta, quae de se non obstat regimini monarchico vel apostolico.

Terminus ad quem est effectus productus per transformationes: effectus principalis est regimen monarchicum et episcopale: primo quidem monarchicum stricte tale, in quo omnis cura et sollicitudo pastoralis *ad unum* delata est; dein episcopale: ille unus tempore Hieronymi est certe verus episcopus, i. e. sacerdos primi gradus. Eratne sic ab initio? Quando incepit esse talis? Ante vel post decretum? Si primum, iterum concludendum foret, in primitivo presbyterorum collegio saltem unum fuisse sacerdotem primi gradus. Si alterum, oportebit admittere obiectum seu effectum decreti fuisse duplex: *a)* suppressere omnem collegialitatem; *b)* transformare potestatem regiminis ex sacerdotio secundi gradus ad sacerdotium primi gradus.

Ultimus effectus transformationis fuit determinare superioritatem episcopi supra presbyterum. Qualis est ista superioritas? Hieronymus asserit episcopos esse presbyteris superiores *magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate*. Quanam est vera significatio huius pericopes? Triplex sensus videtur esse possibilis: 1° Episcopi (tempore Hieronymi) habent duo: sunt sacerdotes primi ordinis, et sunt etiam rectores ecclesiarum monarchici, presbyteris superiores quoad potestatem iurisdictionis; consequenter episcopi sunt presbyteris superiores duplici superioritate: prima in potestate ordinis, altera in potestate iurisdictionis: prima superioritas est iuris divini, altera iuris ecclesiastici. 2° Cum Hieronymus expresse dicat episcopos esse presbyteris superiores magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, liceret verba S. Doctoris sic interpretari: superioritas (iuridica) episcopi supra presbyterum fundatur duplici titulo: uno principali iuris ecclesiastici, altero minus principali iuris divini. 3° Quod ecclesiae regantur ab episcopis est quidem iuris divini, sed quod episcopus gubernet ecclesiam regimine implicante *totam* ecclesiae curam *ad unum* delatam i. e., excludendo presbyteros ab omni regiminis consortio, est iuris humani. Siquidem Christus non instituit tale regimen cum tali exclusione, nec initio aevi apostolici viguit tale regimen, sed fuit auctoritate huma-

na inductum ad tollenda dissentionum seminaria. Haec ultima interpretatio illustrem habet intellectum et confirmationem ex contextu proxime consequenti. Scribit namque Hieronymus « noverint episcopi se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate esse presbyteris maiores, et in communi debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui *cum haberet solus praeesse* populo Israël, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret ». Ubi clare distinguit inter *potestatem*, quam unus habet Moyses, et *exercitium* potestatis, quod Moyses voluit esse commune.

Origo divina episcopatus

a) *Quoad potestatem ordinis*: Auctores catholici unanimiter docent Hieronymum admisisse originem divinam episcopatus quoad potestatem ordinis. Merito quidem: etiam in ipsa epistula ad Evangelum aperte fatetur scribens: « Quid facit, *excepta ordinatione*, episcopus, quod presbyter non faciat? » Episcopo ergo reservatur de facto et *de iure* potestas ordinis: presbyter *non potest* ordinare valide. Ratio huius impotentiae non est alia, quam origo *sacramentaria* huius potestatis, ideoque revocanda est ad ius divinum.

b) *Quoad potestatem iurisdictionis*: De divina huius potestatis origine secundum Hieronymum a nonnullis dubitatur; sed immerito, ut videtur.

En indicia vel argumenta admissae a Hieronymo iurisdictionis divinitus institutae:

Primo quidem Hieronymus aperte docet episcopos proprie tales esse successores et quidem formales apostolorum in potestate iurisdictionis.

In epistula quadragesima prima (ad Marcellam) scribit: « Apud nos apostolorum locum episcopi tenent; apud eos (montanistas) episcopus tertius est. Habent enim primo de Papussa Phrygiae patriarchas, secundo quos appellant canonas; atque in tertium i. e. paene ultimum locum episcopi devolvuntur, quasi exinde ambitiosior religio fiat, si quod apud nos primum est, apud illos novissimum ». Non minus clara

sunt quae scribit ad Evangelium: « ceterum omnes (episcopi) apostolorum successores sunt ». Haec porro successio non est materialis, sed vere formalis, ut ostendunt in primis ipsae locutiones seu formulae a Hieronymo adhibitae: episcopum stare loco apostoli, tenere locum apostoli, continuare apostolum, possidere honorem apostoli et his similes. Id rursus apparet ex modo argumentandi contra luciferianos. Quaerens nempe quare baptizatis a presbytero vel diacono episcopus tantum manus imponat et Spiritum Sanctum det, provocat ad factum descensionis Spiritus in die Pentecostes; ideo nempe episcopus imponit manus et dat Spiritum Sanctum quia hic Spiritus *in apostolos* descendit (ML XXIII, 172); quae ratio aperte supponit successionem esse formalem. Episcopi ergo non mere continuant materialiter et temporaliter apostolos, sed horum locum, gradum, honorem, potestatem, munus participant. Porro si episcopi in iurisdictione formaliter succedunt apostolis, eo ipso sunt divinitus instituti; non enim possent succedere in potestate, quae ex divina institutione debuisset extinguī in morte apostolorum.

Secundo: Hieronymus commentans evangelica Christi verba: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi (Mt. 28, 18 sq.), scribit: « Qui usque ad consummationem saeculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper victuros, et se a credentibus nunquam recessurum » (ML XXVI, 228). Ubi divina episcopatus (iuridici) institutio implicite asseritur. Christus promittens se futurum cum apostolis usque ad consummationem saeculi, eo ipso promittit « et illos (apostolos) semper victuros ». Atqui apostoli non sunt semper victuri in sua persona physica, quippe qui mortales. Vivent ergo semper in suis successoribus episcopis, qui unam cum ipsis personam moralem constituent. Hinc facile intelligas quare Hieronymus adeo fidenter appellat ad notam apostolicitatis scribens: « in illa Ecclesia perseverandum, quae ab apostolis fundata, usque ad hanc diem durat » (ML, XXIII, 190).

Tertio: Tertium testimonium harmonice cohaeret cum secundo; reperitur in Breviario in Psalmos, dum commentatur verba psalmi 44: « Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii » scribit: « Fuerunt, O Ecclesia, apostoli patres tui, quia ipsi te genuerunt. Nunc autem quia illi recesserunt a mundo, habes

pro his episcopos filios — qui a te creati sunt. Sunt enim et hi patres tui, quia ab his regeris. — « Constitues eos principes super omnem terram » Constituit Christus sanctos suos super omnes populos. In nomine enim Dei dilatatum est evangelium in omnibus finibus mundi, in quibus principes Ecclesiae, id est, episcopi constituti sunt » (ML. XXVI, 1018). Ubi principes, a Deo constituti, intelliguntur episcopi a quibus regitur Ecclesia loco apostolorum.

Quarto: In commentario ad Ephes. 4, 11 notat Hieronymus quod ex illis verbis: « et ipse dedit quosdam quidem apostolos, alios prophetas ... alios autem pastores et doctores » clarissime probatur Patris et Filii unam esse divinitatem. Etenim hi ipsi qui in 1 Cor. XII, 28 dicuntur *positi* a Patre, nunc dicuntur *dati* a Christo. Quoad ultima vero verba: « pastores et doctores » non officia distincta significari sicut in tribus prioribus membris « ut unus atque idem praeses Ecclesiae sit pastor et doctor » (ML. XXVI, 532). Docet ergo Hieronymus pastores et doctores a Deo positos, a Christo datos, esse praesides Ecclesiae. Praesides porro Ecclesiae apud Hieronymum sunt episcopi. Inferius vero advertit hos omnes ordines fuisse a Deo convenienter institutos quia « sunt necessarii ad perfectionem instructionemque fidelium in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, quia cum corpus Domini sit Ecclesia, et Ecclesia de vivis lapidibus construatur, hi quos supra nominavimus in Ecclesia constitutos, id habent operis, ut secundum dispensationem et *officia sibi credita*, Ecclesiam Christi, id est, corpus eius aedificent.

Constat ergo Hieronymum admisisse et docuisse divinitam episcopatus institutionem tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem iurisdictionis. At subito inquires: Si haec ita sunt quomodo Hieronymus potuit asserere presbyteros esse subiectos episcopis iure tantum ecclesiastico? Respondeo: Duo sunt hic accurate distinguenda: 1° num iurisdictionis episcopalis sit divinitus instituta. 2° num subiectum huius potestatis sint iure divino soli sacerdotes primi ordinis. Aliis verbis num Christus paeceperit ut Ecclesiae gubernentur a solis episcopis cum exclusione presbyterorum seu sacerdotum secundi ordinis. Hieronymus asserit quidem presbyteros esse subiectos episcopis iure ecclesiastico; at minime inde sequitur eum ne-

gasse divinam episcopatus iuridici constitutionem, sed hoc solum: Christum non instituisse in Ecclesia illam regiminis ecclesiastici formam, in qua *omnis* ecclesiae cura *ad unum* tantum pertineret.

Origo episcopatus monarchici

Origo episcopatus monarchici num et quatenus ad Christi voluntatem sit referenda remanet investigandum. Primo intuitu videri possit eam aperte negari a Hieronymo; scribit enim ecclesias, antequam diaboli instinctu studia fierent in religione, communi presbyterorum consilio, fuisse gubernatas, deinde vero, ad vitanda schismata regimen monarchicum esse inductum. Unde trahit consequentiam de superioritate episcopi supra presbyterum non tam dispositionis dominicae veritate, quam Ecclesiae consuetudine constituta. At res non est adeo simplex et clara. Ut ergo tota res melius clarificetur et strictius definiatur, utile erit pauca quaedam ex ordine proponere.

Primo quidem Hieronymus statuit principium unde haec origo episcopatus monarchici ad divinam voluntatem aliquantulum trahi possit; et quidem in ipso commentario ad Titum: « Audiant episcopi, qui habent constituendi presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege ecclesiasticae constitutionis ordo teneatur; nec putent apostoli verba esse, sed Christi, qui ad discipulos ait: qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me; sic et vos qui audit, qui autem audit me, audit eum qui misit me. Ex quo manifestum est, eos, qui apostoli lege contempta, ecclesiasticum gradum non merito voluerit alicui deferre, sed gratia, *contra Christum facere*, qui qualis in ecclesia presbyter constituendus est, per *apostolum suum* in sequentibus *executus est* ». Hinc patet ordinationem apostolicam, si quae sit in nostra re, secundum Hieronymum, ad Christi voluntatem saltem mediatam revocari debere.

Novum principium rursus a Hieronymo statuitur, unde origo regiminis episcopalis monarchici ad Christi voluntatem trahi aliquatenus possit. Sic enim decernit in Dial. contra Lucif. (ML XXIII, 173): « Ecclesiae salus in summi sacerdotis

dignitate pendet; cui si non exors quaedam et ab omnibus eminent detur potestas, tot in ecclesiis efficerentur schismata, quot sacerdotes ». Ex quibus divinam episcopatus monarchici voluntas et origo possit in hanc formam suaderi: Sane qui vult finem, vult medium ad illum necessarium. Porro Christus vult ecclesiam suam unam et ab omni schismate liberam. Medium ad hanc unitatem necessarium secundum placita Hieronymiana est potestas suprema summi sacerdotis seu episcopi ab omnibus sacerdotibus veneranda. Quaedam ergo forma episcopatus monarchici ex ipsis principiis Hieronymianis suaderi videtur. Advertatur diligenter et in memoriam revocetur doctrina a Hieronymo tradita de primatu Petri et monarchico totius ecclesiae regimine divinitus constituto ad vitanda schismata: « Super Petrum aedificatur ecclesia, licet ad ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni Coelorum accipiant et ex aequo super eos ecclesiae fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, *capite constituto*, schismatis tollatur occasio ». Si ergo iuxta Hieronymum propterea unus eligitur inter duodecim et in dignitatem capitalem elevatur, ut omnis schismatis tollatur occasio, nonne unus inter presbyteros unius civitatis debuit eligi et dignitati « ab omnibus eminenti » elevari ut dissensionum plantaria evellerentur?

Nova confirmatio inde peti potest, quod Hieronymus quaerens rationem quare potestas imponendi manus in Sacramento confirmationis soli Episcopo reservetur, docet hanc rationem in eo esse sitam, quod Spiritus Sanctus in die Pentecostes *in apostolos* descendit. En verba Hieronymi: « Quod si hoc loco quaeris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus episcopi non accipit Spiritum Sanctum, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad apostolos descendit » (ML XXIII, 72). Nonne haec ratio cum suo consecrario potest tota quanta rei nostrae applicari? Si ratio reservatae episcopis potestatis confirmationis stat in hoc, quod Spiritus Sanctus descendit in apostolos quorum locum tenent episcopi, nonne eadem ratione potestas regiminis ecclesiastici debuit principaliter reservari episcopis, qui sunt successores apostolorum in quos primitus descendit regalis Christi capitis potestas?

Quartum argumentum peti potest ex alibi commemorata doctrina Hieronymi. Qui ex una parte docet in una civitate esse non posse plures episcopos ut nuncupantur, ex alia parte admittit posse in una civitate esse plures presbyteros. Habet ergo sacerdotium primi ordinis secundum Hieronymum quandam oppositionem cum collegialitate seu regimine collegiali, quam sacerdotium secundi ordinis non habet. Unde petenda est haec discrepantia? Hieronymus loquitur de episcopis *ut nuncupantur*. Hi porro episcopi habent duos characteres: Sunt nempe sacerdotes primi ordinis, et sunt quoque episcopi rectores monarchici. Quæritur ergo: Impossibilitas pluralitatis seu collegialitatis petitur ex primo, an ex secundo characterem? an forse ex utroque? Hoc ultimum opinatur Sanders; at immerito, ut videtur. Siquidem Hieronymus ait posse aliquem contentiosè contendere plures esse in una civitate episcopos, ut nuncupantur. At quomodo potest aliquis serio et contentiosè id contendere, cum pluralitas episcoporum monarchicorum sit contradictio in terminis? Conclusio nostra, si vera censeatur, hoc saltem ostendit Hieronymum admisisse et docuisse divinam episcopatus monarchici institutionem sensu saltem negativo, nempe quatenus Christus prohibuit regimen episcopale strictè collegiale, quamvis forte non prohibuerit regimen collegiale in quo unus episcopus gubernaret cum collegio presbyterali sibi subjecto et associato in regimine ecclesiae.

Quinto loco consideranda veniunt ultima verba quibus ipse Hieronymus totam suam argumentationem claudit et coronat in toties laudato commentario ad Titum: « Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis Dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in communi debere ecclesiam gubernare imitantes Moysen, qui cum *haberet solus praeesse* populo Israël, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret ». Ex quibus potest concinnari argumentum suasivum: Sic se habet episcopus secundum Hieronymum, respectu presbyterorum, sicut se habebat Moyses respectu septuaginta discipulorum iudicum. Atqui Moyses iure divino erat superior his septuaginta discipulis. Ergo episcopus iure divino praeest presbyteris, potestque eodem iure monarchice gubernare, quamvis possit etiam, immo ut plurimum debeat presbyteros non excludere ab omni regiminis consortio, sed eosdem sibi

associare. Videtur ergo Hieronymum non omnes episcopatus monarchici formam negasse, sed eam tantum in qua excluditur omnè presbyterorum consortium.

Ultimum argumentum mutuare iuvat ex duobus testimoniis, quae adhuc considerata manent. Primum reperitur in Epistula (41) ad Marcellam ubi legitur: « Quod Aaron et filii eius, hoc esse episcopum et presbyteros novimus ». Atqui Aaron iure divino filiis suis praeeminebat et praeerat. Ergo Episcopus iure divino est presbyteris superior. Advertas ceteroquin formam singularem in episcopo, pluralem in presbyteris. Alterum testimonium reperitur in Ep. (58) ad Paulinum, in qua Hieronymus asserit episcopos et presbyteros exemplum debere habere apostolos et viros apostolicos « quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum ». Unde rursus facilis argumentatio: Eadem est relatio episcopi ad presbyterum, quam fuit apostoli ad virum apostolicum. Atqui apostoli iure divino eminebant viris apostolicis, iisque praeerant. Ergo episcopus secundum Hieronymum iure divino est presbyteris superior.

Conclusio

Fructum longioris discussionis ad pauca quaedam puncta ordinate revocare aliquali utilitate non carebit; sit ergo summa rei:

Primum, duplex notio episcopatus traditur a Hieronymo: Una *plenior* propria eius, qui potest *omnia* officia episcopalia peragere; alia *minus plena* propria illius, qui pleraque officia episcopalia praestare potest.

Secundo, Hieronymus admittit et docet *divinam originem* episcopatus, et quidem tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem iurisdictionis.

Tertio Hieronymus tradit *duplicem formam regiminis* ecclesiastici primaevis: Unam mobilem et missionariam exercitam ab apostolis et viris apostolicis seu delegatis apostolorum; alteram fixam et stabilem. Haec altera rursus duplex: Una *monarchica* ab initio vicens in aliquibus ecclesiis, prae-

primis in quattuor magnis ecclesiis: Hierosolymitana, Romana, Alexandrina, Antiochena; alia *collegialis* vigens in multis ecclesiis communi presbyterorum consilio gubernatis. Haec forma collegialis nequit dici *stricte talis*, excludens omnem formam regiminis monarchici, idque duplici de causa: Primo quia Hieronymus nusquam docet potestatem horum presbyterorum fuisse *ordinariam*, et non delegatam; secundo quia Hieronymus nunquam negat hoc collegium presbyterale fuisse subiectum sive apostolo fundatori, sive delegatis apostolorum, sive episcopis *provincialibus*, quos ab apostolis per singulas provincias constitutos esse docet.

Quarto. Quod attinet ad *relationem presbyterum inter et episcopum* Hieronymus docet: a) Superioritatem episcopi in potestate ordinis; b) Docet quoque superioritatem episcopi in potestate iurisdictionis; c) Hieronymus videtur negare eam episcopi superioritatem, in qua implicatur *omnis ecclesiae* cura et sollicitudo *ad unum* delata.

Quinto. Origo divina *episcopatus monarchici* num a Hieronymo admittatur an potius negetur, obscurius et incertius manet. Nec haec obscuritas turbare te nimis debet. Superius notavimus quaestionem de origine et natura episcopatus monarchici, in actuali scientiae theologicae et historicae stadio obscuriorem esse, quam ut certis et propriis limitibus definiiri possit. Ibi quoque animadvertimus institutionem divinam si quae sit admittenda in hac materia, multifariam imitandam esse. Positio Hieronymi, meo iudicio, non tam creat difficultatem dogmaticam solvendam, quam suscitatur problema historice et dogmatice accuratius investigandum.

THESIS XV

Episcopi ut polleant iurisdictione in suum gregem egent cooptatione R. Pontificis, a quo, et non a Christo illam immediate recipiunt.

Triplicem respectum distinximus in episcopatu: unum ad collegium apostolicum, cuius est legitima successio et iuridica continuatio; alterum ad Christum, cuius est divina ins-

titutio, ut ostendimus in thesi praecedenti. Instituitur iam comparatio cum Romano Pontifice. Iurisdictionem episcopalem dependere a pontificia *in suo exercitio* plane constat ex thesi octava et decima, ubi demonstravimus divinam primatus iuridici institutionem in Petro, cuiusque legitimam continuationem in R. Pontifice. Ulterius quaeritur num etiam *in sua origine* ab eadem pendeat. Quod si aliqua qualiscumque dependentia statuitur, quaeri iterum potest quanta illa sit: num videlicet interventus pontificius requiratur titulo *conditionis* praeviae et necessariae, an potius *verae causae*. Propositae quaestioni respondet thesis duplici parte: quarum prior probat *aliquam* necessitatem approbationis pontificiae, altera vero determinat indolem *causalem* huius approbationis.

I

Cooptatio pontificia necessaria.

1. Duplex datur potestas in episcopo: una *ordinis* quae datur per consecrationem; alia *iurisdictionis*, quae datur per iniunctionem seu legitimam missionem. Haec duplex distinguitur: a) *actualis*, quae nempe actu existit et qua episcopi suos greges pascunt: b) *aptitudinalis*, cuius nomine venit proxima aptitudo et quasi exigentia ad habendam illam priorem. Actualis iurisdictio iterum a nonnullis subdividitur in actualem in actu primo *proximo*, si nempe est expedita ad agendum; et actualem in actu primo *remoto*, si nempe actu datur quidem in episcopo, attamen praepedita est et quasi ligata ad agendum ob defectum alicuius conditionis praerequisitae. Quae ut facilius intelligas iuvari poteris exemplo sive voluntatis, quae in actum prodire nequit sine praevia intellectuali boni propositione, sive intellectus existentis quidem in puero, impotentis tamen ad agendum propter defectum nondum evolutae et maturatae dispositionis cerebralis. Iurisdictio radicalis seu aptitudinalis, quum nihil demum sit aliud quam ipse ordo sacer, vel naturale ipsius consecrarium, a Christo ipso immediate episcopo in consecratione confertur. Hinc tota quaestio revocatur ad iurisdictionem *actualem* et quidem proxime expedi-

tam, quam contendimus nullam esse in episcopo sine cooptatione pontificia.

2. *Cooptatio*, quae etiam assumptio, approbatio, confirmatio dici solet, est actus, quo R. Pontifex episcopum admittit ad regendam aliquam Ecclesiae partem per modum pastoris ordinarii. Qui actus si cadit in personam *electam* a capitulo cathedrali, vocari solet *confirmatio*; si in personam *nominatam* vel *praesentatam* ab aliquo laico privilegiato dici consuevit *institutio* collativa tituli; si vero neutrum contingat, sed ipse R. Pontifex uno eodem actu personam eligit et titulum confert, appellatur *libera collatio*. Vides clare distingui, imo separari posse tres actus: electionem, consecrationem, confirmationem; attamen confirmatio implicari potest in ipsa electione. Tria ergo concurrunt ad creationem episcopi: electio — consecratio — confirmatio: pauca de singulis.

3. *Electio* (generatim) est designatio personae ad officium ecclesiasticum promovendae legitimo quodam modo facta. Tempore apostolico fiebat ab ipsis apostolis vel a viris apostolicis. Qui ad officium episcopale elegerunt viros *probatos*, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum hi primi viri discessissent, alii viri item *probati* munus eorum exciperent. — Tempore proxime insequenti, i. e. saeculo secundo et tertio electio fit concurrente populo, clero et episcopatu provinciali. Cuius rei testis est Cyprianus, qui in epistula 67 (Hartel, p. 739; ML. 3, 1027) tradit praxim africanam, hispanam, quam omnium ferme provinciarum esse ait: « Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique convenient, et episcopus eligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit. Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum, qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, iudicio episcopatus ei deferretur et manus ei in locum Basilidis imponeretur ».

Saeculo quarto recurrit novum elementum i. e. *metropolitanus*, ut apparet ex concilio Nicaeno (325), Antiocheno (341), Sardicensi (343), Laodiceno (381). Concilium Nicaenum c. 4 statuit, ut episcopus consecretur saltem a tribus episcopis. « Confirmatio eorum, quae geruntur, pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum episcopum ». Idem docet et discernit Innocentius I scribens ad Victricium episcopum Rouanensem: « Ut extra conscientiam metropolitana episcopi nullus audeat ordinare episcopum ».

Converso ad Christianismum imperatore, apparent partes imperiales in provisione episcoporum; manent tamen partes populi eiusque concursus, quem papae saepe reclamant. Nota sunt verba Caelestini I ad episcopos Galliae scribentis: « Nullus invitis detur episcopus; cleri, plebis, et ordinis consensus et desiderium requiratur ». Fortiora sunt verba Leonis I ad episcopos Viennenses: « Qui praefecturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeamus qui nec a clericis sunt electi, nec a plebe expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitana iudicio consecrati ». Vides plebem *expetere*, clerum *eligere*, episcopos provinciales *consecrare*, metropolitanum approbare seu *confirmare*.

Interventus imperialis sancitur officialiter (prima vice) ab Ecclesia can. 10 Concilii Aurelianiensis (Orleans) V. Ubi praescribitur ut episcopus « Cum voluntate regis, iuxta electionem cleri et plebis ... a metropolitano cum comprovincialibus pontifex consecretur ». Imperatores incipiunt abuti iure suo iam inde a Constantio, qui deponit Paulum episcopum Constantinopolitanum, eique substituit nefastum Eusebium Nicomediensem; hi abusus nonnunquam induunt formam intolerabilis caesaropapismi. Tempore carolingio et merovingio res eo devenit, ut palatium imperiale fere fiat seminarium episcopatus. Abusus imperatorum et principum provocant demum reformationem Gregorianam.

Saeculo duodecimo et tertiodecimo electio episcoporum fit paulatim monopolium capituli cathedralis. Saeculo decimo quarto res tota incipit centralizari in curia romana ita ut canonica episcoporum provisio fiat per *liberam collationem pon-*

tificiam. Practice tamen in multis regionibus diu remansit triplex provisionis forma: libera collatio Romani Pontificis, electio capitulorum cathedralium, nominatio sive praesentatio regia.

Hodierna disciplina exhibetur can. 329, par. 2 Codicis Iuris Canonici ad cuius normam episcopos « libere nominat Romanus Pontifex ». Accedit canon 332: « Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque gubernio, necessaria est canonica provisio seu institutio, qua episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur ». Haec autem libera collatio pontificia fieri potest, et de facto fit duplici modo: vel per absolute liberam nominationem independentem ab omni praevia supplicatione aut commendatione, vel post praeviam commendationem vario modo factam.

Consecratio: Valida consecratio fieri potest a quocumque episcopo, etiam haeretico aut schismatico. *Licita* consecratio requirit ut serventur regulae a legitima potestae constitutae. Tempore apostolico fiebat ab apostolis, vel a prophetis (?), vel a viris apostolicis seu apostolorum delegatis. Tempore subapostolico videtur facta esse ab episcopis comprovincialibus, ut superius vidimus ex Cypriano. In primo Concilio oecumenico statuitur ut episcopus consecratur a tribus saltem episcopis.

Confirmatio pontificia fieri potest duplici modo: a) *immediate*, si nempe fiat personaliter ab ipso Romano Pontifice; b) *mediate*, si fiat ab alia persona, cui ipse R. Pontifex hanc potestatem concesserit: cogita patriarcham, exarcham, primatem, metropolitanum, etc. Ad hanc mediatam vel implicitam revocatur confirmatio facta iuxta regulas statutas vel approbatas a Sancta Sede. Quin imo, ut notat Dieckmann, « ipsa *communio fraternitatis* atque ordinatio ab episcopis ecclesiae *catholicae* facta potuit considerari tamquam tacita agnitio » seu confirmatio pontificia.

4. Necessitas confirmationis pontificiae intelligi potest vel ad *licitum* tantum exercitium iurisdictionis episcopalis, vel

etiam ad *validum*. Confirmationem pontificiam, uno vel alio modo factam requirimus ad utrumque exercitium, licitum et validum. Ex quibus iam sufficienter innotescit sensus et limes huius primae partis: asserimus nempe nullam esse in episcopis iurisdictionem actualem proxime expeditam ad agendum licite et valide, antequam aliquo modo, immediato vel mediato, explicito vel tacito, assumantur vel cooptentur a Romano Pontifice.

5. *Thesi adversantur* Gallicani rigidiores et Febronius. Iuxta quem confirmatio episcopi electi pertinet ad synodum provincialem aut ad metropolitanum. Etenim ad iurisdictionem episcopalem non requiritur aliud, quam consecratio et legitima dioecesis assignatio. Utrumque fieri potest tum a patriarchis, sicuti fiebat in ecclesia Orientali, tum a synodo provinciali, sicuti fiebat in ecclesia Occidentali usque ad tempora Alexandri III (saeculo XII), ex quo tempore inducta est a romanis Pontificibus maior quaedam episcoporum dependentia, tolerante Ecclesia, propter decreta pseudo-Isidoriana. Mitiores quidam Gallicani, uti Maret, admittunt institutionem episcopalem numquam fuisse independentem ab auctoritate S. Sedis.

Probatur thesis

1°) Nemo potest habere iurisdictionem actualem proxime expeditam ad regendam aliquam ecclesiae partem nisi incorporetur collegio apostolico-episcopali. Atqui huic collegio nemo valide incorporatur sine aliqua approbatione pontificia. Ergo ...

Prob. maior: Nemo potest habere iurisdictionem ecclesiasticam proxime expeditam, quin sit missus a Christo, cui soli data est omnis potestas in coelo et in terra. Nemo vero mittitur a Christo, nisi incorporetur collegio apostolico-episcopali. Quippe huic soli Christus promisit (Mt. 18, 18), et contulit (Mt. 28, 18 sq.; Io. 20, 21) suam missionem et potestatem. Post ascensionem Domini Matthias sufficitur in locum Iudae mediante incorporatione ad collegium apostolicum (Act. 1, 26).

Pauli vero apostolatus fuit recognitus et approbatus a collegio apostolico (Gal. 2, 9).

Prob. min. a) Nemo potest valide incorporari alicui collegio vel coetui, nisi sciente et volente superiore huius collegii. Atqui Petrus eiusque successor sunt constituti a Christo superiores collegii apostolici-episcopalis. Ergo nemo potest valide incorporari huic collegio sine approbatione saltem tacita Petri eiusque successoris. — b) Vivente Christo in terris nemo poterat esse membrum collegii apostolici praeter scientiam et voluntatem ipsius Christi. Ergo a pari, ascendente Christo in coelum, nemo potest aggregari praedicto collegio praeter scientiam et voluntatem illius qui nunc vices gerit Christi in terris.

2°) Episcopi est regere aliquam partem ecclesiae *totaliter* Petro eiusque successori commissae. Atqui nemo potest nec licite nec valide occupare aliquam partem ecclesiae sine aliqui approbatione illius, cuius supremo regimini tota ecclesia commissa est. Ergo ...

Minor videtur evidens ex ipsa notione primatus. Etenim si posset aliquis valide occupare et regere aliquam provinciam ecclesiasticam contra vel praeter voluntatem supremi et universalis rectoris, iam non amplius verum esset *totam* ecclesiam fuisse huius supremae potestati et regimini commissam. Sic etiam in regno civili nemo potest valide praeesse alicui civitati vel provinciae citra consensum regis aut gubernii supremi. Sane qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Ostium vero in ovile ecclesiasticum nullum est praeter Christum cuius sunt omnes oves, et eius vicarium, cui ipse omnes suas oves pascendas regendasque tradidit. Si qui ergo propria voluntate et auctoritate audent interserere se regimini ecclesiastico, merito ad eos dicere potest R. Pontifex: « Qui estis? quando et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? quo iure silvam meam caeditis? qua licentia fontes meos transvertitis? qua potestate limites meos commovetis? quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? mea est possessio ». Tertullianus (Denzinger, n. 228).

3°) In parte altera theseos probabitur episcopus recipere immediate a Romano Pontifice iurisdictionem qua pollent in greges suos. Ergo consensus pontificius evidenter requiritur ad hoc ut episcopi habeant iurisdictionem actualem proxime expeditam. Nam quod requiritur titulo causae, a fortiori requiritur titulo conditionis necessariae.

4°) Quarto loco recurrit argumentum historicum, quod summatim ad haec fere revocari potest: Primis Ecclesiae temporibus episcopi constituebantur ab apostolis, qui ab ipso Christo, ut videtur, receperunt potestatem quadentenus universalem i. e. praedicandi evangelium ubique terrarum, hinc constituendi ecclesias particulares eisque praeposendi episcopos non certe contra vel praeter Petrum, sed sub eo. — Post aetatem apostolicam episcopi constituuntur iuxta regulas datas ab apostolis. Qui ordinationem dederunt ut, quum primi viri probati ab ipsis constituti discessissent, alii viri item probati munus eorum exciperent. « Itaque qui constituti sunt ab ipsis, vel deinceps *ab aliis viris eximiiis* consentiente universa ecclesia, hos iudicamus munere suo non iuste deiici ». Clemens R. in epist. ad Corinthios, capite 44.

Sedi Alexandrinae providebatur modo singulari quem narrat Eutychius Alexandrinus (MG. 111, 982): « Constituit Marcus una cum Hanania patriarcha duodecim presbyteros qui nempe cum patriarcha manerent, adeo ut, cum vacaret patriarchatus, unum e duodecim presbyteris eligerent, cuius capiti reliqui undecim imponentes ipsi benedicerent et patriarcham crearent; deinde virum aliquem insignem eligerent, quem secum presbyterum constituerent loco eius qui sic factus est patriarcha, ut ita semper exstarent duodecim ». Hic patriarcha erat verus episcopus ordinarius ecclesiae alexandrinae.

Saeculo secundo et tertio episcopi videntur esse constituti ab episcopis comprovincialibus concurrente presbyterio et populo sedis vacantis, ut superius ex Cypriano vidimus.

Saeculo quarto Concilium Nicaenum, constituto modo consecrationis episcopalis, addit: « Confirmatio eorum, quae geruntur, pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum ».

Loquens vero de iuribus sedium alexandrinae et antiochenae asserit: « Per omnia autem manifestum est, quod si quis praeter voluntatem et conscientiam metropolitani episcopi (i. e. patriarchae) fuerit ordinatus, hunc concilium magnum et sanctum censuit non debere esse episcopum ». Unde intelligitur quod scribit Innocentius I papa ad patriarcham antiochenum Alexandrum: « Itaque arbitramur, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, ita et ceteros non sine permissu conscientiaeque tua sinas episcopos procreari. — In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his qui nunc eos tantum ordinant arbitrato, vicinos autem, si aestimas, ad manus impositionem tuae statuas pervenire ».

In exarchatu Illyrico metropolitani poterant ordinare episcopos non tamen sine approbatione exarchae. Constat id ex epistula Leonis M. ad Anastasium Thessalonicensem: « Nul- lus te inconsulto per illas ecclesias ordinetur antistes.... Quis- quis a metropolitanis episcopus contra nostram praeceptionem praeter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui noverit esse firmitatem... Singulis autem metropoli- tanis sicut potestas ista committitur, ut in suis provinciis ius habeant ordinandi, ita eos metropolitanos a te volumus ordi- nari, maturo tamen et decocto iudicio ».

In Occidente, postquam inducti sunt metropolitani, his concessa est facultas consecrandi episcopos sibi subiectos, ip- si vero consecrabantur a Romano Pontifice vel alio modo ab hoc statuto; qui modus sat diversus erat prout ageretur de lo- cis propinquis aut remotis a Romana Sede. Hisce porro prae- notatis sit iam

Argumentum in forma: a) Si agitur de aetate apostoli- ca et subapostolica, institutio episcoporum fit ab apostolis vel secundum regulas ab his statutas. Atqui apostoli sive in creandis episcopis sive in regulis pro horum constitutione statuendis non agunt contra vel praeter voluntatem Petri, sed in communiione et consensu cum eo ut supremo Ecclesiae rec- tore. Ergo institutio episcoporum numquam fit citra consen- sum saltem implicitum Petri eiusque successoris. Ceterum

consensus Petrinus etiam explicitus sat clare manifestatur v. gr. cum Petrus dexteris societatis dat Paulo et Barnabae, ut hi in gentes, ipse vero cum Iacobo et Ioanne in circumcissionem evangelium deferret (Gal. 2, 9).

b) Si agitur de tempore subsequenti, episcopi creantur vel per patriarchas, vel per exarchas, vel per metropolitanos, vel per episcopos comprovinciales, vel generatim iuxta regulas legitime statutas et a S. Sede approbatas. Atqui in his omnibus modis semper implicatur aliquis assensus pontificius. Sane si agitur de patriarchis, exarchis et metropolitanis res est clara. Siquidem hi omnes gradus non sunt institutionis divinae, sed ecclesiasticae; hinc non sunt inducti citra approbationem pontificiam, nec patriarchae, exarchae et metropolitani aliunde potuerunt accipere quam a Romano Pontifice potestatem confirmandi episcopos. Ipsa quoque electio per episcopos comprovinciales implicat necessario consensum pontificium; etenim Pontifices hunc eligendi modum statuerunt; quin imo non raro auctoritatem suam interponebant in urgenda et exequenda recepta disciplina ecclesiastica de modo ordinandi et confirmandi episcopos. Verbo: Episcoporum electio, consecratio et confirmatio semper facta est vel ab ipso Romano Pontifice personaliter, vel per aliquos ipsius delegatos, vel per alios agentes iuxta regulas approbatas a S. Sede. Atqui in quolibet casu recurrit approbatio pontificia saltem mediata. Quod attinet interventus imperiales abusivos, vel supponitur adesse tolerantia pontificia utcumque invita, vel non. In priori casu non deest consensus pontificius; in altero casu nequit supponi praesentia iurisdictionis episcopalis proxime expeditae in episcopis sic electis.

Argumentatio dogmatica fieri potest ex doctrina Ecclesiae:

a) Codex Iuris Canonici can. 332 docet: « Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam electo, praesentato vel designato a civili quoque gubernio, necessaria est canonica provisio seu institutio, qua episcopus vacantis dioecesis constituitur, quaeque ab uno Romano Pontifice datur ».

b) Concilium Tridentinum ex una parte docet episcopos « qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur esse legitimos et veros episcopos » (Denzinger, n. 968); ex alia parte tradit non esse veros episcopos eos « qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt » (Denzinger, n. 967). Sed quicumque mittitur ab ecclesiastica et canonica potestate habet approbationem pontificiam. Ergo sine hac nemo potest esse legitimus minister et episcopus.

c) Concilium Lugdunense II, postquam extulit summum et plenum primatum sanctae romanae Ecclesiae, docet: « Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras *ad sollicitudinis partem admittit*; quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit » (Denzinger, n. 466).

d) Concilium Nicaenum I ex una parte docet non esse verum episcopum illum qui sit ordinatus praeter voluntatem et conscientiam patriarchae (alexandrini et antiocheni), ut apparet in testimonio superius allegato. Eandem doctrinam proponit Leo M. de nullitate episcopi ordinati praeter consensum exarchae Thessalonicensis: « Quisquis a metropolitanis episcopus *contra nostram praeeptionem* praeter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui noverit esse firmitatem ». Sed ex alia parte idem Leo docet metropolitanos accepisse a Romano Pontifice potestatem, qua pollent, consecrandi episcopos suarum provinciarum: « Ordinationem sibi ... singuli metropolitani suarum provinciarum cum his qui caeteros sacerdotii antiquitate praeveniunt, *restituto sibi per nos iure defendant* ». ML. 54, 634. Bonifatius vero papa I, scribens ad Rufum suum vicarium Thessalonicensem, clare docet originem romanam et pontificiam privilegiorum quibus gaudent ecclesia alexandrina et antiochena: « Servant ecclesiae magnae praedictas per canones dignitates, Alexandrina et Antiochena, habentes ecclesiastici iuris notitiam. Servant, inquam, statuta maiorum, in omnibus deferentes, et eius vicissitudinis recipientis gratiae, quam se in Domino, qui pax nostra est, *nobis debere cognoscunt* ». Constant, p. 1093. Exinde clare consequitur episcopos creatos a patriarchis, exarchis et metropolitanis non carere approbatione et confirmatione pontificia.

II

Origo papalis iurisdictionis episcopalis.

Status quaestionis: a) Ex priore theseos parte constat nullam esse in episcopis iurisdictionem actualem proxime expeditam sine cooptatione aut confirmatione pontificia. Quaeritur iam ulterius quaenam sit vis et natura huius confirmationis: utrum nempe sit *mera conditio*, qua posita, ipse Christus immediate singulis episcopis tribuit iurisdictionem, an potius *vera causa* conferens episcopis illam, qua pollent, regiminis potestatem.

b) Sermo est in thesi de iurisdictione quam episcopi singuli habent in *singulos suos greges particulares*. Praeter hanc particularem, nonnulli auctores fingunt in episcopis aliam *universalem*, qua agunt ut legislatores Romani Pontificis in concilio oecumenico. Porro docent illam particularem conferri immediate a Romano Pontifice, hanc alteram seu universalem ab ipso Christo in ipsa consecratione. Ab hac quaestione praescindimus prorsus in nostra thesi: ceterum quaestio de origine iurisdictionis collegii episcopalis sive provincialis sive plenarii videtur solvenda ex iisdem principiis, quibus solvitur quaestio de origine iurisdictionis particularis in singulis episcopis.

c) Merito excluduntur apostoli: qui secundum communio-riorem sententiam acceperunt iurisdictionem simul cum missione immediate ab ipso Christo. Ipsi quoque episcopi immediate ab apostolis instituti ut Timotheus, Titus... potuerunt forsitan recipere suam potestatem immediate ab apostolis.

Positio Doctorum

Duplex in hac quaestione circumfertur sententia theologorum. Alii docent potestatem iurisdictionis episcopalis immediate derivari a plenitudine pontificia; quae sententia semper fuit communior et hodie dici potest communis. Alii asserunt hanc iurisdictionem communicari immediate ab ipso Christo; at hi multifariam multisque modis dividuntur inter

se, dum satagunt explicare tempus et modum quo fit a Christo haec talis communicatio. Possunt vero omnes tendentiae ad tres classes revocari: ad primam pertinent qui docent illam communicationem fieri *in ipsa consecratione*: — Iuxta alios communicatio fieret extrasacramentaliter i. e. *in ipsa confirmatione* Romani Pontificis: — Demum communior tendentia vult potestatem communicari in consecratione incomplete i. e. ex parte principii *activi*, compleri per potestatem in confirmatione pontificia ex parte principii *passivi*, dum oves a papa designantur.

Tota haec quaestio fuit late et acriter controversa in concilio Tridentino, de quo asserit I. Laynez: « Maior pars Patrum, quam et nos sequimur, asserunt duplicem tantum esse potestatem ecclesiasticam, ordinis scilicet et iurisdictionis; et potestatem quidem ordinis conferri immediate a Christo per consecrationem, potestatem vero iurisdictionis nullam esse illimitatam, nisi in summo Pontifice, et hanc esse immediate a Christo; in reliquis vero omnibus limitatam, et derivari tandem in alios a Pontifice; et hanc unam esse quam qui habet simul cum potestate sacerdotali, posse agere quae sunt fori interni, absque ea vero potestate ordinis posse quae fori externi sunt ». De origine iurisdictionis episcopalis, n. 125.

Qualitas doctrinae si quaeratur, doctrina in thesi proposita nobis videtur rationi et auctoritati conformior; nec desunt qui consentiunt Wernz scribenti: « Sententia haec iam *certa et indubitata* dici potest, contraria vero sententia, si de mas Gallicanos, a paucis semper theologis et canonistis etiam argumentis debilibus defensa nostra aetate vix solidam quandam probabilitatem retinet. Quare mirum est, quod nonnulli scriptores recentiores huius opinionis improbabilis et iamiam antiquatae causaeque desperatae susceperint patrocinium ».

Probatur thesis

1°) Recursus extraordinarius ad Deum admitti non debet nisi a) solide probetur, et b) res tota per causas secundas commode explicari potest. Atqui immediatus interventus Christi

a) solide non probatur, et b) origo potestatis episcopalis commode explicari potest per causas secundas i. e. per solam confirmationem pontificiam. Ergo ...

Prob. min. Interventum immediatum Christi solide non probari, patebit ex solutione difficultatum, quæ thesi nostrae opponuntur: b) Rem totam commode explicari per causas secundas facile constat *ex plenitudine potestatis pontificiae* alias vindicatae; nam qui habet in Ecclesia potestatem plenam, potest absque dubio aliquam eius partem aliis communicare, sicuti fit etiam in societate civili.

2º) Episcopus confirmatus, sed nondum consecratus, habet iurisdictionem; e contra episcopus consecratus at nondum confirmatus caret iurisdictione: duo inde immediata illatione consequuntur: primo quidem iurisdictionem episcopalem non conferri consecratione; deinde vero eandem conferri mediante confirmatione pontificia.

Antecedens plene constat apud canonistas et theologos:

a) Primo, consecrationem episcopalem minime requiri ad habendam actualem iurisdictionem plane constat ex potestate propria vicarii capitularis tempore sedis vacantis, de qua canon 435 Iuris Canonici sic decernit: « Sicut ad capitulum ante deputationem Vicarii capitularis, ita deinde ad Vicarium capitularem transit ordinaria Episcopi iurdictio in spiritualibus et temporalibus, exceptis iis quae in iure sunt eidem prohibita ».

b) Concilium Tridentinum dein sessione 23, capite secundo statuit ut qui ecclesiis praefecti sunt, si munus consecrationis intra tres menses suscipere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint privati. Hi porro episcopi, quamvis non possint ipsi ordinare presbyteros nec baptizatos confirmare defectu potestatis ordinis, possunt tamen committere et delegare alteri episcopo consecrato hanc ordinandi et confirmandi facultatem. Atqui haec delegandi potestas est vere iurisdictionalis. Ergo episcopus confirmatus et nondum consecratus potest habere et exercere veram iurisdictionem episcopalem.

c) Tandem ipsa natura iurisdictionis naturam rem explicat et evincit: etenim potestas iurisdictionis stat in hoc,

quod alter alteri praeponatur. Porro qui in societate potitur potestate suprema, potest alterum alteri praeponere, etsi nullus sit in praeposito ordo episcopalis.

Ex alia parte episcopus consecratus nondum confirmatus caret omni potestate iurisdictionali. Patet id *a)* ex usu iam diu recepto ordinandi episcopos *titulares* omni actuali iurisdictione orbatos — *b)* deinde ex eo, quod episcopus potest iustis de causis muneri suo renuntiare ita ut alius in eius locum succedat — *c)* tandem potest episcopus propter ingentia crimina iuste deponi ita ut in gradum presbyterorum vel etiam laicorum deprimatur manente ordine episcopali.

Consequens primum remanet probandum: *a)* Iurisdictionem ordinatione non conferri patet; nam secus omnis episcopus consecratus eam haberet — *b)* Iurisdictionem non conferri partim in consecratione, partim in confirmatione iterum patet, quia secus episcopus confirmatus at nondum consecratus ea careret — *c)* Iurisdictionem non conferri a Christo in confirmatione, sed a Romano Pontifice, probatur: primo quia hic actus confirmationis pontificiae de se habet vim conferendi iurisdictionem episcopalem; hanc vim evacuari seu impediri a Deo nullatenus ostenditur: — deinde formula confirmationis pontificiae veram causalitatem sonat: « Providemus Ecclesiae N. de tali persona et *praeficimus* eum in pastorem et episcopum eiusdem Ecclesiae *committentes ei administrationem* in temporalibus et spiritualibus in nomine Patris ... »: — Christum extra consecrationem intervenire vero influxu causali nullo positivo indicio suadetur; aliunde vero omnes admittunt Romanum Pontificem posse valide et licite iurisdictionem episcopalem augere, minuere, totaliter auferre. Dices Christum toties quoties intervenire ad explicandum potestatis episcopalis augmentum, diminutionem, totalem ablationem? Vides hanc finctionem esse totaliter gratuitam, nullatenus necessariam.

3^o) Confirmatio pontificia etiam secundum adversarios requiritur ad hoc, ut episcopus habeat iurisdictionem *in has determinatas oves*. Atqui designare oves pascendas idem est ac dare iurisdictionem in eas. Profecto dare vel assignare ali-

cui homines in quos exerceat imperium, idem est ac reddere hos homines illi subiectos; porro reddere hos homines illi subiectos idem est ac hunc hominem reddere illis superiores; reddere seu constituere hunc hominem illis superiores idem est ac dare illi iurisdictionem in eos, quippe superioritas formaliter constituitur per iurisdictionem. Actus ergo pontificius non est mere completivus iurisdictionis prius inchoatae. Nulla enim iurisdictione *actualis* ne inchoata quidem existit sine subditis actualibus. Iurisdictione actualis est relatio actualis inter hunc superiorem et hos subditos; iamvero correlativa sunt simul tempore et natura. Romanus Pontifex designans has oves huic pastori, eo ipso determinat et provocat hanc relationem inter utrumque terminum, et consequenter iurisdictionem superiori vere confert.

4°) Romanus Pontifex confert patriarchis, primatibus, metropolitibus iurisdictionem ampliorem potestate mere episcopali; nulla quippe est ratio fingendi has iurisdictiones ampliores conferri ab ipso Christo sive in consecratione, sive extra consecrationem. Atqui si adeo ampla iurisdictione confertur a Romano Pontifice, non est ratio quare alia iurisdictione restrictior dicatur conferri a Christo modo sublimiori. *Dices protinus:* Gradus episcopalis est institutionis divinae, id quod dici nequit de gradibus illis superioribus. Ergo datur ratio specialis quare potestas episcopalis dicatur derivari immediate ab ipso Christo. Respondetur negando consequens. Divina institutio episcopatus hoc unum probat: Romanum Pontificem *debere* vocare episcopos in partem sollicitudinis et gubernii ecclesiastici, at minime requirit ut potestas in episcopos immediate ab ipso Christo derivetur.

5°) *Argumentum traditionis* vehementer favet sententiae quam defendimus: ex una enim parte vix reperiuntur qui contrariam sententiam clare proponunt, ex alia vero nostra sententia potest dici traditionalis, quippe quae iam inde ab antiquitate christiana habet pro se preclaros testes atque fautores.

Cyprianus praeprimis in epistula 43 testatur: « Deus unus est, et Christus unus et una Ecclesia et *cathedra una* super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut no-

vum sacerdotium (episcopatus) fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest; quisquis alibi collegerit spargit ». Porro eatenus cathedra episcopalis dicitur et est una eaque super Petrum aedificata, quatenus nulla alia cathedra episcopalis potest esse in universa Ecclesia, quae non sit derivata ex hac una cathedra Petrina: haec profecto est « fons ex quo plurimi rivuli defluunt ». Haec est « origo una, et una mater foecunditatis successibus copiosa » (De Eccl. unitate, cap. 5). Unde facile intelligitur quod de ecclesia romana asseritur in epistula 59: « navigare audent (haeretici) ad Petri cathedram et ecclesiam, unde *unitas sacerdotalis* (sacerdotium unum) *exorta est* ».

Optatus Milevitanus Cypriano perfecte consonat scribens: « Beatus Petrus et praeferrī omnibus apostolis meruit, et claves regni coelorum *communicandas ceteris solus accepit* ». De schismate Donati, VII, 3.

Ambrosius appellat ecclesiam romanam totius orbis romani caput, unde in omnes venerandae communionis iura dimanant » (ML. XVI, 945).

Innocentius I eandem fidem profitetur: « Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum i. e. *sui nominis et honoris auctorem* referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio » (epistula 30 ad conc. Milev.) — Idem ad episcopos africanos scribit (Denzinger, n. 100): « Scientes quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emerit ».

Leonis Magni praeclarum est testimonium scribentis: « Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocavit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne emanare » (epistula 10 ad episcopos per prov. Vienn.). Idem in sermone IV scribit: « Magnum et mirabile hic viro (Petro) consortio suae potentiae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, *numquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit* ».

Ioannes Ravenas episcopus ad Gregorium M. scribit:

« Quibus ausibus ego sanctissimae illi sedi, *quae universali Ecclesiae iura sua transmittit*, praesumpserim obviare? ».

Concilium Remense utitur hac excommunicationis formula: « In nomine Domini et in virtute Spiritus Sancti, necnon auctoritate episcopis *per Beatum Petrum conlata*, ipsos a sanctae Ecclesiae gremio segregamus ».

Innocentius III ad patriarcham constantinopolitanum scribit: « Ecclesia romana ... est prima et praecipua veluti caput in corpore; quoniam in ea *plenitudo potestatis* existit, ad ceteras autem *pars aliqua plenitudinis derivatur* ».

Ioannes XIII (in const. edita 23 Oct. a. 1327): « Summi Pontificatus apicem apud romanam Ecclesiam esse, ipsamque fore *sacerdotii fontem* nemo est qui dubitet, id est, qui dubitare debeat ».

Pius II in Bulla retractationum data 26 Aprilis a. 1463: « In Ecclesia militante ... unus est moderator omnium et arbiter, Iesu Christi vicarius, *a quo tamquam capite omnis in subiecta membra potestas et auctoritas derivatur*, quae a Christo Deo nostro sine medio in ipsum influit ... *omnisque ex capite defluit in membra* ».

Concilium Lugdunense II (Denzinger, n. 466): « Ad hanc (Ecclesiam romanam) sic *potestatis plenitudo consistit*, quod ecclesias ceteras ad *sollicitudinis partem* admittit, quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Ecclesia romana honoravit ».

Pius VI specialissimam attentionem meretur. Cuius gravissimum testimonium exstat in Const. « Super soliditate » data contra Eybel die 28 Nov. a. 1786 (Denzinger, n. 1500): « Infelix iste scriptor nihil non molitur, quo hanc Petri sedem modis omnibus vexet ac oppugnet ... *e qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant* ... Non ille veritus est fanaticam turbam vocare, quam aspiciebat ad aspectum Pontificis in has voces erupturam: hominem eum esse ... cui non alius episcopus exaequari valeat, *a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant*, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit ... An ergo fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni coelorum cum ligandi solvendi-que potestate Petro pollicentis, quas claves *communicandas ceteris* post Tertullianum Petrum solum accepisse, Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit? ».

Eandem doctrinam tradit in Const. « Caritas » data die 13 Aprilis a. 1791: « Haec porro iurisdictionis conferendae potestas ex nova disciplina a pluribus saeculis iam recepta, a conciliis generalibus et ipsis concordatis confirmata, ne ad metropolitanos quidem potest ullo modo attinere, utpote quae *illuc reversa, undè discesserat, unice residet penes apostolicam sedem*, ita ut hodie Romanus Pontifex ex muneris officio pastores singulis ecclesiis praeficiat ut verbis utamur Concilii Tridentini sess. 24, c. I de Reform. ». — Eodem prorsus modo loquitur in epistola ad episcopum Motulens.: « Dignitatem episcopalem ... quae quoad ordinem immediate est a Deo, et *quoad iurisdictionem ab apostolica sede* .

S. Thomas contra Gentes IV, 76: « Quia praesentiam corporalem (Christus) Ecclesiae erat subtracturus, oportuit ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro soli promisit: tibi dabo claves regni coelorum, ut ostenderetur potestas clavium *per eum ad alios derivanda*, ad conservandam Ecclesiae unitatem ».

Suarez cum Thoma plene concordat scribens (Defensio fidei cathol. IV, 9-26): « Quia non conveniens erat ut omnibus et singulis spiritualis iurdictio sine ulla limitatione daretur, et cum varietate et limitatione non poterat immediate ab ipso Christo concedi, idcirco conveniens fuit, *ut vicario suo illam distributionem committeret* ». Eandem Thomae sententiam proponunt alii magni scholastici ut S. Bonaventura, S. Albertus M. et Scotus. Accedit hodiernus theologorum et canonistarum consensus universalis.

Pius XII demum hanc traditionalem doctrinam recipit et sua universalis pastoris auctoritate confirmat in litteris encyclicis « Mystici Corporis »: « Ut veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine regunt et pascunt; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruuntur, *immediate sibi ab eodem summo Pontifice impartita* ». His verbis innixus, concludit Ottaviani de hac, quam defendimus, sententia: « Nunc ... omnino certa habenda ex verbis Summi Pontificis Pii XII ». Inst. iuris publici ecclesiastici, Romae, 1947, I, 413.

Obiectiones solvuntur

1. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui nulla est necessitas recurrendi ad confirmationem pontificiam tamquam ad causam immediatam iurisdictionis episcopalis. Sane actus Christi conferentis iurisdictionem Apostolis habet vim ad eandem conferendam episcopis posita *instar conditionis* designatione ovium a R. Pontifice. Atqui tunc nulla est necessitas recurrendi ad novum influxum causalem a R. Pontifice exercendum. Ergo ...

Resp. Negatur minor. Ad rationem additam: Dist. maior. Ille actus *potuit habere* hanc vim, si Christus ipse hoc constituisset, Trans.; *habuit reapse* ex Christi institutione, N.

2. *Replicabis*: Ille actus secundum intentionem et propositum Christi non minus dirigebatur ad successores Apostolorum seu episcopos, quam verba Christi primatum Petro promittentis et conferentis dirigebantur ad futuros Petri successores. Atqui hi recipiunt iurisdictionem supremam vi praeclarae illius actus. Ergo a pari episcopi dicendi sunt suscipere suam potestatem vi illius actus quo Christus Apostolis primo iurisdictionem concessit.

Resp. Negatur prorsus paritas. Successores Petri accipiunt iurisdictionem immediate a Christo vi illius prioris actus quo Petrus constitutus est rector Ecclesiae supremus, quia agitur de potestate *suprema*, quam non nisi Christus potest eis communicare. Contra vero, cum agitur de episcopis, quaestio est de potestate *subordinata*, quam Petrus eiusque successores possunt ex sua plenitudine communicare. Porro Christus ipse nulli episcopo determinatas oves pascendas tradidit, ideo conveniens fuit, ut aiebat Suarez, ut vicario suo hanc distributionem committeret.

3. Sed episcopi dicuntur a Paulo (Act. 20, 28) *positi a Spiritu Sancto* regere Ecclesiam Dei. Ergo verius dicitur eos recipere iurisdictionem ab ipso Deo.

Resp. Dist. antec. Episcopi dicuntur positi ab Spiritu Sancto, quatenus sunt ab Spiritu Sancto per prophetas designati, C.; quatenus ab ipso Spiritu S. directe iurisdictionem accipiunt, N. Confer ea quae in Scholio II disseruimus.

4. At episcopi sunt successores Apostolorum. Atqui Apostoli iurisdictionem immediate a Christo acceperunt. Ergo etiam episcopi.

Resp. Dist. maior. Episcopi sunt successores Apostolorum, spectata potestate quam accipiunt, C.; spectato etiam modo quo haec potestas eiusdem communicatur, N. Deinde ipsa minor propositio non est evidens. Nonnulli theologi imo et Patres admittunt omnem potestatem iurisdictionis etiam apostolicae immediate derivari a

Petro eiusque successore. Ceterum datur ratio disparitatis: Christus ipse misit apostolos ad implantandum regnum Dei ubique terrarum, hinc dedit eis oves in quas iurisdictionem exercerent; porro nihil tale dici potest de episcopis quos nec misit ipse Christus, nec ullas eis oves designavit. Iam supra monuimus non tam singulos episcopos singulis apostolis succedere, quam collegium episcoporum succedit collegio Apostolorum.

5. *Instabis*: Si ex una parte supponitur episcopus recipere iurisdictionem a R. Pontifice, ex alia vero conceditur Apostolos eam recepisse immediate ab ipso Christo, videtur admitti nova quaedam institutio, et non vera successio. Nonne in hac hypothese Ecclesiae constitutio fuisset aliquatenus immutata? Ergo tutius consulitur immutabilitati ecclesiasticae in sententia de potestate episcopali immediate a Christo derivata.

Resp. Negatur antecedens. Essentia successionis stat in hoc, quod munus quod aliquis gerit in alterum transmittatur. Modus transmissionis non afficit ipsam essentiam successionis. Nec videtur ullatenus immutari constitutio Ecclesiae admissio duplici transmissionis modo, quamvis nonnulli Doctores hac praecise ratione moti tenuerint Apostolos accepisse iurisdictionem a Petro, vel a Christo quidem, sed uti desumptam ex plenitudine iurisdictionali Petri.

6. Sed episcopi ope consecrationis aggregantur Collegio apostolico cuius membra reapse fiunt; hinc debent haberi ut veri Apostolorum successores. Atqui ad apostolatam pertinet iurisdictionem. Ergo hanc recipiunt per ipsam consecrationem.

Resp. Dist. maior. Episcopi per consecrationem aggregantur Collegio Apostolorum, fiuntque horum successores quoad potestatem ordinis, C.; quoad potestatem iurisdictionis, subd. aptitudinaliter, C.; actualiter, N.

7. *Instabis*: Quod in episcopatu continetur, id per consecrationem confertur. Atqui in episcopatu continetur iurisdictionem. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Quod in episcopatu continetur ut pars eius constitutiva, id per consecrationem confertur, C.; quod in episcopatu continetur ut pars eius perfecta et completa, id per consecrationem confertur, subd.: aptitudine et exigentia, C.; actu, N. Ad essentiam episcopatus spectat potestas ordinis seu plenitudo sacerdotii et inde derivata proxima dispositio et exigentia iurisdictionis episcopalis. Iurisdictionem actualis complet hanc exigentiam et sic perficit episcopatum.

8. *Replicabis*: Episcopus per consecrationem constituitur pastor. Sed repugnat esse pastorem et non habere gregem, hinc et iurisdictionem actualem. Ergo ...

Resp. Eadem recurrit distinctio: Episcopus per consecrationem constituitur pastor actu, N.; aptitudine et destinatione, C. Omnes hae difficultates potius confirmant nostram thesim. Siquidem repugnat esse pastorem actualem sine grege actuali. Sed quoniam in consecratione nullus grex actualis confertur, inde concludimus per solam consecrationem nullam conferri iurisdictionem actualem.

9. Sed admissa nostra thesi sequuntur grávia incommoda pro tempore schismatis Occidentalis. Sane papa dubius, papa nullus. Atqui toto tempore schismatis verus papa erat dubius. Ergo nullus; hinc non poterat iurisdictionem episcopis conferre. Sequeretur ergo episcopos confirmatos a papa dubio caruisse vera iurisdictione: idem dicatur de presbyteris qui acceperunt iurisdictionem (in foro interno) ab his episcopis. Atqui tamen episcopi congregati in Concilio Constantiniensi supposuerunt se habere potestatem ad convocandum concilium et schisma componendum. Ergo ...

Resp. a) Licebit in primis retorquere argumentum contra adversarios. Quos omnes eodem modo ac nos premit praefata difficultas: etenim omnes admittunt episcopos, ut polleant iurisdictione actuali, indigere cooptatione seu agnitione pontificia. Si papa dubius non potest conferre iurisdictionem, nec poterit episcopum electum aut consecratum vere confirmare.

b) Sit ergo responsio directa: secundum ea quae diximus in thesi 11^a, verus papa erat Romanus i. e. Urbanus VI eiusque successores. Hic ergo poterat iurisdictionem dare etiam episcopis aliarum obedientiarum (ob errorem communem fidelium simul cum titulo colorato). Etiam electio Martini V videtur explicanda per facultatem Concilio datam a Gregorio XII. Ceterum si tres illos papas fingas nullos, deberes admittere iurisdictionem suppleri (ob titulum coloratum) non sane ab Ecclesia, quae caret potestate suprema, sed ab ipso Christo, qui singulis illis antipapis conferret iurisdictionem, quantum necesse erat. Sic Wilmers, n. 200 in fine.

10. *Instabis:* At Patres in Concilio congregati expressis verbis fatentur se habere potestatem immediate a Christo acceptam: Synodus Constantiensis « in Spiritu Sancto congregata concilium generale faciens ... potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status ... obedire tenetur ... ». Ergo ...

Resp. Dist. antec.: Patres congregati *omnes* asserunt se habere potestatem immediate a Christo acceptam, N.; *Aliqui* Patres i. e. ii qui aderant sessioni V, subd.: asserunt se habere potestatem a Christo acceptam ad componendum schisma. C.; ad regendos suos greges particulares sub papa indubiò, N.: Ceterum haec decreta, ut alias notavimus, non sunt legitima.

**TRACTATUS
DE
MAGISTERIO ECCLESIASTICO**

THESIS XVI

Christo auctore competit Ecclesiae magisterium authenticum, infallibile, perpetuo duraturum.

Connexio materiae. Praeter potestatem *regiminis*, de qua hactenus egimus, admittenda est in Ecclesia potestas *magisterii* cuius perennem existentiam, infallibilitatem, subiectum, obiectum, exercitium ex ordine declarabimus. Trija vindicantur in hac thesi: a) authentici magisterii divina institutio; b) eiusdem infallibilitas; c) perpetuitas.

I

Magisterii authentici divina institutio.

Magisterium significare potest sive munus docendi, sive potestatem docendi, sive exercitium docendi. Hic agimus de munere docendi cum annexa sibi potestate, de eiusdem exercitio deinceps acturi. Potest esse docens et attestans: utrumque tendit ad communicandam doctrinam discipulo seu auditori, sed aliter et aliter.

Docens proponit doctrinam additque rationes, quibus perspectis discipulus demum praestat assensum. Proposita ergo doctrina acceptatur non propter meram magistri assertionem, sed propter comitantem demonstrationem (assensus scientificus).

Attestans proponit sive factum sive doctrinam, quam vult a discipulo acceptatam propter suam loquentis auctoritatem seu dignitatem moralem (assensus fidei).

Magisterium attestans potest esse duplex: unum naturale, innixum in naturalibus loquentis dotibus, scientia nempe et veracitate; alterum praeternaturale innixum in eo quod

loquens legatione utitur pro eo, in cuius obsequium omnem captivari intellectum necesse sit. Tunc habetur

Magisterium authenticum seu auctoritativum, cuius nomine venit munus docendi a legitima auctoritate institutum ut huius nomine exerceatur, cui proinde auditores se subiicere tenentur. Supponit hoc tale magisterium in docente ius inviolabile praedicandi cui respondet in discipulis ius audiendi quod impediri ab aliis nequeat — ius imperandi assensum etiam internum, cui respondet in discipulo obligatio accipiendi devota fide propositam doctrinam, eamque exterius profitendi. — Advertas diligenter discrimen intrinsecum et vere specificum inter authenticum magisterium ecclesiasticum et profanum quodlibet magisterium pure humanum. Magister authenticus docet in Ecclesia non vi acquisitae, etsi ingentis, eruditionis; non vi acuminis intellectualis, non vi speciosae grandiloquentiae, non vi tituli seu gradus doctoralis obtenti in aliqua Universitate sive civili sive ecclesiastica, sed vi *missionis* divinae ab eo habitae in cuius obsequium omnem captivari intellectum necesse est: haec est vera et unica ratio quare magister authenticus in Ecclesia potest non tantum proponere, exponere, illustrare, demonstrare; sed etiam imponere, praecipere, obligare auditores ad acceptandam exteriusque profitendam propositam doctrinam. Qualis sit interna habitudo potestatis magisterialis in Ecclesia ad potestatem iurisdictionis exponemus in apposito scholio.

Characteres magisterii authenticici et ecclesiastici solent recenseri tres: est nempe *a)* magisterium *vivum*, quippe quod vivis hominibus inhaeret et organo utitur ministerio praecorum vitaliter et conscie agentium sive per insonantem vocem sive etiam per scripta documenta: vides magisterium vivum opponi magisterio, sic dicto mortuo, quod magister post suam mortem exercere pergit per sua scripta — *b)* Est magisterium *externum*, cuius ratio ex dictis patet; siquidem tenemur accipere verbum Dei revelatum ab hominibus extrinsecus sonantibus. Etenim « quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo autem praedicabunt nisi mittantur Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ». Rom. 10, 14 sq. — *c)* Est magisterium *traditio-*

nale, cum habeat pro munere non nova fingere aut philosophando invenire, sed id quod est divinitus datum seu revelatum tradere. De habitudine magisterii ad *traditionem* deinceps agemus.

Functiones magisterii ecclesiastici possunt distingui quatuor: a) Praecones quippe evangelii debent praepriis agere *testes*, seu debent ante omnia attestari verbum Dei revelatum. Ecclesiae magisterium est derivatio et continuatio magisterii Christi; porro Christus multifariam exercuit officium testis: sic in suo cum Nicodemo colloquio ait: « Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et *quod vidimus testamur*, et testimonium nostrum non accipitis ». Io. 3, 11. — Pharisaeis obiiicientibus: Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum: Iesus impavide respondet: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum; quia scio unde venio, et quo vado ». Io. 8, 14. — Quin imo Christus sollemniter asseruit coram Pilato finem suae missionis doctoralis esse positum in exercendo hoc munere testis: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati » Io. 18, 37. — Christus dein hoc officium testis apostolis suis commendavit: « Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae ». Act. 1, 8. — « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et *vos testimonium perhibebitis*, quia ab initio mecum estis » Io. 15, 26. — Ipsi quoque apostoli conscios se produnt de hoc testificandi officio: « Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati ... *testem resurrectionis* eius nobiscum fieri unum ex istis » Act. 1, 22. — « Oportet obedire Deo magis quam hominibus ... et *non sumus testes* horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi ». Act. 5, 29-32.

b) *Doctoris functio* proxime consequitur primam testis functionem. Mystera christiana quum sint suapte natura adeo profunda et obscura, magistro indigent aptoque doctore: cogita mysterium trinitarium, christologicum, soteriologicum, ecclesiologicum, eucharisticum, eschatologicum ... nonne in his multa recurrunt difficulta intellectu, quae nisi apte explicentur,

possint perverti, corrumpi, alterari? Magistri ergo ecclesiastici debent non tantum verbum Dei attestari, sed etiam explicare ac illustrare, aptamque ipsius intelligentiam fidelibus suppeditare.

c) *Interpretis functio*. est naturalis sequela functionis doctoralis: quippe magna pars mysteriorum christianorum continetur in libris sacris et divinitus inspiratis. Nequit ergo magisterium ecclesiasticum suum doctoris munus apte obire nisi sacros hos atque Deo afflante scriptos libros legat, examinet et authentice interpretetur. Qualiter haec ecclesiastica et authentica Scripturae interpretaio possit praeparari, iuvari et quodammodo compleri ex dicendis patebit.

d) *Iudicis functio* claudit et quasi coronat omnes magisterii ecclesiastici functiones. Eius necessitas est adeo manifesta, ut vix indigeat ulla probatione: evidens enim est, data obscuritate ac complexitate Scripturarum, posse et solere oriri non paucas controversias biblicas provocatas sive a viris acatholicis, sive ab ipsis doctoribus catholicis; has porro controversias examinare, iudicare et authentice dirimere officium est magisterii ecclesiastici, cui sacri depositi custodia divinitus commissa est. *Synthetizando*: Praecones ecclesiastici in explendo suo officio magisteriali debent agere testes, doctores, interpretes, iudices: ceterum per se patet quatuor has diversas functiones posse demum revocari ad duas illas priores: testis, inquam, et doctoris.

Positio adversaria

Classici nostrae theses adversarii sunt Protestantes conservativi.

Positio Lutherana innotescit ex triplici Lutheri documento: Littera ad Principes seu nobiles (1520) — Praefatio ad Bibliam et ad epistolam ad Rom. (1522) — Opus de servo arbitrio (1525). Ad haec, positio Lutherana potest commode ad sequentia revocari: a) Christus instituit magisterium vivum et authenticum in collegio apostolico — b) Apostoli exercuerunt hoc magisterium primo oraliter seu voce insonante, deinceps scriptis inspiratis — c) Completo canone Scripturarum, priori vivo atque insonanti magisterio succedit testimo-

nium Scripturarum quas singuli fideles Spiritu illuminati interpretantur — *d*) Ergo nullum iam requiritur vivum et externum magisterium ecclesiasticum ad *complendas* Scripturas: « quod in Scripturis non continetur — inquit Luther — hoc plane Satanae additamentum est ». — *e*) Nec requiritur ullum magisterium ecclesiasticum ad *interpretandas* Scripturas. Luther appellat ad dicta Christi: « Erunt omnes docibiles Dei » (Io. 6, 45) et Pauli: « Vir spiritualis iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur » (Cor. I 2, 15) — « Si sedenti revelatum fuerit, prior taceat » (I Cor. 14, 30).

Positio anglicana potest determinari ex articulo sexto: « Sacra Scriptura continet omnia quae sunt ad salutem necessaria, ita ut quidquid in ea non legitur nec inde probari potest non sit a quoquam exigendum ut tamquam articulus fidei credatur, aut ad necessitatem salutis ». Doctrina anglicana ad haec revocatur: *a*) Scriptura Sacra est unicus fons revelationis ad salutem necessariae — *b*) Scriptura Sacra constituitur libris canonicis A. et N. Testamenti exceptis deutero-canonicis V. T. — *c*) Traditio requiritur ad stabiliendum canonem completum Sacrarum Scripturarum — *d*) Ad ecclesiam nationalem spectat decidere num quidam libri habiti ut inspirati in quibusdam locis, vel in quadam epocha, sint reapse verbum Dei, an non.

Positio Modernistica sic describitur in Encyclica « Pascendi » Denzinger, n. 2093: « Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque qua utantur formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem exspostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit, communitati imponendam. In hac porro coniunctione ac velut fusione tum mentis formulam eligentis, tum potestatis eandem praescribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistae collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum habeat; consequitur necessario illud ab eisdem conscientiiis pendere ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium

conscientias prohibere quominus impulsiones, quas sentiunt, palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire, qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissae non usus est, sed abusus ».

Probatur thesis

Thesis potest demonstrari primo quidem *via apologetica*, et quidem triplici testimonio: evangelico — apostolico — ecclesiastico: accedet directa principii protestantici refutatio.

Testimonium evangelicum innititur in ipsis Christi verbis:

1° Matthaeus praepimis 28, 18 sq. enarrat postrema et sollemnia Christi verba: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete (discipulos facite) omnes gentes; baptizantes eos in nomine (in nomen) Patris et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ». — Consonat Marcus 16, 15-16: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur ». Unde fit argumentum: Magisterium authenticum est publica docendi potestas a legitima auctoritate constituta, cui respondet in audientibus obligatio acceptandi propositam doctrinam. Atqui Christus per haec verba tradidit collegio apostolico hanc talem potestatem. Ergo Christus his verbis instituit in collegio apostolorum authenticum magisterium.

Prob. min. a) Potestas de qua in textu est in primis constituta a legitima auctoritate, nempe a Christo, cui ad Patrem reduci post egregium reportatum triumphum, conceditur omnis potestas in caelo et in terra — *b)* Dein haec docendi potestas talis est, cui audientes se subiicere tenentur; nam, ut habet Marcus, qui non crediderit evangelio ab apostolis praedicato, condemnabitur: accedit quod haec ecclesiastica docendi potestas nihil est aliud quam derivatio et continuatio ipsius potestatis Christi. Atqui magisterialis Christi potestas erat vere authentica. Ergo ... Advertas penes Marcum narrari non tantum authenticum magisterium a Christo redivivo institutum,

sed etiam subsequens ipsius exercitium signis et portentis a Deo confirmatum: « Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis ».

Nota: In textibus allegatis traditur apostolis potestas docendi tum gentes tum fideles baptizatos: nam iubentur facere discipulos omnes gentes praedicatione et baptismo, et sic baptizatos atque suo discipulatu aggregatos docere omnia quaecumque mandavit Christus. Utraque haec potestas est authentica, hoc tamen discrimine, quod ecclesiastica docendi potestas baptizatos est *propria*; potestas vero docendi gentiles nondum Ecclesiae subditos, est *vicaria*.

2° Simile argumentum concinnari potest ex verbis Christi apud Ioannem 20, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Unde argumentum: Christus communicat collegio apostolico missionem similem missioni qua ipse fuerat missus a Patre. Atqui Christi missio a Patre habebat sibi adiunctum triplex munus: sacerdotale, magisteriale et regale. Triplex ergo simile munus implicatur in missione apostolorum per Christum. Christus videlicet mittit suos discipulos ad perennandum suum opus sacerdotis, applicando fructus suae redemptionis per sacramenta; magistri, praedicando doctrinam evangelicam; regis, regendo societatem ecclesiasticam ab ipso super Petrum aedificatam. Ceterum, munus magisteriale contineri in hac, de qua loquimur, missione evidenter patet ex loco parallelo apud eundem Ioannem 17, 19-20: « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum ... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt *per verbum eorum* in me ». Ministerium ergo verbi seu magisterium aperte continetur in missione apostolorum per Christum.

Testimonium Apostolicum atque Paulinum est vere splendidum. Tessera magisterii authentici est *missio divina* sive immediata sive mediata; inde oritur vis obligandi audientes ad internum mentis assensum. Ad hanc ergo normam possunt ordinari textus biblici.

1° Paulus praeprimis proclamatur necessitatem missionis divinae ad praedicandum in Ecclesia: « Omnis quicumque in-

vocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Quomodo audient sine praedicante? *Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?* » Rom. 10, 13 sq.

2° Paulus sibi tribuit hanc divinam missionem: « Non enim misit me Christus baptizare, sed *evangelizare*; non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi ». I Cor. 1, 17.

3° Paulus vult ut ad hanc normam iudicentur praecones evangelici, et non secundum alias normas mere humanas eloquentiae, sapientiae ... « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer aut ab humano die ... qui autem iudicat me Dominus est ». I Cor. 4, 1 sq.

4° Paulus sibi tribuit potestatem magisterialem cui debetur obedientia fidei. « Paulus, servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei ... Iesu Christi per quem accepimus gratiam et apostolatam ad *obediendum fidei* in omnibus gentibus pro nomine eius ». Rom. I, 1 sq.

5° Paulus sibi tribuit potestatem redigendi in captivitatem omnem intellectum, et ulciscendi omnem inobedientiam: « Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et *in captivitatem redigentes omnem intellectum* in obsequium Christi, et in promptu habentes *ulcisci omnem inobedientiam* ». II Cor. 10, 4 sq.

6° Paulus non veretur anathematizare ipsum Angelum de caelo aliter evangelizantem: « Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium ... Sed licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit ». Gal. 1, 6 sq.

7° Paulus exercet hanc potestatem vindicativam contra incredulos: « Hoc praeceptum tibi commendo filii Timothee secundum praecedentes in te prophetias ut milites in illis bo-

nam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenaeus et Alexander; quos *tradidi Satanae*, ut discant non blasphemare ». I Tim. 1, 18 sq.

8° Paulus demum docet institutum a Domino magisterium authenticum ad promovendam et tutandam unitatem fidei: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei ... ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris ». Ephes. 4, 11 sq.

Ioannis apostoli similis est doctrina et praedicatio:

Primo quidem sibi attribuit munus testis: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur et annuntiamus vobis ... quod vidimus et audivimus, annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo ». I Io. 1, 1 sq.

Dein praedicationem suam proponit ut veram fidei regulam: « Vos quod audistis ab initio maneat in vobis: si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis ». I Io. 2, 24.

Demum incredulorum consortium vitandum esse docet: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis ». II Io. 1, 10 sq.

Testimonium traditionis christianae etiam primaevae perfecte consonat cum testimonio evangelico et apostolico supra commemorato.

Clemens R. in primis perspicue docet magisterium authenticum a Christo institutum. « Apostoli nobis evangelii *prae-*

dicatores facti a Domino Iesu Christo; Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis ... constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant ». R. Journal, ench. patr. n. 20.

Ignatius Antiochenus harmonice resonat: « Quotquot Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo ... Ne erretis, fratres mei; si quis schisma facientem sectatur, regni divini haereditatem non consequitur; si quis ambulat in aliena doctrina, cum passione non communicat ». Ad Philadelphenses: R. Journal n. 65. Vides episcopum fidelibus praepositum in omni ordine ecclesiastico: liturgico, doctrinali et disciplinari: unde haec tanta in episcopo auctoritas? Non aliunde quam ex divina missione, ut alibi ostendimus.

Pastor Hermae celebrat magnificam unitatem fidei et caritatis in Ecclesia Christi vigentem: « Ideo structura turris uno colore splendida fuit ut sol ». R. Journal, n. 93. Praecones porro seu magistri authentici credendae doctrinae sunt apostoli, episcopi, doctores et diaconi: « Lapidem igitur quadratum et albi congruentes commissuris suis, hi sunt apostoli et episcopi et doctores et diaconi, qui ambulaverunt in sanctitate Dei, et episcopatum gesserunt et docuerunt » R. J., n. 84.

Hegesippus de doctrinali ecclesiarum statu atque unitate fidei in his vigente certior fieri cupiens, iter instituit ex Oriente in Occidentem, cui terminum praefixit ecclesiam romanam. Quem finem ut assequeretur, non archivia requisivit et servatos ibi codices scripturae, sed *episcopos* adivit, a quibus unam eandemque doctrinam audivit. R. Journal, n. 188. Vides custodes fidei et doctrinae orthodoxae pro Hegesippo esse episcopos apostolorum successores.

Iraeneus magnifice extollit unam fidem in ecclesia universa splendens, praedicatam *ab his qui praesunt*. R. Journal, n. 192. — Porro hi qui praesunt non sunt alii quam episcopi apostolorum successores: « Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus annu-

merare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria sciissent apostoli ... his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum magisterium tradentes ». R. Journal, n. 209. Unde merito concludit: « Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum apostoli quasi in depositarium dives plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae ». R. Journal, n. 213. Nec alibi oportet quaerere plenam tutamque Scripturarum expositionem: « Agnitio vera est apostolorum doctrina, et antiquus ecclesiae status in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam quae in unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt; quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia ». R. Journal, n. 242. At non omnium ecclesiarum et episcoporum eadem est dignitas atque auctoritas: adest quippe una ecclesia centralis a Petro et Paulo apostolis fundata atque edocta, ad quam propter potentio rem eius principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. R. Journal, n. 210.

Tertullianus in Africa cum episcopo Lyonensi plene concordat: « Si Dominus Iesus Christus apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit ... Quid autem praedicaverint (apostoli), id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi iis praedicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea ». R. Journal, n. 293. Unde merito concluditur: « Si haec ita se habent, ut veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat

ratio propositi nostri definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere». R. Journal, n. 298.

Origenes testis est fidei orientalis, quae traditioni occidentali apprime respondet: « Cum multi sint qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, *servetur vero ecclesiastica praedicatio* per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens; *illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica traditione discordat* ». R. Journal, n. 443.

Cyprianus in epistula 33 (Hartel, p. 556 sq.) tradit et premit Ecclesiam unam super Petrum aedificatam, super episcopos constitutam ita quidem ut « *omnis actus* Ecclesiae per eosdem praepositos (episcopales) gubernetur ». Inde est quod officium servandae unitatis in Ecclesia ad eosdem episcopos pertineat: « Hanc unitatem tenere firmiter et vindicare debemus maxime episcopi qui in Ecclesia praesidemus ». Hartel, n. 213. Episcopi porro apud Cyprianum sunt « praesides veritatis », a quibus proin pendet fidei custodia et explicatio. Hartel, p. 796. Ceterum nota sunt concilia nationalia africana sub Cypriano celebrata, ad quae quaestiones fidei examinandae deferebantur.

Augustinus consecravit et ad fastigium attulit auctoritatem magisterii ecclesiastici percelebri ac vere lapidaria formula: « Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas ». R. J., n. 1581.

Vincentii Lirinensis non est minus nota sententia: « Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus scripturarum canon sibi que ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur ... Idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut prophetae et

apostolicae interpretationis linea *secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur* ». R. Journal, n. 2168.

Praxis conciliaris oecumenica inchoatur saeculo quarto, longo saeculorum tractu continuanda, in qua authentici magisterii exercitium perenniter manifestatur.

4° Quartum argumentum dabit directum doctrinae examen.

Protestantes extollunt Sacrae Scripturae plenitudinem, sufficientiam, claritatem. Unde Scriptura est habenda unus fons revelationis — unica regula fidei: at non omnes eodem modo intelligunt et proponunt hanc regulam fidei. Alii loquuntur de inspiratione privata; alii appellant ad inquisitionem privatam; aliis sufficit ordinaria intelligentia. *Inspiratio privata* diversas interpretationes nacta est apud Protestantes: alii eam intelligunt ut novam *facultatem* divinitus inditam ad scripturas intelligendas; alii loquuntur de novo *influxu* divinitus exercito in lectores Scripturae — pro aliis agitur de nova *virtute* ipsis verbis inspiratis implicata atque inserta.

Crisis: a) Secundum Protestantes id omne est fide divina credendum, quod in Scripturis continetur. Atqui Scripturae clare continent divinam institutionem magisterii authentici, infallibilis, perpetuo duraturi. Ergo divina institutio magisterii externi ac vivi est devota fide acceptanda.

b) Secundum principium protestanticum id *solum* est fide credendum quod in Scripturis continetur. Atqui Scripturae nullibi docent omnia creditu necessaria contineri in ipsis Scripturis. Ergo divinae Scripturae sufficientia fide divina nullatenus credi potest. Recurret sermo de his in tractatu de traditione.

c) Scripturae rursus nusquam docent inspirationem privatam singulis lectoribus divinitus concessam ad congruam Scripturarum intelligentiam. Textus obiectos a Protestantibus in parte defensiva theseos considerabimus.

d) *Ipsa experientia protestantica* rem totam illustrat atque confirmat. Si praefata inspiratio reapse daretur, Protes-

tantes convenirent tum inter se, tum cum catholicis in recta Scripturarum intelligentia. At nimis evidens est defectus talis concordiae biblicae. In gravissimis doctrinae inspiratae capitibus, qualia sunt quaestio de natura iustificationis, de peccato originali, de praesentia Christi eucharistica seu de sensu verborum Christi: « hoc est corpus meum »... iam inde ab initio reformationis protestanticae confusio vere babylonica invaluit apud ipsos primipilos Reformatores: inde tanta sectarum varietas et oppositio. Quam ut cohiberent et quadantenus coercerent, constricti sunt creare tot confessiones, catechismos, *libros* symbolicos, externas fidei regulas, id est, externum aliquod magisterium humanum.

Inquisitio privata scientifica, proprio Marte inducta atque peracta, non minus difficilis et practice impossibilis apparet. Missis aliis, considera tres quaestiones vere capitales, quae hic examinandae recurrunt: Prima est de *canone* integro Sacrarum Scripturarum; altera est de *lectione* Scripturarum; tertia demum est de *interpretatione* Scripturarum. Prima et gravissima quaestio de canone integro Scripturarum nequit ulla tenus solvi a viro protestantico, qui ex una parte retinet principium de plenitudine Scripturarum, et ex alia parte reiicit authenticum et infallibile magisterium divinitus institutum: recurret de his sermo in prima thesi de Traditione. — Quaestio altera de lectione Scripturarum quam sit ardua et operosa facile intelliges, si perpendas sequentes difficultates: codices inspirati librorum originalium periere omnes. — Remanent apographa et versiones: apographorum lingua hebraica, aramaica et graeca est terra perfecte ignota pro maxima parte lectorum etiam protestantium. — Remanet recursus versionum antiquarum; at quomodo possunt singuli lectores Scripturarum constatare fidelitatem harum versionum? Recurres forsitan ad auctoritatem peritorum virorum: at nonne eo ipso instauratur magisterium externum? Et quid si viros ipsos peritos discordare contingat? — Tertium problema de interpretatione Scripturarum est adeo complexum et spinosum, ut vix ulla probatione aut explicatione indigeat: innumerae quaestiones historicae, chronologicae, philologicae, philosophicae ... pervadunt textum biblicum. His tot et tantis difficultatibus solvendis impares sunt profecto non tantum ru-

des et simplices christiani, quorum est maxima pars, sed ipsi quoque sapientes et technici, qui nec valent inter se consentire omnes, nec aliis suam auctoritatem imponere.

II

Magisterii ecclesiastici infallibilitas.

Infallibilitas est impotentia errandi. Excludit ergo tum factum erroris (inerrantia facti), tum possibilitatem eiusdem (inerrantia iuris); at non excludit potentiam peccandi, ut falso quidam sibi nonnumquam fingunt.

Duplex est infallibilitas: alia *imparticipata*, quæ divina est, ideoque absoluta, independens et universalis seu ad omne obiectorum genus se protendens; alia *participata*, ideoque a divina dependens, conditionata, restricta seu ad certum quoddam obiectorum genus coarctata. Haec porro participatio dupliciter fieri potest, naturaliter nempe et praeternaturaliter. Prior habetur ubi errandi impotentia radicitur in ipsa natura; talis est infallibilitas qua gaudet humanus intellectus circa prima principia sive speculativa sive practica. Altera participationis forma recurrit ubi errandi impotentia fundatur in aliquo auxilio divino extraordinario. Hoc autem auxilium divinum triplex fingi potest: inspiratio, revelatio, assistentia.

Inspiratio biblica est motio divina ad scribendum, et quidem talis, per quam Deus constituitur auctor principalis libri seu scripti inspirati; hagiographus vero auctor secundarius seu instrumentalis. Tria concurrunt ad libri conscriptionem: intellectus, voluntas, facultates demum executivæ. Hinc est quod motio divina inspirativa implicat positivum influxum in intellectum, in voluntatem, in ipsas quoque facultates executivas, prout alibi explicatur. Vides quare liber inspiratus dicatur et reapse est *Verbum Dei* non tantum ratione materiae seu obiecti in eo contenti, sed etiam ratione formae seu ipsius conscriptionis.

Revelatio divina est locutio Dei attestans; hinc importat positivum influxum divinum, illustrationem nempe intellectua-lem divinitus provocatam, per quam obiectum intellectui ma-nifestatur prout est a Deo cognitum et assertum, ideoque fide obsequiosa acceptandum. Revelatio ergo divina implicat qui-dem influxum positivum, sed hic influxus non est motio sive ad scribendum sive ad loquendum, sed est tantum illustratio intellectus.

Assistentia divina non requirit inspirationem vel revelatio-nem superius descriptam, sed consistit in speciali quadam di-vinae providentiae directione qua Deus impedit errorem in Ecclesia sive docente, sive discente. Vides assistentiam divi-nam non necessario postulare aliquem Dei positivum influxum. Praecones quippe ecclesiastici, eo ipso quod carent divina in-spiratione vel revelatione, debent, antequam veritatem revela-tam proponant vel definiant, ipsos revelationis fontes accura-te perscrutari sive per se, sive per alios. Porro si praefata fon-tium conquisitio recte procedat, ut saepe fiet, non tenetur Deus positivo quodam concursu speciali influere; sufficit ut invigilet ne inventa veritas inepte proponatur. Sed ex alia parte assi-stentia divina non necessario excludit omnem positivum influ-xum: quandoquidem potest Deus doctores ecclesiasticos multi-fariam illustrare; potest eos movere ut quaerant, ut orent, ut apta subsidia aptosque collaboratores sibi procurent; potest demum obstacula multiformia suscitare quibus omnis erroris propositio impediatur. Quaestioni ergo propositae, num assi-stentia divina importet divinum influxum positivum, oportet respondere: positivus quidam influxus ex una parte non nec-essario requiritur; sed ex alia parte non necessario excluditur. Ceteroquin oportet distinguere inter magisterium apostolicum et subapostolicum. Non pauci apostoli habuerunt in suo magis-terio scripto inspirationem, revelationem et assistentiam; at magisterium ecclesiasticum subapostolicum non amplius gau-det sive inspiratione, sive revelatione, sed sola fruitur assisten-tia divina.

Infallibilitas ecclesiastica duplex est: alia activa, alia pas-siva. Prior est impotentia errandi in *docendo*; hinc supponit assistentiam divinam ad verbum Dei et recte intelligendum, et recte proponendum. Altera est impotentia errandi in *creden-*

do. Mutua utriusque habitudo haec est, ut infallibilitas passiva dependeat tum a Deo assistente, tum ab Ecclesia seu magisterio docente; infallibilitas vero activa non dependet a passiva. Potest tamen magisterium ecclesiasticum aetatis posterioris uti infallibilitate passiva Ecclesiae aetatis anterioris tamquam apto criterio ad discernendam veritatem revelatam: cogita definitionem dogmaticam de Maria in caelum assumpta.

Adversarii huius secundae partis iidem sunt, qui in prima parte sunt recensiti. Nemo est qui ex una parte admittat magisterium ecclesiasticum vivum et authenticum divinitus institutum, ex alia vero parte eiusdem magisterii infallibilitatem detrectet.

Probatur thesis

Via apologetica thesis probari potest triplici testimonio: evangelico, apostolico, ecclesiastico; accedet argumentum rationis theologicae. Testimonium facile princeps est evangelicum, ad cuius efformationem quatuor evangelistae apta elementa suppeditabunt. Marcus nobis dabit *sanctionem gravissimam* divinitus appositam contra eos omnes, qui praedicationem apostolicam et ecclesiasticam admittere recusant; inde *deducemus* existentiam auxilii divini praeconibus evangelicis divinitus collati. — Matthaeus *explicite attestabitur* existentiam seu promissionem huius auxilii. — Lucas et Ioannes *explicabunt naturam* auxilii divini.

Marcus praeprimis refert verba dominica in epilogo sui evangelii 16, 15-16: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur ». Unde argumentum: Christus iubet sub comminatione aeternae salutis credere assensu absoluto et irretractabili evangelium ab apostolis praedicatum. Atqui non sic iuberet si apostoli possent errare in proponenda doctrina revelata ad salutem spectante. Ergo ...

Prob. min. Nequit rationabiliter imponi sub hac tali poena assensus absolutus et irreformabilis, ubi magistri seu prae-

dicatores possunt errare in docendo: teneremur enim ex mandato divino adhaerere modo absoluto errori in materia fidei et morum sub paena aeternae condemnationis (!).

Dices: Datur obligatio gravis sequendi conscientiam invincibiliter erroneam. Ergo ex obligatione acceptandi aliquam normam doctrinalem non sequitur infallibilis huius normae veritas.

Resp.: Non datur obligatio efformandi conscientiam erroneam; sed datur gravis obligatio efformandi conscientiam rectam, maxime in iis omnibus, quae ad aeternam nostram salutem spectant. Iamvero in nostro casu daretur gravis obligatio ex mandato divino efformandi conscientiam erroneam, eamque sequendi. Nulla ergo adest paritas in casu obiecto.

Replicabis: Datur obligatio gravis acceptandi assensu etiam interno decreta doctrinalia magisterii ecclesiastici authentici quidem, sed nondum peremptorii et infallibilis, puta, Sancti Officii. Ergo manet difficultas.

Resp.: Non tenemur adhaerere assensu absoluto et irtractabili decretis magisterii authentici et fallibilis. Quaestio de natura assensus debiti decretis doctrinalibus magisterii authentici quidem, sed non peremptorii alibi tractabitur.

Matthaeus 28, 18 sq. clare exhibet sollemnem auxilii divini promissionem: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete (graece: discipulos facite) omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ». Unde argumentum: Christus promittit apostolis suis auxilium efficax ad proponendam doctrinam salutarem omnem. Atqui talis promissio implicat magisterium infallibile. Repugnat enim auxilium divinum ex una parte efficax, et ex alia parte efficacia destitutum in ordine ad effectum pro quo obtinendo datur.

Prob. maior.: Verba Christi dirigi ad apostolos evidens est ex contextu, et iam alias ostendimus. Promitti auxilium divinum efficax eisdem docentibus non minus patet; clamant enim verba: Ecce ego, cui omnis potestas data est in caelo et

in terra *vobiscum sum* omnibus diebus. Qualis sit vis contenta in hac sacra formula toties in Scripturis iterata egregie declarat *U. Holzmeister* scribens (Verbum Domini, v. XXIII, p. 232 sq.): « Ubicumque haec formula in S. Scriptura occurrit, clare eundem sensum exhibet: quatuor enim de illo homine cui — saepe divinitus — dicuntur, asserit: 1° magnum ei prorsusque singulare incumbit *officium* Deo eum eligente eique mandante persolvendum. 2° Magnis igitur *difficultatibus* premitur, sive obstaculis externis (in ordine obiectivo), sive subiectivis angoribus. — 3° Attamen *auxilium* divinum omnino singulare et *efficax* ei conferendum est — quandoque ei iam asseritur collatum, alias pro futuro promittitur — 4° quare haec formula *prophetiam* continet: ille homo magnum suum officium non obstantibus difficultatibus feliciter implebit. Hagiographus non raro in sequentibus vel explicite addere, vel saltem innuere solet prophetiam esse impletam ».

Quatuor modis haec sacra formula exhiberi consuevit: a) Aliquando *Deus ipse* loquitur cum illo homine vel per se vel per legatum — b) Alias creatura loquitur in secunda persona = Deus est tecum — c) Alias creatura loquitur in tertia persona = Deus est vel erat cum eo — d) Rarius recurrit formula in prima persona = Deus mecum.

Primae formae exempla frequentissima sunt in Antiquo Testamento. Sic Deus dicitur esse cum *Isaac* Gen. 26, 3 et 24. — Cum *Iacob* Gen. 31, 3; 46, 3 sq. Cum *Moyse* Exod. 3, 12; 4, 12. Deut. 1, 42. — Cum *Iosue* Deut. 31, 23. Ios. 1, 5 et 9; 3, 7. — Cum *Gedeone* Iud. 6 12-16. — Cum *Davide* 2 Sam. 7, 8 sq. (Par. 17, 8 sq.). — Cum *Ieroboam* 3 Reg. 11, 38. — Cum *Isaia* 41, 10; 43, 5; 43, 2. — Cum *Ieremia* 1, 7 sq. cf. 15, 20; 30, 10 sq.; 42, 11; 46, 28. — Cum *Ezechiele* 3, 14; 34, 30. — Cum *Aggaeo* 1, 13. — Item in Novo Testamento: Cum *Iesu* Io. 3, 2. — Cum *Paulo* Act. 18, 9 sq. — Cum *Maria* Lc. 1, 28. — Cum *apostolis* Mt. 28, 20.

Notatione singulari dignissima est formula sacra qualis recurrit in prophetia *Ieremiae* 1, 4 sq.: « Et factum verbum Domini ad me dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam

in gentibus dedi te. — Et dixi: A, a, a, Domine Deus; ecce nescio loqui, quia puer ego sum. — Et dixit Dominus ad me: Noli dicere: puer sum; quoniam ad omnia quae mittam te, ibis; et universa quaecumque mandavero tibi loqueris. — Ne timeas a facie eorum; quia *tecum ego sum*, ut eruam te, dicit Dominus. Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et dissipas, et disperdas, et aedifices, et plantes ... Ne formides a facie eorum; neque enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram regibus Iuda, principibus eius, et sacerdotibus, et populo terrae. Et bellabunt adversum te, et non praevalent; quia *ego tecum sum*, ait Dominus, ut liberem te ». Vix possit clarius et vehementius exprimi efficacia auxilii divini implicata in sacra formula: « ego tecum sum ». Similia reperies in vocatione prophetica Moysis (Exod. 3, 10 sq.).

Lucas et Ioannes determinant naturam huius auxilii divini. Septem sunt textus principales: ex quibus duo ad Lucam, quinque ad Ioannem pertinent. Singulos videamus:

Lucas in ev. 24, 48-49: « Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto ».

Act. 1, 8: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae ».

Ioannes 14, 16-17: « Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit ».

Idem in 14, 20: « In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis ».

Idem in 14, 26: « Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero (graece: dixi) vobis ».

Idem in 15, 26: « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis quia Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis ».

Idem in 16, 12-14: « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis ».

Synthesis: Ex textibus citatis clare apparet qualis sit natura auxilii divini, de quo loquitur Christus apud Matthæum: Est nempe virtus ex alto. — Haec virtus est Spiritus sancti supervenientis in apostolos. — Hic Spiritus dicitur esse *Spiritus veritatis*, qui a Patre procedit. — Officia porro huius Spiritus recensentur sequentia: Ille testimonium perhibebit de Christo — dabit apostolis virtutem testificandi — suggeret in memoriam apostolorum omnia quae Christus praedicavit — docebit eos omnia, seu deducet eos in omnem veritatem — futura quoque annuntiabit — suppeditabit eis intelligentiam immanentiae vitalis in mysterio tum trinitario, tum ecclesiastico seu corporis mystici: « in illo die cognoscetis quia ego sum in Patre, et vos in me et ego in vobis ».

Inde palmare argumentum: Infallibile profecto est magisterium exercitum ab his, quibus adest Spiritus veritatis sive testificantibus, sive docentibus. Atqui tale est magisterium apostolicum, quale exhibetur in testimonio evangelico. Ergo ...

Novum testimonium evangelicum pro infallibilitate magisterii apostolici peti potest ex oratione Christi sacerdotali apud Ioannem 17, 17 sq. Sane Christus petit a Patre oratione efficaci pro universa ecclesia unitatem in fide: « ut omnes unum sint ». — Medium porro externum a Christo selectum ad obtinendam hanc unitatem est magisterium apostolicum: « Non tantum pro eis rogo, sed etiam pro illis qui credituri sunt *per verbum eorum* in me ». Magisterium apostolicum nequit esse medium aptum ad hunc finem, nisi praemuniatur charismate infallibilitatis; ideo Christus petit ut sint *consecrati in veritate*, et ad hanc consecrationem obtinendam ipse se offert immolandum in cruce: « ego sanctifico me ipsum pro eis, ut sint et ipsi sanctificati in veritate ». — Simul cum medio externo et hierarchico Christus commemorat etiam medium *internum et pneumaticum*: « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus ». Suo loco ostendimus in hac claritate implicari gra-

tiam tum creatam, tum increatam, Spiritum inquam veritatis et caritatis. Ceterum advertas hanc orationem fieri a Christo sacerdote postquam ipse propheta praedixerat et promiserat Spiritum veritatis in Ecclesiam mittendum.

Ultimum testimonium evangelicum suppeditat Lucas 22, 31-32: « Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Ubi Christus oratione certe efficaci petit fidem indeficientem et indefectibilem in ordine ad confirmandos fratres suos. Atqui indefectibilitas in fide nihil est aliud quam infallibilitas activa. Ergo ... *Nota*: De hoc testimonio speciatim deinceps agemus in thesi decima octava.

Testimonium apostolicum pro infallibilitate Ecclesiae nobis dabit Paulus.

Primo quidem in epistula I ad Timotheum 3, 14-15: « Haec tibi scribo sperans me ad te venire cito, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis ». Unde Ecclesia, teste Paulo, est columna et firmamentum veritatis. Atqui non foret talis, si non esset infallibilis: sane sicut columna et basis tribuunt aedificio firmitatem et stabilitatem, sic Ecclesia conservat firmam et stabilem veritatem revelatam. Sed hanc non posset sic firmam conservare; nisi vera infallibilitate praedita esset.

Nota: a) Aliqui Protestantes conantur infirmare vim argumenti mutando punctuationem et trahendo illa verba « columna et firmamentum veritatis » ad Timotheum; unde sensus foret: Ut scias quomodo debeas conversari in domo Dei tu, qui es (vel debes esse) columna et firmamentum veritatis. Sed haec dicuntur reclamante textu et contextu. Nec dicas sermonem esse de ecclesia ephesina, quasi haec sola pronuntiaretur infallibilis. Utique Paulus proxime loquitur de ecclesia ephesina, sed hanc evidenter considerat ut partem Ecclesiae universalis seu Domus Dei, de qua demum asserit eam esse columnam et firmamentum veritatis.

b) Alii Protestantes e contra volunt trahere verba « columna et firmamentum veritatis » ad sequentia; unde legen-

dum foret: « columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in mundo, assumptum est in gloria ». Sed haec rursus gratis dicuntur contra textum et contextum.

c) Alii Protestantes simpliciter concedunt vim argumentationis. Sic commentarius anglicanus (edit. Cook) locum nostrum interpretatur: « The — Church is the pillar and basement of the truth, because it sustains it, as Calvin says, by making in known by its preaching, by pre-serving it unmu-lated and pure and by transmitting it to posterity ».

Paulus rursus loquitur de magisterio ecclesiastico in epistula ad Ephesios capite quarto, et quidem de magisterio authentico et infallibili. Etenim a) Ecclesia secundum Paulum est una in fide. « Unum corpus, unus Spiritus ... unus Dominus, una fides » vv. 4 et 5. b) Medium externum divinitus institutum ad inducendam et conservandam hanc fidei unitatem est magisterium ecclesiasticum: « Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ... donec recurramus omnes in unitatem fidei ... ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum » v. 11 sq. c) Magisterium ecclesiasticum nequit esse medium aptum ad hanc fidei unitatem perenniter et efficaciter conservandam nisi sit communitum sacro veritatis charismate. d) Hinc est quod adest in Ecclesia aliud medium internum et divinum: « Unus Spiritus », qui est Spiritus veritatis et sanctitatis.

Testimonium traditionis christianae recurret in thesibus subsequentibus. Sufficiat hic duo commemorare: 1° Quod persuasio de infallibilitate Ecclesiae eiusque magisterii, clare manifestatur iam in Ecclesia primaeva. Exemplo sit *Irenaeus*, cuius est pretiosum testimonium in libro tertio adversus haereses 24, 1 (MG. 7, 966): « In Ecclesia posuit Deus apostolos, prophetas, doctores, et universam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam ma-

iam et operationem pessimam. *Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic et Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas* ». Nec est praetermittendum celebre eiusdem Irenaei testimonium pro primatu Ecclesiae romanae supra a nobis in thesi decima commemoratum (v. I, p. 295 sq.). Ibi ostendimus ecclesiam romanam pro Irenaeo esse centrum orthodoxiae oecumenicae necessario adeundum et vera infallibilitate praeditum. 2° Eadem persuasio rursus manifestatur ex praxi conciliarum oecumenicarum iam inde a saeculo quarto inducta. Indubium enim est ecclesiam universam admisisse ut irrefragabiles et infallibiles normas doctrinales a conciliis oecumenicis propositas et sancitas.

Accedit demum argumentum rationis theologicae. Ecclesia, ut ostendimus in thesi sexta (v. I, p. 156 sq.) est indefectibilis tum quoad existentiam, tum quoad essentiam. Atqui non esset indefectibilis, si posset errare in rebus fidei et morum. Ergo ...

Prob. min.: Si enim erraret Ecclesia universa in vera fide, non esset amplius vera Christi Ecclesia, quae, ut vidimus, est essentialiter apostolica apostolicitate doctrinae; praevalerent portae inferi adversus eam. Indefectibilitas ecclesiastica, ut suo loco notavimus, importat immutabilitatem in rebus substantialibus. Atqui vera fides seu capita doctrinalia dogmatica pertinent ad res substantiales. Ergo ...

III

Perpetuitas magisterii ecclesiastici.

Argumenta biblica allata pro infallibilitate magisterii ecclesiastici, eadem fere probant perennitatem eiusdem magisterii. Etenim :

1° Apud Mt. 28, 18-20 promittitur collegio apostolico auxilium divinum duraturum usque ad consummationem saeculi; quae locutio penes Mt. constanter denotat finem huius mundi. Sic in parabola de zizaniis tempus messis vocatur

ab ipso Domino consummatio saeculi, quum mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem. Mt. 13, 39 sq.

2° Similiter in Ioanne 14, 16 — quidquid sit de aliis textibus — agitur de Spiritu veritatis qui manebit cum apostolis in aeternum. Ceterum concedendum videtur non omnia, quae promittuntur apostolis in textibus superius allatis, spectare ad eorum successores.

3° Paulus quoque in textu allato ex epistula ad Ephes. 4, 11 sq. agit de ministerio verbi duraturo donec *omnes* recurramus in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, i. e. usque ad consummationem saeculi.

4° Accedit ratio theologica obvia: Tandiu quippe debet durare magisterium ecclesiasticum a Christo institutum, quandiu durat finis propter quem obtinendum fuit constitutum. Atqui hic finis perdurabit usque ad consummationem saeculi. Profecto finis instituti magisterii non fuit alius quam unitas fidei efficienda et conservanda in animis fidelium ne simus sicut parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum. Hic porro finis durabit quandiu sint in hoc mundo homines erudiendi et praeservandi ab insidiis erroris i. e. usque ad consummationem huius saeculi.

Via dogmatica confirmatur thesis quoad omnes tres partes.

Divina institutio magisterii ecclesiastici docetur a Concilio Vaticano multifariam multisque modis. En aliqua testimonia, quae facile reperies apud Denzinger-Banwart: n. 1793: « Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam *custos et magistra verbi revelati* ab omnibus posset agnosci ».

n. 1798: « Ecclesia, quae una cum apostolico *munere docendi mandatum accepit* fidei depositum custodienti, *ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi* ».

n. 1800: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam *divinum depositum Christi sponsae tradita*, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda ».

Similia reperies nn. 1818, 1821, 1832.

Infallibilitas magisterii ecclesiastici non minus clare traditur ab eodem Concilio.

n. 1836: « Totius orbis antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati ... ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi *fides non potest sentire defectum* ».

n. 1837: « Hoc igitur veritatis et *fidei numquam deficientis charisma* Petro eiusque in hac cathedra successoribus *divinitus collatum est*, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur ».

n. 1839: Sollemniter definitur Romanum Pontificem ex cathedra definientem « *ea infallibilitate pollere, qua* divinus Redemptor *Ecclesiam suam* in definienda doctrina de fide vel moribus *instructam esse voluit* ». Similia reperies nn. 1792 et 1800.

Perpetuitas magisterii ecclesiastici continuo supponitur a Concilio Vaticano, et expresse traditur. Cf. Denzinger n. 1832 comparato cum n. 1825. Cf. quoque n. 1821.

Leo XIII in Encyclica « Satis cognitum » praeclare agit de magisterio authentico, vivo, perenni, infallibili a Christo in Ecclesia instituto. Cf. Denzinger, n. 1957: « Quamobrem instituit Iesus Christus in Ecclesia vivum, authenticum, idemque perenne magisterium, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit, eiusque praecepta doctrinae aequae accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit ».

Pius XII in Encyclica « Mystici Corporis » non adeo insistit in doctrina de divina magisterii ecclesiastici institutione, illam tamen constanter supponit atque identidem explicite tradit. Sic primo in n. 25 (edit. Tromp): « Dum concionatoris munus obibat (Christus), Apostolos elegebat, *mittens* eos sicut ipse erat missus a Patre, *doctores* nempe, rectores, sanctitatisque effectores in credentium coetu ». Similiter in n. 63:

« Nulla igitur veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter invisibilem, quam vocant, Spiritus Sancti missionem, ac iuridicum *Pastorum Doctorumque acceptum munus* ».

Clarius et fortius de magisterio ecclesiastico loquitur idem Pontifex in recenti Encyclica « *Humanī generis* »: « Sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote *cui Christus Dominus totum depositum fidei* — Sacras nempe Litteras ac divinam traditionem — et *custodiendum et tuendum et interpretandum* concredidit ».

Dices: Argumentatio *dogmatica* supponit probatam divinam institutionem magisterii authentici et infallibilis Ecclesiae Romanae-catholicae. Uti ergo documentis doctrinalibus huius magisterii romani tamquam authenticis et infallibilibus est aperta petitio principii.

Resp.: Nulla est petitio principii in argumentatione dogmatica a nobis adhibita. Siquidem ostendimus in parte apologetica nostri Tractatus veram Christi Ecclesiam esse indefectibilem et Romanam. Ibi notavimus et demonstravimus in hac indefectibilitate implicari veram Ecclesiae infallibilitatem. Haec demonstratio generalis per se sufficit ad depellendam quamlibet speciem petitionis principii vel circuli vitiosi. Hoc tamen manet verum, quod *pleniori iure* possumus in posterum uti via dogmatica, postquam apologetice clarius, distinctius et uberius demonstravimus in hac thesi divinam magisterii authentici et infallibilis institutionem.

Obiectiones solvuntur

1. Nullum est magisterium externum, ubi singuli fideles docentur ab ipso Deo. Atqui singuli fideles in N. T. docentur ab ipso Domino, ut clare patet ex Is. 54, 13: « Ponam universos filios doctos a Domino ». Ergo ...

Resp. Dist. maior. Nullum est magisterium externum, ubi singuli fideles docentur a solo Domino, C.; ubi fideles docentur a Deo simul cum magisterio ecclesiastico, N. Textus Isaiae praedicat utique magisterium divinum tempore messiano fusius et universalius exercendum, at non excludit magisterium externum ab ipso

Domino instituendum et exercendum. Cfr. Io. 6, 45 sq.: ubi ipse Christus explicat dictum Isaiae: « Est scriptum in prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem* ... Qui credit in me, habet vitam aeternam ». Vides singulos fideles sic edoceri et illuminari gratia interna, ut minime excludatur magisterium externum Christi Filii Dei, qui unus vidit Patrem et novit mysteria caelestia. Porro qui gratia divina interius allecti credunt Christo praedicanti et magisterium externum exercenti, habent vitam aeternam. Hinc sicut divinum illud et internum magisterium admittit, imo supponit magisterium vivum orale Christi, sic admittit quoque magisterium externum eorum, quos ipse Christus mittit ad docendas omnes gentes.

2. *Instabis*: Sed fidelibus N. T. videtur promitti tale magisterium divinum, quod reapse excludat omne magisterium externum. Etenim *Ieremias* sic describit pactum quod Deus inibit cum novo populo messiano: « Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam ... et *non docebit ultra vir fratrem suum* dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus » (31, 33 sq.). Ergo magisterium divinum in N. T. erit mere internum.

Resp. Negatur antec. Nec in hoc textu, ut iam alias notavimus, excluditur magisterium externum. In nova lege erit utique unius veri Dei et generatim rerum divinarum cognitio amplior intensione, universalior extensione, facilior acquisitione, firmiter duratione: nam scriptio legis non erit in tabulis lapideis, sed in cordibus fidelium; unde fiet ut hi, gratia interna et magisterio externo eruditi, perfectius acquirant et firmiter retineant veram doctrinam de Deo rebusque divinis; nec amplius necesse sit fratrem a fratre edoceri et adduci ad cognitionem veri Dei. Quomodo Spiritus S. scribat legem in cordibus fidelium declarat Paulus (2 Cor. 3, 3): « epistola estis Christi *ministrata a nobis* et scripta non atramento, sed *Spiritu Dei vivi*, non in tabulis lapideis, sed in *tabulis cordis carnalibus* ». Vides internam gratiam Spiritus S. non excludere, sed includere ministerium externum praedicationis apostolicae.

3. At ipsa doctrina N. T. videtur obstare nostrae interpretationi, ut videre est in Ioanne scribente: « Sed *vos unctionem habetis a Sancto*, et nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam ... et *non necesse habetis ut aliquis doceat vos*: sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium » (epist. I, 2, 20-21, 27). Ergo iterum constat fideles in N. T. sola unctione interna doceri.

Resp. Negatur antec. Ioannes non modo non excludit magisterium externum sed illud exercet vel in hac ipsa epistola. Fideles

suos hortatur ut gratia et unctione Christi roborati firmiter retineant veram doctrinam christianam quam a magistris suis audierunt et didicerunt: « Vos quod *audistis ab initio*, in vobis permaneat ». Hinc est quod fideles non necesse habent edoceri a falsis magistris seu pseudoprophetis: « Haec scripsi vobis *de his qui seducunt vos* » (ibid. 24 et 26). Similiter in cap. 1, 1 sq. eiusdem epistolae: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris ... *testamur et annuntiamus vobis* ... ».

4. Sed ipse apostolus tribuit suis fidelibus facultatem discernendi varios spiritus et iudicandi de veritate doctrinae: « Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudo-prophetae exierunt in mundum » (ibid. 4, 1). Ergo ...

Resp. Dist. antec. Fidelibus datur facultas discernendi et iudicandi de doctrinis ad normam praedicationis externae, quam audierunt. C.; ad normam eorum quae solo magisterio interno didicerunt. N.: cf. sequentia, ubi ipse Ioannes tradit doctrinam, ad cuius normam debent fideles iudicare de antichristis.

5. At teste Paulo (I Cor. 2, 15) « Spiritualis iudicat omnia et ipse a nemine iudicatur ». Ergo facultas discernendi et iudicandi de rebus divinis pertinet ad viros spirituales, secluso omni magisterio externo.

Resp. Non est hic sensus textus, qui obicitur. Paulus distinguit duplex audientium genus: Alii sunt perfectiores, quibus loquitur sapientiam Dei in mysterio: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos » (2, 5-7). Alii sunt christiani imperfectiores, parvuli adhuc in Christo, de quibus ait: « tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis » (ibid. 3, 1-2). Priores vocat *spirituales*, posteriores vero psychicos seu carnales. Porro discrimen inter utrosque non in hoc reponitur, quod homo carnalis indigeat, spiritualis vero minime indigeat magisterio ecclesiastico; sed in eo, quod homo spiritualis potest apte discernere et aequum iudicium ferre de rebus spiritualibus etiam altissimis, dum homo carnalis seu animalis non potest percipere ea quae sunt Spiritus Dei. Haec est ratio quare Paulus sapientiam Dei loquitur inter perfectos, spiritualibus spiritualia comparans, Corinthiis vero quasi carnalibus et parvulis in Christo non potuerit proponere altissima religionis christianae mysteria, sed tantum rudimenta fidei. Vides ergo minime a Paulo excludi magisterium externum, sed continuo illud supponi, imo etiam exerceri, sive agatur de viris carnalibus, sive etiam de spiritualibus.

6. Magisterium authenticum exercetur in subditos hierarchiae ecclesiasticae. Atqui magisterium de quo agitur in Mt. 28, 18-20 et Mc. 16, 15-16 versatur non circa baptizatos et Ecclesiae subditos, sed

in gentes. Ergo ex his textibus non probatur magisterium vere authenticum.

Resp. Negatur duplex falsum suppositum: a) In textibus citatis traditur potestas docendi non tantum gentes, sed etiam fideles baptizatos: « Docete omnes gentes ... baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S., *docentes eos* (baptizatos) servare omnia ...: b) Etiam magisterium exercitum in gentes est authenticum, quippe quod sit innixum iurisdictioni vicariae Ecclesiae.

7. Sed actus fidei est internus. Atqui Ecclesia nequit praecipere actus internos. Ergo magisterium ecclesiasticum non potest praecipere actum fidei.

Resp. Dist. maior. Ecclesia nequit praecipere actus internos *indirecte* (i. e. ratione actus externi debite ponendi), N.: *directe* (i. e. ratione sui ipsius), subdist.: potestate *vicaria*, N.; potestate *propria*, Trans. Non plene constat apud theologos et canonistas, num Ecclesia possit potestate *propria* (in foro suo) praecipere actus mere internos. Quaestio haec pertinet ad canonistas, quibus solvendam relinquimus.

8. Sed non videtur sufficienter constare de existentia et necessitate magisterii ecclesiastici *post scripta inspirata* N. T.: Sane Protestantes, qui sacras litteras ab Apostolicis conscriptas recipiunt et venerantur, profecto credunt iis praedicantibus. Ergo amplior quaedam necessitas magisterii externi non probatur.

Resp. Negatur antec.: a) Christus imposuit *omnibus* Apostolis praeceptum praedicandi (non scribendi), et promisit se futurum esse cum eis docentibus usque ad finem mundi. Porro multi Apostoli nihil scripserunt, sed verbum Dei orali praedicatione proposuerunt, eamque tradiderunt episcopis a se constitutis: b) Hi ipsi Apostoli qui sacras litteras nobis tradiderunt, nec dixerunt usquam se in his scriptis velle concludere *omnem* doctrinam revelatam ad salutem necessariam, nec haec scripta tradiderunt singulis fidelibus privato examine iudicanda et interpretanda, sed episcopos constituerunt suos successores, quibus suum magisterium authenticum commiserunt; c) Patres sive apostolici sive sequiores continuo urgent necessitatem recurrendi ad doctrinam et praedicationem episcoporum, quibus Apostoli tradiderunt custodiendum et explicandum sacrum revelationis depositum. Accedit quod plerique fideles laborant impotentia plusquam morali intelligendi et interpretandi sacras litteras, in quibus sunt multa difficilia intellectu, quae indocti et perversi homines depravant. Rem totam ad oculos confirmat historia protestantica. Ceterum uberior de his sermo recurret in tractatu de Traditione,

9. Saltem non probatur magisterium ecclesiasticum *infallibile perpetuo duraturum*. Sane, si argumentum desumptum ex Mt. 28,

18-20 foret efficax, admittendum esset omnes et *singulos episcopos* esse infallibiles, quum Apostoli tales forent non tantum collegialiter omnes, sed etiam singillatim singuli. Atqui admitti nequit episcopus singulos esse infallibiles. Ergo ...

Resp. Negatur antec. Ad probationem vero negatur suppositum in ea latens. *Singulos* Apostolos fuisse infallibiles non probatur ex hoc textu Matthaei, in quo Christus verba et promissiones dirigit ad totum Collegium. Hinc negatur consequens de infallibilitate singulis episcopis tribuenda.

10. De facto ad posse valet illatio. Atqui apostoli de facto erraverunt docentes parousiam Domini iamiam instantem. Sic Paulus in I Thessal. 4, 15 sq.: « Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui *residui sumus in adventum Domini*, non praeveniemus eos qui dormierunt, Quoniam ipse Dominus in iussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de caelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui *vivimus, qui relinquimur*, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus ». — Similiter ipse princeps apostolorum I Petr. 4, 7: « *Omnium autem finis appropinquavit*. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus ». — Nec aliter Jacobus in sua epistula 5, 7-8: « Patientes estote usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum, fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra; *quoniam adventus Domini appropinquavit* ». — Similia profert Ioannes in sua epistula prima 2, 18.

Resp.: Negatur prorsus assertum. Apostoli numquam docuerunt parousiam Christi aut finem huius mundi iamiam instare; nec in scriptis suis quidquam affirmaverunt, quod non perfecte concordat cum illa *temporis ignorantia* quam ipse Christus hominum esse proclamavit. Recta quorundam locorum exegesis et interpretatio difficultate sane non caret. De singulis textibus obiectis alibi agitur. Nos hic dabimus quaedam principia generalia ad solvendam difficultatem obiectam, necnon ad determinandam positionem apostolorum in quaestione parousiaca.

1° Apostoli numquam docuerunt proximitatem parousiae *collegialiter omnes*, id quod plene sufficit ad solutionem praesentis difficultatis. Singulos quoque apostolos fuisse personaliter infallibiles admittimus quidem cum communi theologorum sententia; sed id neque probandum nec tuendum assumpsimus in praesenti thesi.

2° Singuli apostoli docent parousiam Domini debere praecedere varia facta, quorum proximitas nuspian insinuat: praedicationem evangelii in toto mundo in testimonium omnibus gentibus: tunc veniet consummatio — conversionem populi iudaici — generalem quandam scissionem seu apostasiam cum adventu antichristi coniunctam.

3° Admitti potest apostolos putasse vel coniectasse *possibilitatem*, imo, *probabilitatem* proximae parousiae, eamque ardentius desiderasse.

4° Proximitas parousiae distinguatur duplex: una absoluta, alia relativa sub qua unus dies sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies. Notetur praeterea proximitatem parousiae *pro singulis hominibus* aestimari per respectum ad mortem, quum post eam nullus restet iam locus paenitentiae salutaris: hinc frequens Christi monitum: *Vigilate et orate*, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.

5° Textus obiecti explicantur habita ratione contextus proximi et remoti. Exemplo sit Petrus: qui in sua epistula prima 4, 7 asserit: « Omnium finis appropinquavit ». Nihilominus ipse asserit in sua epistula secunda 3, 8-9: « Non tardat Dominus promissionem suam, sicut *quidam* existimant ... Adveniet autem dies Domini ut fur — Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et *mille anni sicut unus dies* ». Similiter Paulus in I Thessal. 4, 15 sq. videtur se accensere his qui vivi erunt tempore parousiae Domini; nihilominus idem Paulus in I Cor. 6, 14 se accenset his, qui *resurgent* — hinc morientur — in consummatione saeculi: « Deus vero et Dominum suscitavit; et *nos suscitabit* per virtutem suam ». Quin imo Paulus annuntiat proximitatem suae mortis in sua epistula secunda ad Timotheum 4, 6: « Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat ». — Similiter Ioannes in epist. prima 2, 18 ait venisse iam novissimam horam; quin imo asserit antichristum iam esse praesentem: « omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est, et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc iam in mundo est » (I epist. 4, 3): Vult significare Antichristum adesse iam praesentem per suos praecursores et pseudo-prophetas, qui eius spiritum participant; ideo addit: « Filioli, no-

vissima hora est: et sicut audistis quia Antichristus venit; et nunc *antichristi multi facti sunt* ». De doctrina S. Pauli in quaestione parousiaca cf. Denzinger, nn. 2179, 2180, 2181.

Scholion. — *De habitudine potestatis magisterialis ad potestatem iurisdictionis.*

Quaestio de intima natura magisterii ecclesiastici eiusque habitudine ad potestatem iurisdictionis obscura est, et multifariam exercuit ingenia theologorum et canonistarum. Cum hac quaestione intime conseritur illa de adaequata divisione potestatis ecclesiasticae universae: utrum nempe sit bipartita, an potius tripartita. Duae sunt principales sententiae in hac controversa quaestione.

Prima sententia docet duplicem esse potestatem Ecclesiae: unam *ordinis*, cuius est administrare ritus sacros quibus cultus Deo exhibetur (potestas sacrificialis), et sanctificatio hominibus confertur (potestas sacramentalis). Alia est potestas *iurisdictionis*, cuius est actus subditorum dirigere et gubernare in ordine ad communem Ecclesiae finem, qui est hominum sanctificatio et Dei Christique cultus. Potestas porro iurisdictionis subdividitur in duas potestates specie diversas: prior est potestas *magisterii*=dirigere actus subditorum in ordine doctrinali; est ergo potestas proponendi et imponendi seu praecipendi ea quae sunt *credenda*. Alia est potestas *regiminis*, ad quam spectat praecipere ea quae sunt *agenda* in ordine disciplinari. Hierarchia ergo ecclesiastica non est triplex dicenda, sed duplex: ordinis et iurisdictionis. Caeterum hi auctores libenter permittunt sermonem fieri de triplici Ecclesiae potestate, maioris claritatis et distinctionis gratia. Hanc sententiam proponunt et tuentur passim canonistae necnon theologi ut Palmieri, Lercher, Schlagenhafen, Dorsch, Wilmers, De Groot, Mazzela, Journet, Schultes, Felder, Huarte, alii.

Secunda sententia tenet triplicem esse potestatem Ecclesiae; ordinis, magisterii, iurisdictionis. Hae tres potestates differunt inter se specificè et realiter: Ordinis est sacros ritus administrare, magisterii est docere, proponere, infallibiliter definire doctrinam revelatam vel cum ea necessario

connexam; iurisdictionis est regere et praecipere actus subditorum. Ergo non tantum potestas ordinis, sed ipsa quoque potestas magisterii ecclesiastici, si spectetur in se ipsa et secundum suam rationem formalem, specificè et realiter differt a potestate iurisdictionis. Ceterum hi auctores admittunt potestatem magisterii, si res concrete et subiective spectetur, habere sibi annexam et inseparabiliter coniunctam potestatem iurisdictionis. Ad quaestionem ergo de bipartita vel tripartita divisione potestatis ecclesiasticae respondent cum distinctione: si sermo sit de distinctione innixa in ipsis potestatum formalibus rationibus, retinenda omnino est tripartita divisio; si sermo sit de divisione innixa in modo quo potestates conferuntur, admittenda potius est bipartita divisio. Potestas ordinis confertur consecratione; potestas magisterii et iurisdictionis conferuntur canonica missione seu mandato superioris. Haec quoque sententia habet pro se multos et graves doctores. Sic Franzelin, Billot, De Guibert, D. Herbigny, Stolz, Anger, Phillips, alii.

Utraque sententia proposita, si auctoritas extrinseca consideratur, debet dici solide probabilis. Quod si rationes intrinsecae, quibus singulae innituntur, perpendantur, nobis longe praeferenda videtur sententia prior, secundum quam potestas hierarchica omnis est duplex: ordinis et iurisdictionis; potestas ergo magisterii ecclesiastici non est nova quaedam potestas formaliter et specificè diversa a potestate iurisdictionis, sed est quaedam species iurisdictionis, i. e. est potestas iurisdictionis doctrinalis. Inter recentes auctores manualium facile eminent *J. Salaverri*, qui rem totam ample et erudite pertractavit, et tripartitam divisionem explicandam tuendamque suscepit in suo tractatu *De Ecclesia Christi* (Sacrae Theologiae Summa, II), p. 907 sq. Hunc ergo auctorem speciatim prae oculis habebimus in tota rei tractatione et discussione. Breviter proponimus argumenta in favorem primae sententiae afferri solita; accedet consideratio difficultatum, quae ex alia parte moventur.

1° Potestas magisterii ecclesiastici, qualis fuit a Christo instituta in collegio apostolico, est potestas docendi *vi missionis divinae*. Atqui talis potestas est formaliter iuridica. Etenim qui docet *vi missionis divinae* habet potestatem non tantum proponendi verbum Dei, sed etiam illud *imponendi* hinc est

potestas quae *vi sui*, non adiunctae potestatis, potest obligare fideles ad assensum internum. Hinc Christus apud Lc. 10, 16: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me ». Similiter Paulus ad Gal. 1, 8: « Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit ». Ad Titum 2, 15: « Haec loquere et exhortare, et argue *cum omni imperio* ».

2° Potestas regendi subditos in societate perfecta est vera iurisdictio. Atqui potestas magisterii ecclesiastici est potestas regendi subditos in societate perfecta. Siquidem potestas magisterialis ecclesiastica non est nuda docendi potestas, qualis est potestas docendi in professore universitatis, civilis vel ecclesiasticae, sed est potestas docendi *authentica*, proponendi doctrinam et obligandi ad acceptationem ipsius; est ergo potestas publica regendi subditos in ordine doctrinali.

3° Potestas ligandi et solvendi Petro a Domino collata est potestas vere iuridica, imo et suprema. Haec porro ligandi potestas se extendit ad omnes illos actus qui sunt necessarii vel convenientes in ordine ad regnum caelorum. Atqui actus fidei est necessarius ad captandum regnum caelorum; actus ergo fidei cadit sub potestate ligandi. At potestas attingens actum doctrinalem est potestas magisterialis; haec ergo potestas est vere et formaliter iuridica.

4° Potestas redigendi omnem intellectum in obsequium Christi, et ulciscendi omnem inobedientiam est vere iuridica. Atqui talis est potestas docendi ecclesiastica, ut apparet ex Paulo II Cor. 9, 5-6: « in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam ». Advertas Paulum loqui de potestate captivandi *intellectum*; agitur ergo de potestate dirigente ordinem doctrinalem, quae est potestas magisterialis.

5° Potestas iudicialis est potestas iuridica. Atqui potestas magisterii est iudicialis, siquidem magister ecclesiasticus, quae talis, habet potestatem iudicandi authentice tum de sensu legis divinae, tum de conformitate vel disconformitate actuum fidelium cum hac lege.

6° Concilium Vaticanum huic sententiae favere videtur in suo loquendi modo. Etenim:

a) In sessione IV, constitutione dogmatica de Ecclesia, capite tertio docet « Romani Pontificis *iurisdictionis* potestatem ... erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores et fideles ... officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae *ad fidem et mores*, sed etiam in his quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent ». Unde consequitur res quoque fidei cadere sub potestate iurisdictionis. Porro potestas attingens res fidei est potestas magisterialis. Potestas ergo magisterii est potestas iurisdictionis. Cf. D. n. 1827.

b) In eodem capite tertio adiunguntur haec quae sequuntur (Denzinger, n. 1829): « Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis *doceri ac regi* possint ». Unde iterum consequitur Romani Pontificis potestatem gubernandi, quae est ipsamet potestas iurisdictionis de qua in n. 1827, comprehendere potestatem *docendi* et *regendi*.

c) Accedit nova confirmatio ex Actis Concilii petita (cf. Collect. Lac. t. VII, col. 275): Ut scribit Wernz, Ius Canonicum, II, n. 48: « Cum a Patribus quibusdam postularetur ut post verbum iurisdictionis (vero proprioque iurisdictionis primatu) adderetur « *et magisterii* » huiusmodi emendatio non fuit admissa. Cuius rei in relatione ad cap. I haec redditur ratio: « Potestas magisterii, cuiusmodi est potestas docendi, tum in episcopis omnibus, tum in episcopo episcoporum, *ad potestatem iurisdictionis pariter spectat* ».

Nec caret significatione factum, quod in prima redactione canonis 195, paragrapho prima, legebatur: « Ex divina institutione est in Ecclesia potestas ordinis et potestas iurisdictionis *et magisterii* ». En tripartitam divisionem. Porro in redactione definitiva, qualis nunc exhibetur in Codice Iuris Canonici, in canone 196, praetermissa mentione vocis « magisterii », legitur: « Potestas iurisdictionis seu regiminis, quae ex divina institutione est in Ecclesia, alia est fori externi, alia fori interni seu conscientiae, sive sacramentalis, sive extrasacramentalis ». Tri-membris ergo divisio praetermissa est, nec in toto systemate Codicis memoratur potestas magisterii tamquam potestas di-

versa, ut scite notat R. Sotillo (Compendium iuris publici ecclesiastici, 1937, p. 93).

Reliquum est, ut consideremus obiectiones, quae ex parte adversa moventur.

Obiicitur 1°: « Ecclesiae potestates docendi, sanctificandi et regendi nihil aliud sunt, quam *continuata perduratio et ministerialis participatio* trium Christi munerum *Doctoris, Sacerdotis et Regis*. Ergo eiusdem sunt naturae eademque ratione differunt qua tria Christi messianica munera quippe quorum nihil aliud sunt quam continuatio et participatio. Atqui tria Christi munera Doctoris, Sacerdotis, Regis realiter et specificè differunt. Ergo etiam tres Ecclesiae potestates docendi, sanctificandi et regendi realiter et specificè differunt.

Minor subsumpta facile ab omnibus conceditur: Nam a) munera Prophetarum vel Doctoris, Sacerdotis et Regis in Scriptura ut *realiter distincta* exhibentur, adeo ut etiam a diversis personis exercentur et diversis unctionibus tribuantur Christus autem in eadem Scriptura describitur ut Propheta, ut Sacerdos et ut Rex ad modum aliorum, quippe cuius non erant nisi figurae alii Prophetarum, Sacerdotes et Reges. b) Tria autem Christi munera messianica *specificè differre*, patet ex eorum ratione et natura, atque ex eorum obiectis formalibus, quae Ipsemet Dominus expressit cum de semetipso dixit: Ego sum via, veritas et vita: Io. 14, 6. Christus *ut Magister docet veritatem* divinam et fovet *fidem* credentium — *ut Rex ostendit viam* caelorum et alit *spem* — *ut Sacerdos confert vitam* gratiae et auget *caritatem* ». (Salaverri, o. c. nn. 1304-1307).

Resp.: Obiectio multiplici pede claudicare videtur: a) Primo quidem in praefata argumentatione non attingitur punctum quaestionis controversum. Argumentum, si quid probaret, hoc unum ostenderet: potestatem magisterii *specie differre* a potestate regiminis. Sed cardo controversiae non versatur in hoc, utrum hae duae potestates specie differant inter se, sed in hoc utrum potestas magisterii ecclesiastici sit reducenda ad potestatem iurisdictionis; seu aliis verbis, num potestas magisterialis sit *formaliter iuridica*. Potestatem magisterii specie differre a potestate regiminis admittunt et docent patroni utriusque sententiae. Audiamus principalem auctorem primae sententiae, qui sine dubio est P. Wernz: « Quod si merito *duplex hierarchia* sive potestas ecclesiastica distinguitur,

minime tertia hierarchia vel potestas *magisterii*, tamquam nova quaedam species, duabus prioribus est *coordinanda*. Ipsa enim potestas *magisterii* sub potestate *iurisdictionis* ut species continetur, quae *ab altera specie* *iurisdictionis*, i. e. a potestate *regiminis* *probe est distinguenda*. Id recte urgent Card. Franzelin et Billot ... nam sicut genus (*iurdictio*) non est confundendum cum specie (potestate *regiminis*) ita multo minus una species (potestas *regiminis*) *cum altera specie*, i. e. *magisterio* ... quare potestas *magisterii* profecto *differt* a potestate *regiminis*, quia illa ad *credenda*, haec ad *agenda* refertur. At utraque potestas in hoc convenit, quod unaquaeque proxime *voluntati* imponit praecepta ». Ius Canonicum, Tomus II, de Personis, n. 48. — Idem prorsus docent Lercher et Schlagenhaufer: « Quum potestas regendi evidenter pertineat ad *iurisdictionem*, solum ostendendum est, potestatem docendi Ecclesiae propriam infra ambitum *iurisdictionis* contineri ... Potestas docendi a potestate *regiminis* obiecto et fine differt. Potestas docendi respicit doctrinas et leges divinas immutabiles, atque tendit in eum finem ut *intellectus* per cognitionem veri perficiatur. Vi potestatis regendi Ecclesia ferre potest leges disciplinares, easque mutabiles pro opportunitate temporum et locorum, quas leges ad perfectionem *voluntatis* ut ad finem proprium diriguntur. Ergo potestas *iurisdictionis* recte in potestatem regendi et docendi velut in *duas species differentes dividitur* ». Instit. Theol. Dogm. I, n. 456. Vides ergo primae quoque sententiae fautores admittere et explicite docere discrimen specificum inter potestatem docendi et regendi in Ecclesia. Primum ergo argumentum obiicientis non attingit punctum controversiae.

b) Accedit quod obiiciens videtur supponere sacerdotium, magisterium et imperium Antiqui Testamenti eiusdem esse univocae naturae ac sacerdotium, magisterium et imperium Christi eo quod « Christus in Sacra Scriptura describitur ut Propheta, ut Sacerdos, ut Rex ad modum aliorum, quippe cuius non erant nisi figurae alii Prophetae, Sacerdotes et Reges ». At haec suppositio videtur esse gratuita et falsa. Primo quidem *sacerdotium* Christi specie differt a sacerdotio Antiqui Testamenti. De discrimine inter sacerdotium Christi et sacerdotium Aaronicum splendide disserit Paulus in epistula ad Hebraeos. Ipsum quoque sacerdotium Melchisedec, qui erat

typus Christi Sacerdotis, specie differt ab huius sacerdotio, spectato utriusque fundamento, natura, obiecto, fine, excellentia, dynamismo vivificante. Potestas Christi sacerdotalis erat tum potestas redimendi mundum per cruentam propriae carnis oblationem in Calvaria, tum potestas applicandi fructus redemptionis per carnem suam glorificatam et in sanctuarium caeleste invectam ut appareat vultui Dei pro nobis. Potestas sacerdotalis sive Aaronis sive Melchisedec certe non erat huiusmodi. Quod de sacerdotio dixi, id ipsum intelligas de magisterio et imperio Christi comparato cum magisterio et imperio Antiqui Testamenti, spectato fundamento, natura, excellentia, virtute intensiva et extensiva utriusque.

c) Non minus manifestum est discrimen inter sacerdotium, magisterium, et imperium Christi, et sacerdotium, magisterium et imperium Ecclesiae. Potestas Christi sacerdotalis continebat virtutem operandi redemptionem cum obiectivam, tum subiectivam; non sic potestas sacerdotalis Ecclesiae. — Potestas iurisdictionalis Christi sive disciplinaris, sive doctrinalis, erat absoluta, se protendens ad ipsa Ecclesiae constitutiva: potestas iurisdictionalis ecclesiastica non est absoluta, sed mere relativa, etc.

Obiicitur 2°: « Potestates specificantur per earum actus proprios, formalia obiecta et intrinsecos fines. Atqui actus proprii, obiecta formalia et fines intrinseci trium Ecclesiae potestatum specificè differunt ... Ergo tres Ecclesiae potestates docendi, regendi et sanctificandi specificè differunt. Minor probatur sequenti paradigmate:

Magisterii actus est docere — Obiectum formale *veritas* revelata vel cum revelatis connexa — Finis intrinsecus obtinere assensum.

Regiminis actus est praecipere — Obiectum formale *actiones* conducentes ad Ecclesiae finem — Finis intrinsecus exigere *obedientiam voluntatis*.

Sacerdotii actus est ministrare — Obiectum formale media sanctificationis divinitus instituta — Finis intrinsecus conferre gratiam.

Respondetur: 1^o Argumentatio rursus aberrat ab scopo. Argumentum ut summum probaret potestatem magisterii ecclesiastici specie differre a potestate regiminis; id quod fautores sententiae contrariae minime negant, sed explicite fatentur, ut superius ostendimus.

2^o Paradigma propositum indiget explicatione et severa correctione:

Magisterium, quale hic describitur, non est magisterium genuine ecclesiasticum, quippe quod non distinguitur a magisterio theologico. Etiam de magisterio theologico dici potest quod eius actus est docere — obiectum formale veritas revelata vel cum revelatis connexa — finis intrinsecus obtinere assensum. Actus magisterii ecclesiastici est docere *authentice* seu auctoritative — Obiectum formale veritas revelata vel connexa *ut obligatorie tenenda* — Finis intrinsecus illustrare intellectum et *exigere* seu praecipere *assensum* intellectus.

Regiminis actus dicitur esse *praecipere* — Obiectum formale *actiones* conducentes ad Ecclesiae finem — Finis intrinsecus *exigere obedientiam voluntatis*. Sed haec omnia possunt aequo modo dici de magisterio ecclesiastico, quippe cuius actus est praecipere (credenda) — Obiectum formale actus fidei conducentes ad sanctificatorium Ecclesiae finem. — Finis intrinsecus *exigere obedientiam voluntatis* et intellectus: agitur quippe de assensu fidei *libero*, ideoque imperando per voluntatem. Merito notabat Wernz potestatem magisterii et regiminis in eo proxime convenire, quod utraque proxime imponit praecepta *voluntati*.

Sacerdotii actus est duplex: *sacrificium* offerre et *sacramenta* ministrare. Finis quoque duplex: cultum et honorem Deo exhibere, gratiam hominibus conferre. Potestas ergo ordinis duplex est: alia sacramentalis, alia sacrificialis. Hae duae potestates realiter et specificè differunt, quippe quarum actus, obiecta formalia et finis intrinseci specie diversa sunt. Aliud est sacrificium, aliud sacramentum. Mirum iure videri possit quod haec adeo obvia diversitas specifica totaliter praetermittatur.

3° S. docet Christum, *ut magistrum*, statuisse in sua Ecclesia magisterium infallibile: sic explicite in n. 502. Quo posito, oporteret admittere in Christo potestatem magisterialem cuius actus non est docere, sed instituere — obiectum formale non veritas revelata, sed potestas condita — Finis intrinsecus non obtinere assensum, sed ditare Ecclesiam organo apto ad finem socialem. Sed ex alia parte auctor admittit et docet potestatem magisterialem Ecclesiae eiusdem esse naturae ac fuit potestas magisterialis Christi, quippe cuius sit derivatio et continuatio: sic in n. 1304. Oporteret ergo admittere in Ecclesia magisterium cuius actus, obiectum formale et finis intrinsecus non inveniunt aptum locum in paradigmate propositō.

Obiectio tertia petitur ex specificè ac formaliter diversis iuribus et correlatis obligationibus, quae triplici Ecclesiae potestati correspondent. « Omnis potestas importat ius aliquod sibi proprium et obligationem tali iuri correlatam. Ex formaliter et specificè diversis iure proprio obligationeque correlata, merito potestates formaliter et specificè diversificantur. Nunc autem indoles potestatum Ecclesiae tota quanta derivatur ex divina Christi institutione, eatenus nempe quatenus Christus positive statuit ut Regenti, Magistro, Sacerdoti, legitime in sua Ecclesia constitutis, iura propria competenter, quibus ex parte fidelium correlatae obligationes responderent. Atqui ex divina Christi institutione iura propria et correlatae obligationes trium Ecclesiae potestatum formaliter et specificè differunt. Ergo etiam tres Ecclesiae potestates formaliter et specificè differunt. *Minor probatur*: Ex divina Christi institutione, *Regenti* in Ecclesia proprium *ius* est exigendi, et fidelibus *obligatio* praestandi *subiectionem voluntatis* per oboedientem executionem illarum actionum externarum, quae auctoritative *praecipiuntur*; *Magistro* in Ecclesia proprium *ius* est exigendi, et fidelibus *obligatio* praestandi *subiectionem intellectus* per internum mentis assensum iis quae authentice *docentur*; *Sacerdoti* in Ecclesia proprium *ius* est ministrandi et fidelibus *obligatio* animo obsequenti *susciipiendi media sanctificationis*, quae sacerdotaliter *conferuntur*. Atqui actus proprii et obiecta formalia horum iurium et obligationum formaliter et specificè differunt. Ergo ex divina Christi institutione iura propria et correlatae obligationes trium Ecclesiae potesta-

tum formaliter et specificè differunt ». Salaverri, o. c. nn. 1310 et 1311.

Respondetur: 1° Hoc etiam argumentum aberrat ab intento controversiae scopo. Ex argumento hoc unum sequitur potestates regendi, docendi et sanctificandi in Ecclesia formaliter et specificè diversificari. Sed hoc non est punctum controversiae praesentis; siquidem auctores sententiae contrariae hoc admittunt et explicite docent. Superius adduximus testimonia P. Wernz, qui citabat et laudabat auctoritatem PP. Franzelin et Billot, qui hoc specificum discrimen merito urgent et premunt. Punctum controversiae praesentis est num potestas magisterii in Ecclesia sit *formaliter iurisdictio*. Hoc tenet et contendit Wernz, sui que sequaces: apud quos omnis Ecclesiae potestas est vel ordinis, vel iurisditionis: iurisdictio vero dividitur in regimen et magisterium: regimine praecipiuntur agenda in ordine disciplinari; magisterio authentico docentur et praecipiuntur credenda in ordine doctrinali: utraque ergo potestas ex ipsa Christi institutione est *formaliter iuridica*.

2° Ipse obiiciens admittit in potestate magisteriali ecclesiastica contineri formaliter ius praecipendi, cui correspondet ex parte fidelium obligatio obaediendi; sed errat contendens obligationem imponi intellectui, et non voluntati. Actus fidei est liber; nequit porro esse liber, si non sit imperatus a voluntate; potestas ergo magisterialis, eo ipso quod praecipit assensum internum intellectus, attingit proxime voluntatem, cui imponit praeceptum imperandi actum fidei.

3° Obiiciens gratuito et a priori limitat ius regentis in Ecclesia ad actiones tantum externas. Regenti in Ecclesia competit ius praecipendi actiones etiam internas, idque duplici de causa. *Primo* quia adest in Ecclesia iurisdictio etiam *in foro interno*, quae exerceri potest sive sacramentaliter, sive extrasacramentaliter: iurisdictio porro in foro interno extenditur ad internas quoque actiones. Haec iurisdictio in foro interno competit Ecclesiae ratione finis proprii, quem obtinere debet, et derivatur a Christo sacerdote et rege non minus quam iurisdictio in foro externo. Nequit ergo praetermitti vel posthaberi, quum agitur de adaequata divisione potestatis ecclesiasticae. *Secundo* quia potestas regiminis ecclesiastici, secundum placita obiicientis, eiusdem est naturae, ac potestas regiminis

Christi. Atqui Christus rex poterat directe imperare actus etiam internos. Ergo unum e duobus seligatur oportet: vel negatur identitas specifica inter potestatem regalem Christi et Ecclesiae contra placita auctoris, vel admitti debet potestas regalis ecclesiastica directe se protendens ad actus tam internos quam externos.

4° Doctrina auctoris de natura potestatis *sacerdotalis* in Ecclesia difficulter admitti potest. S. admittit in sacerdote, qua tali, ius ministrandi media salutis, cui correspondet ex parte fidelium obligatio suscipiendi ista media sanctificationis. Sed haec obligatio recipiendi sacramenta et cetera salutis media non oritur ex aliquo praecepto imposito a sacerdote vi potestatis sacerdotalis, sed venit ab aliquo praecepto divino vel ecclesiastico sive papali, sive conciliari. Sacerdos habet ius exigendi a fidelibus ne impediatur in exercitio ministrandi sacramenta et offerendi sacrificium eucharisticum; sed non potest vi potestatis sacerdotalis imponere fidelibus obligationem recipiendi sacramenta vel audiendi missam: aliis verbis, potestas sacerdotalis non est formaliter iuridica aut praeceptiva.

Obiicitur 4° « Contrariorum eadem est ratio. Atqui haereticus, schismaticus et excommunicatus realiter et specificè differunt. Ergo etiam eorum contraria. Atqui contrarie opponuntur haereticus potestati doctrinali, schismaticus potestati regendi, excommunicatus potestati sanctificandi. Ergo etiam hae potestates tres realiter et specificè differunt ». Salaverri, o. c. n. 1312.

Respondetur: 1° Recurrit nova et quarta deviatio argumentationis a puncto controversiae. Argumentum si quid probaret, hoc unum ostenderet: potestatem regiminis specie differre a potestate magisterii et sacerdotii, id quod pars contraria minime detræctat. Haereticus opponitur quidem potestati docendi seu magisterio, at non magisterio mere doctrinali, sed vere authentico seu auctoritativo. In praesenti controversia quaeritur num hoc tale magisterium autenticum sit *formaliter iuridicum*: haec porro quaestio in praefato argumento nullatenus attingitur.

2° Schismaticus opponitur quidem potestati regendi, sed non huic soli potestati, Schismaticus directe opponitur unitati *communions* ecclesiasticae, quae iuridica simul et mystica est. Haec porro unitas specifica differt ab unitate regiminis. —

Quod excommunicatus opponitur potestati sanctificandi, certo quodam sensu verum est; sed hoc ulteriori explicatione indigeret. Potestas excommunicandi certe non pertinet ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis.

3° Tertiam observationem dabit *R. Sotillo* scribens: « Ex ratione S. Thomae deducitur contrarium eius quod intendit auctor. En eius (S. Thomae) verba: « Ad hoc ergo dicendum quod in distinctione potentiarum vel etiam habituum non est considerandum ipsum obiectum materialiter, sed ratio obiecti differens specie vel etiam generice. Quamvis autem contraria specie differant diversitate rerum, tamen eadem ratio est cognoscendi utrumque, quia unum per alium cognoscitur, in quantum conveniunt in ratione cognoscibili, pertinent ad unum actum cognoscitivum ». Ergo, licet demus haereticum, excommunicatum et schismaticum specie differre, si sub una ratione eisdem communi a potestate iurisdictionis attinguntur, haec non ipsis diversificatur, sed una in se manet. Quia ea, quae S. Thomas attribuit facultati cognoscendi, seu cognoscitivae, haec eodem omnino modo sunt attribuenda in nostro casu potestati iurisdictionali ». *Compendium iuris publici ecclesiastici*, 1951, p. 99.

Obicitur 5°: « Ex Christi mandato iuxta S. Hieronymi explicationem, tres Ecclesiae potestates aliae prae aliis latius patent et natura praecedunt. Atqui potestates quae aliae aliis latius patent et natura praecedunt, realiter e specie differunt. Ergo ... Maior patet, nam *potestas docendi* prior aliis natura est, et ad omnes prorsus homines extenditur; *potestas sanctificandi* per baptisma *media* est inter potestates docendi et regendi, atque ad eos tantum extenditur, qui crediderint; potestas denique *regendi* trium *postrema* est, et solum ad *baptizatos* extenditur ». *Salaverri*, o. c. n. 1314.

Respondetur: 1° Hoc argumentum eodem defectu laborat ac praecedentia: ex eo quod potestas docendi specie differat a potestate regendi, non sequitur magisterium non esse revocandum ad iurisdictionem. Caeterum per se patet hanc quaestionem controversam ex sola auctoritate S. Hieronymi dirimi non posse.

2° Si potestas sanctificandi per baptisma *media* est inter potestatem docendi et potestatem regendi, oporteret concludere nullam esse in Ecclesia potestatem docendi postbaptis-

malem (!). Reapse adest in Ecclesia potestas docendi gentes; quae baptismum praecedit; adest quoque potestas docendi baptizatos quae baptismum subsequitur. Utraque haec potestas est *iuridica*, hoc tamen discrimine, quod prior est *vicaria*, altera *propria*. Verba Christi: qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit, non minus spectant ad primam, quam ad secundam; quin imo verba Christi apud Lucam 10, 16 dirigebantur ad discipulos, qui debebant docere iudaeos nondum baptizatos.

3° Sit ultima observatio argumentativa *ad hominem*. S. admittit et contendit eandem esse potestatem docendi in Christo et in Ecclesia, quum haec nihil sit aliud, quam illius derivatio et continuatio. Atqui Christus habebat potestatem docendi *propriam*, quae se extendebat ad non baptizatos. Ergo unum e duobus: vel negandum est potestatem docendi ecclesiasticam esse eiusdem naturae, ac fuit potestas Christi magisterialis; vel est affirmandum potestatem docendi ecclesiasticam *propriam* se protendere ad gentes nondum baptizatas.

Obicitur 6°: « Ecclesia eatenus habet potestatem verae propriaeque iurisdictionis, quatenus est societas, non minus ac Civitas, genere et iure perfecta. Atqui societas civilis, quantumvis perfecta concipiatur eius iurisdictionalis potestas, caret proprie dicta potestate docendi pariter ac potestate sanctificandi. Ergo potestas docendi pariter ac sanctificandi nequit dici pars verae propriaeque iurisdictionis *specificae* intellectae. *Minor probatur*: quia civilis potestas non est supernaturalis, potestatem autem docendi pariter ac sanctificandi obtinet Ecclesia, non praecise qua hominum societas perfecta, sed solum quia Dominus positive eam fecit supernaturale suum Regnum gratiae et veritatis ». Salaverri, o. c. n. 1316.

Respondetur: 1° Hic tandem aliquando attingitur punctum quaestionis controversae, et comparatio instituitur inter potestatem docendi et potestatem *iurisdictionis* ecclesiasticae; ideo hic clarius manifestatur radix ultima totius confusionis. Sit ergo responsio in forma: Ecclesia eatenus habet potestatem verae propriaeque iurisdictionis, quatenus est societas perfecta *et supernaturalis*, conceditur: quatenus est societas perfecta et naturalis eo modo ac est societas civilis, negatur. Una eademque est ratio institutae in Ecclesia potestatis iurisdictionalis,

ac fuit ratio instituendi potestatem magisterialem et sacerdotialem: finis nempe supernaturalis harum potestatum exercitio obtinendus. Cum vero finis hic supernaturalis nequeat obtineri per potestates pure naturales, hinc necesse fuit instituere potestates supernaturales non tanum in ordine liurgico et soteriologico ac doctrinali, sed etiam in ipso ordine iuridico. Haec est ratio quare detur in Ecclesia iurisdictio *in foro interno et externo*, id quod de societate civili nefas est iudicare. Haec est pariter ratio, quare ipsa potestas iuridica in foro externo, maxime prout residet in rectore supremo, ad multa obiecta se protendat, quae exorbitant ambitum iurisditionis politicae seu civilis. Auctor videtur concipere et aestimare iurisditionem ecclesiasticam ad modum et normam iurisditionis civilis, id quod erroneum summeque periculosum arbitramur. Notio iurisditionis, sicut notio societatis, praedican- tur de Ecclesia et societate civili sensu non univoco, sed analogo. Societas cum omnibus suis potestatibus specificatur a fine. Atqui finis Ecclesiae specificè differt a fine societatis civilis. Ergo ipsa quoque notio societatis et iurisditionis ecclesiasticae specificè differt a notione societatis et iurisditionis civilis.

2° Radix totius confusionis clare manifestatur in conclu- sione argumenti, quae sic sonat: « Ergo potestas docendi pa- riter ac sanctificandi nequit dici pars verae propriaeque iuris- dictionis *specificè sumptae* ». Iurisditionem specificè sumptam intelligit auctor potestatem regiminis. Sed pars contraria non dicit magisterium ecclesiasticum esse partem potestatis regi- minis. Potestates regendi et docendi, secundum fautores pri- mae sententiae, non sunt duae partes in quas subdividitur *una et eadem species* iurisditionis, sed sunt *duae species unius generis* quod est iurisdictio: aliis verbis, hi auctores contendunt, et iure contendunt, non tantum regimen, sed etiam magisterium ecclesiasticum esse *vere et proprie dictam iuris- dictionem*. Supra attulimus testimonium P. Wernz sic so- mans: « Ipsa potestas magisterii sub potestate iurisditionis *ut species* continetur, quae *ab altera specie* iurisditionis, i. e. a potestate regiminis probe est distinguenda ... sicut genus (iur- isdictio) non est confundendum cum specie (potestate regimi- nis), ita multo minus una species (potestas regiminis) cum

altera specie, i. e. magisterio ». Vides ergo sextum quoque argumentum auctoris omni efficacitate destitui.

Obiicitur 7°: Septimum argumentum continet responsionem ab Auctore datam argumentis sententiae contrariae, i. e. sententiae primae quam nos defendimus. En verba auctoris: « Theologi defendentes bipartitam potestatum Ecclesiae divisionem urgent praesertim sequens argumentum: Magisterium Ecclesiae non tantum ius et officium habet proponendi evangelicam veritatem, sed etiam pollet facultate, relate ad baptizatos, imperandi actum fidei, et de fidei causis iudicandi. Atqui imperium et iudicium sunt actus proprii et specifici potestatis regendi. Ergo potestas docendi non est nisi pars potestatis regendi ». Citatur L. Lercher-Schlagenhaufen, *Inst. Theol. I Th. 46, n. 456*. En responsum datum a P. Salaverri, o. c. n. 1318: « Respondemus in forma iuxta doctrinam in hac thesi propositam hoc modo: Dist. maior.: magisterium Ecclesiae pollet facultate, relate ad baptizatos, imperandi actum fidei, et de fidei causis iudicandi, id est, imperio et iudicio doctrinali seu circa ipsam veritatem propositionis et directe attingendi internum ipsum intellectus assensum, Conc. maior.; imperio et iudicio disciplinari seu circa rectitudinem actionis et directe attingendi solam externam actus praestationem, nego maior. Contradist. min.: Imperium et iudicium disciplinare seu circa rectitudinem actionis directe attingens solam externam actus praestationem, sunt actus proprii et specifici potestatis regendi, Conc. min.; imperium et iudicium doctrinale seu circa ipsam veritatem propositionis, et directe attingens internum ipsum intellectus assensum, sunt proprii et specifici actus potestatis regendi, nego min. ».

In hac responsione tangitur et premitur punctum neuralgicum totius quaestionis. Consideremus ergo quid concedatur, quid negetur ab auctore. Salaverri concedit potestatem magisterii ecclesiastici pollere *vi sui* potestate imperandi internum intellectus assensum; aliis verbis, concedit magisterium ecclesiasticum esse *formaliter imperium*, imperium inquam doctrinale; negat vero hoc imperium esse disciplinare. Quo posito et retento, arguitur iam sic: Imperium doctrinale est vera iurisdictio. Atqui ex concessis magisterium ecclesiasticum est imperium doctrinale. Ergo magisterium ecclesiasticum est veri nominis iurisdictio. Dixi imperium doctrinale esse veram

iurisdictionem. Profecto iurisdictionis nihil est aliud quam ius regendi cum imperio actus subditorum in societate perfecta (Billot). Atqui magisterium ecclesiasticum vi sui pollet potestate imperandi actus subditorum (actus fidei baptizatorum) in Ecclesia societate perfecta. Ergo iure merito potestas magisterii ecclesiastici formaliter revocatur ad potestatem iurisdictionis. Quod imperium doctrinale non sit imperium disciplinare, et consequenter, quod potestas magisterii (ecclesiastici) non sit pars potestatis regiminis, *non est ad rem*. Conclusio argumenti, quod auctor examinandum et solvendum suscipit, non est: magisterium est pars potestatis *regendi*, sed haec alia: magisterium est pars *iurisdictionis*. En argumentum prout prostat apud Lercher-Schlagenhaufen l. c. ab auctore: « Quum potestas regendi evidenter pertineat ad iurisdictionem, solum ostendendum est potestatem docendi Ecclesiae propriam intra ambitum *iurisdictionis* contineri. Ecclesia non solum ius et officium habet, evangelium hominibus praedicandi, verum etiam actum fidei baptizatis *imperare potest*, eum reapse imperat, de fidelibus in causis fidei iudicium facit, verae fidei desertores punit. Atqui hi actus omnes sunt *iurisdictionis actus* ». Ergo ... Hanc minorem Salaverri inadvertenter transformavit et deformavit hoc modo: « Atqui imperium et iudicium sunt proprii et specifici actus *potestatis regendi* ». Conclusio Lercher erat! Actus magisterii (imperium et iudicium) sunt actus *iurisdictionis*. S. tribuit ei hanc conclusionem! Actus magisterii sunt actus *potestatis regendi*. Vides iam ubinam lateat radix totius confusionis. Auctor non sufficienter attendit, nec bene penetravit naturam et vim argumenti adversarii, ideoque ad solutionem falsam, inopportunam et deviam devenit.

Ex dictis consequitur positionem Salaverri multo propius accedere ad sententiam Wernz, qui eminet inter fautores primae sententiae, quam ad opinionem seu conceptionem Billot. S. admittit et iterato docet magisterium ecclesiasticum esse formaliter *imperium* (doctrinale), ac pollere vi nativa *exigendi* assensum intellectus. Hoc ipsum docet Wernz. Hoc vero mordicus negat P. Billot. Audiamus aliqua ipsius verba in l. superius citato: « Nam quod quidam dicunt magisterium ecclesiasticum aut ad iurisdictionem reduci, aut si seorsum a iurisdictione spectetur, potestatis rationem non habere, non

videtur ullatenus esse admittendum. Non est, inquam, admittendum primum: quia aliud est exponere, proponere, definire veritatem revelatam, quod *pertinet ad magisterium*; aliud vero *regere imperio* actus subditorum, quod pertinet ad *iurisdictionem* ... Nihil igitur obstat quod *magisterium ut sic non importet aliquam obligandi auctoritatem*. Maneat ergo certissimum, potestatem magisterii esse intime *connexam* (non identificatam) tum in se, tum in suo exercitio, cum *iure exigendi* a subditis obedientiam ... Aliud quippe est realis unio seu etiam inseparabilitas, aliud vero realis identitas, quae minime videtur hic admittenda ... Si magisterium in sua formali et praecisiva ratione consideretur, *nequaquam importat ius exigendi assensum* vel professionem eorum quae docentur a magistro; magistri est doctrinam proponere, *minime vero obligatorio modo proponere* ». Eadem prorsus est doctrina P. De Guibert, De Ecclesia Christi, 1921, n. 216: « Magisterium praecisive sumptum veritatem manifestat, unde generatur obligatio fidei, *ex auctoritate Dei* revelantis; regimen vero *proprio praeepto* obligat voluntatem subditi ... Magisterium *testatur infallibiliter* qualitatem propositionis, *iurdictio imponit*, praeter obligationem iuris divini ex hac qualitate ortam, novam iuris ecclesiastici obligationem ». Positio ergo Salaverri specificè differt a positione Billot.

Quod attinet sententiam *Franzelin*, scribit Salaverri: « Qui attente legat thesim Patris Franzelin eamque probe comparet cum thesi nostra, facile intelliget doctrinam utriusque esse prorsus eandem ». o. c. n. 1343. Ex nostra parte, semel et iterum attente legimus thesim Franzelin, et conati sumus eam probe comparare cum thesi P. Salaverri, at non potuimus praefatam identitatem invenire. Franzelin, sicut Billot, non videtur admittere magisterium esse formaliter imperium, sed constanter utrumque separat. Nec admittere videtur magisterium ecclesiasticum *vi sui* pollere potestate obligandi subditos seu fideles ad internum mentis assensum. Mitto alia: pauca quaedam adiungo in quibus mens egregii theologi clarius manifestari videtur.

a) Pro Franzelin « potestatis magisterialis plenitudo nihil est aliud quam quod potestas sit ad *docendum* cum assistentia Spiritus Sancti ac *certitudine infallibili* ». De Ecclesia Christi, th. quinta, p. 50. Cum hac potestate docendi infalli-

bili « *coniuncta* est et intime unita potestas gubernationis, quae proprie est ecclesiastici imperii ». ibid. Aliud aliquod imperium pure doctrinale nusquam apparet apud Franzelin.

b) Secundum Franzelin potestas magisterii *non sufficit* ad exigendam obedientiam et subiectionem intellectualem. Ideo distinguit inter eos qui sunt doctores, et eos qui sunt doctores simul ac pastores seu rectores. Potestas exigendi subiectionem pertinet ad hos ultimos, non ad illos priores. « Petro enim, ut veteres theologi loquebantur, cum *clavi scientiae* (potestate magisterii) ad *infallibiliter aperiendam doctrinam* et legem Dei simul commissa est *clavis potentiae* ad regendum suis legibus, iudiciis et sanctionibus, ut secundum Christi orationem ac mandatum fide indeficiens docendo et potentia regendo confirmet fratres suos; dati sunt a Christo non solum doctores, sed iidem simul *doctores et pastores* ad consummationem sanctorum ... a Spiritu Sancto possiti episcopi regere Ecclesiam Dei ... constituti *praepositi ad exigendam obedientiam* et subiectionem ». ibid. Ad potestatem ergo magisterii praecise sumpti non spectat exigere obedientiam et subiectionem ecclesiasticam. Haec est ipsissima doctrina P. Billot.

c) Franzelin dilucide explicat qualis sit habitudo magisterii ad regimen in Ecclesia: « In primis advertatur, qualis sit unio inter clavim magisterii et clavim iurisdictionis. Totum obiectum materiale sacri magisterii est etiam vel potest esse obiectum iurisdictionis ... Quando revelata doctrina fidei vel morum a Pontifice ex cathedra vel in oecumenico concilio *definitur*, ipsa definitio includit tum infallibile magisterium tum supremam iurisdictionem in universam Ecclesiam, seu potius definitio fit assistente Spiritu Sancto per actum infallibilis magisterii, *quatenus doctrina in se declaratur divinitus revelata* vel saltem veritas proxime nexa cum dogmate revelato; actus vero iurisdictionis includitur, *quatenus doctrinam* per ipsam definitionem sub expliciti vel impliciti anathematis aut alterius censurae poena *intimatur omnibus baptizatis tenenda* ». o. c. p. 54-55. Ubi rursus clare docetur ad potestatem magisterii ut sic spectare, *non imperare, sed tantum declarare* veritatem ut divinitus revelatam; actus vero imperandi seu intimandi doctrinam ut tenendam spectat exclusive ad potestatem iurisdictionis. Doctrina ergo Salaverri, secundum quam ipsum magisterium ecclesiasticum est formaliter imperium

vi praeditum obligandi baptizatos ad actum internum assensus intellectualis, est aliena a mente et doctrina P. Franzelin.

d) Eadem doctrina perspicue proponitur in p. 51 o. c.: « Ex huiusmodi definitionibus divinitus revelatae veritatis per plenitudinem potestatis magisterii, *quae non aliud est quam infallibilitas* per assistentiam Spiritus Sancti, pro omnibus, etiam pro non baptizatis, immediate exurgit obligatio fidei divinae propter auctoritatem Dei revelantis; simul vero in definitione ipsa exercetur suprema potestas iurisdictionis, erga quam omnes pastores et fideles officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, dum Pontifex omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens non solum veritatis revelationem definiendo pro omnibus certam reddit ad credendum fide divina et catholica, *quod fit per supremam potestatem infallibilis magisterii*, sed simul sua suprema potestate *iurisdictionis* omnibus christianis sibi subditis iniungit officium verae obedientiae ecclesiasticae ». En rursus aperte declaratam doctrinam Franzelin, secundum quam magisterium, ut sic, *non imperat*, ne quidem actum internum intellectus, sed solum certam reddit infallibiliter divinam revelationem; dum obligatio credendi tota quanta oritur ex alia potestate, i. e. iurisdictionis. Distinctio ergo, a P. Salaverri inducta, inter imperium doctrinale et imperium disciplinare, quorum prius est magisterium, alterum vero regimen, menti et doctrinae P. Franzelin totaliter extranea videtur.

Ex his omnibus licet concludere positionem P. Salaverri multo propius accedere ad positionem P. Wernz, quam ad positionem PP. Franzelin et Billot. Manet tamen in eo discrimen quod iuxta Wernz suosque sequaces potestas magisterii ecclesiastici attingit non tantum intellectum, sed etiam voluntatem; dum e contra iuxta S. magisterium non pollet potestate imperandi actum *voluntatis*, sed tantum internum *intellectus* assensum. Qua in re praeferenda est evidenter sententia P. Wernz; siquidem actus fidei est liber; nequit ergo elici nisi mediante imperio voluntatis: quapropter potestas magisterii, eo ipso quod attingit intellectum, attingit quoque voluntatem; nec potest attingere intellectum quin *prius* attingat voluntatem: omne praeceptum directe imponitur voluntati.

Obiicitur 8°: Obiectum magisterii formaliter spectati est divinae doctrinae infallibilis manifestatio, expositio, definitio,

et per hanc infallibilitatem in docendo totius sacri depositi custodia. Obiectum iurisdictionis non est manifestatio revelatae veritatis, sed eius per infallibile magisterium manifestatae applicatio, defensio, vindicatio. — Rursus obiectum magisterii est immutabile; obiectum vero iurisdictionis est mutabile. Ergo magisterium et iurdictio formaliter et realiter differunt, nec potest magisterium ad iurisdictionem revocari (*Franzelin*).

Respondetur: 1° Obiectum magisterii formaliter spectati est divinae doctrinae infallibilis manifestatio, expositio, definitio *mere doctrinalis*, negatur; doctrinalis simul et authentica seu auctoritativa, conceditur. — Obiectum iurisdictionis *disciplinaris* non est manifestatio veritatis, conceditur; obiectum iurisdictionis *doctrinalis* non est veritatis manifestatae auctoritativa seu praeceptiva propositio, Negatur.

2° Si obiectum magisterii formaliter spectati est divinae doctrinae *infallibilis* expositio et definitio, oportebit concludere nullum esse magisterium formaliter tale in Sancto Officio, nullum in singulis episcopis, nullum in conciliis particularibus, nullum in ipso episcopo episcoporum citra rariores casus definitionis ex cathedra.

3° Obiectum iurisdictionis disciplinaris est mutabile, conceditur; obiectum magisterii est immutabile, subd.; si agitur de magisterio authentico et infallibili, conceditur; si agitur de magisterio authentico et fallibili, negatur. Ecclesia non potest mutare suas leges doctrinales infallibiliter propositas; sed potest et debet mutare suas leges doctrinales fallibiliter propositas, ubi clare detegitur error. Cogita casum Galilaei, commatis Ioannaei ..

Conclusio. In controversa quaestione de adaequata potestatis ecclesiasticae divisione:

a) Retinenda est *bipartita divisio* hoc sensu intellecta, quod omnis Ecclesiae potestas vel est potestas ordinis, vel est potestas iurisdictionis; nec est admittenda ulla Ecclesiae potestas, quae non possit revocari ad unam ex his duabus classibus.

b) Retinenda quoque est *tripartita divisio* hoc sensu intellecta, quod adsunt in Ecclesia tres potestates specificae: potestas nempe ordinis, magisterii, regiminis seu iurisdictionis disciplinaris.

c) Retineri quoque potest *quadripartita divisio* hoc sensu intellecta, quod adsunt in Ecclesia quatuor potestates specificè diversae: potestas sacrificialis, potestas sacramentalis, potestas magisterii, potestas regiminis. Sacrificium specie differt a sacramento. Ergo potestas sacrificialis specificè differt a potestate sacramentali. Nulla adest ratio quare in potestate iurisdictionis statuatur subdivisio in magisterium et regimen; et non similis subdivisio statuatur in potestate ordinis, subdivisio, inquam, in potestatem sacramentalem et sacrificalem.

THESIS XVII

Inest illa magisterii potestas ex iure divino solis episcopis: quorum consentiens doctrina cum R. Pontifice docentium est infallibilis, sive doceant in concilio congregati, sive per orbem dispersi.

Tria sunt demonstrata in thesi praecedenti: magisterii authenticè divina institutio — eiusdem magisterii infallibilitas — necnon perpetuitas. In hac thesi agitur iam de *organo huius magisterii*, et quaeritur quodnam sit ex iure divino subiectum activum huius potestatis in Ecclesia. Primigenium magisterii subiectum fuisse collegium apostolicum clare patet ex epilogo evangelico sive Matthaei sive Marci, ut ostendimus in thesi praecedenti. At nunc contendimus hanc docendi potestatem continuari in solo collegio episcopali.

Episcopi intelliguntur quales fuerunt descripti in thesi XIV superiores nempe ecclesiastici, qui pollent potestate ordinandi ministros Ecclesiae, confirmandi baptizatos, et regendi aliquam partem Ecclesiae potestate ordinaria et propria. — Episcopi possunt spectari vel seorsum singuli, vel collegialiter multi, efformantes nempe aliquod collegium. Hoc collegium potest esse vel partiale, puta concilium provinciale, nationale ..., vel integrale. Rursus hoc collegium potest docere vel magisterio sollemni et conciliari, vel magisterio ordinario et quotidiano. Hinc divisio theseos in tres partes: I. Episcopi sive seorsum singuli, sive collegialiter congregati in concilio parti-

culari sunt subiectum magisterii authentici quidem, at nondum infallibilis. — II. Episcopi collegialiter omnes congregati in concilio oecumenico sunt subiectum magisterii authentici et infallibilis. — III. Episcopi collegialiter omnes in suo magisterio ordinario, universali et disperso sunt subiectum magisterii infallibilis.

Prima pars continet duplex membrum: unum assertivum: Episcopi succedunt apostolis iure divino in authentica docendi potestate; alterum exclusivum = soli episcopi succedunt apostolis in praefata potestate. Ergo excluduntur fideles laici etsi peritissimi; excluduntur pariter clerici, diaconi, presbyteri, imo etsi parochi. Hanc porro exclusionem non sic intelligas, quasi iure aut praecepto divino omne magisterium sit eis interdictum. Presbyteri, maxime parochi, quum sint auxiliares episcoporum, ex horum mandato — iure ergo ecclesiastico — opem in docendo et praedicando eisdem conferre possunt, id quod in Ecclesia iugiter fieri iamdiu videmus.

Primum membrum assertivum unanimiter docetur apud omnes qui admittunt thesim praecedentem de instituto a Christo magisterio authentico, infallibili, perenniter duraturo. Secundo membro exclusivo resistunt fautores sic dicti parochismi.

Parochismus

Primis Ecclesiae saeculis nulla fuit hac de re disputatio, nulla dubitatio. Sed postquam sunt institutae paroeciae, orta est apud nonnullos dubitatio imo et persuasio de iure divino parochis competente in regimine dioeceseo: putarunt videlicet eam esse habitudinem parochi ad episcopum, quae est episcopi ad R. Pontificem: unde sicuti episcopi iure divino participant in regimine totius Ecclesiae ut veri fidei iudices et legislatores potissimum in concilio generali seu oecumenico, sic etiam parochi cum episcopo in synodo dioecesana.

Prima huius erroris forma ac tendentia ad augenda iura parochorum apparet saeculo XIII in Universitate Parisiensi. Ansam errori dabat lucta sat acerba orta inter doctores saeculares Sorbonnenses et Magistros religiosos Dominicanos postquam hi obtinuerunt a S. Sede facultatem instituendi ca-

thedras theologicas. Dux et antesignanus in hac lucta fuit *Guillelmus a S. Amore*, qui varia scripta edidit contra mendicantes. Lis demum ad Romam defertur, et post varios rerum casus et vicissitudines, errores Guillelmi condemnantur ab Alexandro IV (cf. Denzinger, n. 449 sq.). Guillelmus negabat viris religiosiis ius praedicandi et audiendi confessiones in paroeciis sine venia et approbatione parochi, etiamsi essent missi ab episcopo ordinario, immo ab ipso Summo Pontifice. S. Thomas iussu papae Clementis IV scripsit opusculum « contra impugnantes Dei cultum et religionem » ad refutandum Guillelmi librum.

Error revirescit in Gallia tempore concilii Constantiensis opera potissimum Gersonis et Petri Alliacensis. Anno 1524 Sorbonna iussit defendere sententiam: « Triplicem esse hierarchicum ordinem; non modo Summum Pontificem, sed etiam episcopos et parochos esse a Christo immediate institutos, neque oppositum posse probabiliter sustineri, cum certum sit id refragari doctrinae evangelicae ». His gemina sunt quae scribit Richer (de ecclesiastica potestate, c. 5): « Senatum aut Consilium nativum Ecclesiae a Domino institutum vocamus non modo episcopos, verum etiam presbyteros curam animarum habentes ». — Tournely eminet inter Doctores Sorbonnenses, atque in tractatu De Ordine, p. 547 scribit: « Divinam esse parochorum originem ac institutionem constans est sacrae Facultatis Parisiensis doctrina, quam a suis impugnari numquam passa est. — Eandem doctrinam proponit Ludovicus Habert in sua Theologia Dogmatica De Hierarchia Ecclesiae, cap. sexto. — Error demum renovatur a Iansenistis in Synodo Pistoriensi, et condemnatur a Pio VI (Denzinger, n. 1509 sq.).

Probatur thesis

Primae partis punctum assertivum nullam habet difficultatem. Unde breviter:

1° Episcopi succedunt apostolis in potestate iurisdictionis, ut ostendimus in thesi XIV. Atqui illi, qui succedunt apostolis in potestate iurisdictionis, succedunt quoque in potestate magisterii. Etenim potestas magisterii vel est pars quaedam potestatis iurisdictionis, ut verior sententia tenet, quam

pluribus declaravimus in thesi anteriori, vel est necessario et inseparabiliter connexa in uno eodemque subiecto, ut placet fautoribus contrariae sententiae.

2° Patres saepe audivimus, magisterium episcoporum celebrantes, utpote a quibus unitas fidei et doctrinae apostolicae tota quanta pendet. Recole superius allata testimonia Clementis R., Ignatii A., Hegesippi, Irenaei, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Augustini, Vincentii Lirinensis. Ceterum argumenta afferenda pro secundo membro huius primae partis, primum quoque membrum confirmabunt.

II. Secundum membrum huius partis est exclusivum, asseritque contra fautores Parochismi solos episcopos habere *iure divino* magisterium authenticum.

1° Non debet admitti in meris presbyteris potestas, quae omni fundamento positivo caret, nec potest ullo apto argumento probari: etenim agitur de re positiva, quae tota quanta pendet a divina voluntate et ordinatione: Atqui presbyteri, etiamsi sint parochi, nullum positivum et solidum fundamentum afferunt pro authentica docendi potestate sibi divinitus concessa. Profecto missio illa 72 discipulorum, de qua Lucas 10, 1 sq., fuit mere temporaria, quae post Christi mortem et resurrectionem nullatenus erat continuanda, sicut illa duodecim apostolorum, de qua Matthaeus 10, 5 sq. Ceterum nec illorum 72 discipulorum proprie successores dici possent presbyteri et parochi, quia illi discipuli non erant presbyteri multoque minus parochi, quando missi sunt praedicare. — Dicta quorundam Patrum de presbyteris ut continuatoribus illorum 72 discipulorum debent intelligi de continuatione mere materiali, vel de continuatione utcumque innixa iuri ecclesiastico.

Nec multum premunt argumenta Guillelmi ad augenda iura parochorum:

a) Id quod dat aliquis alteri, ipse iam non amplius retinet. Ergo si episcopi dant pastorem animarum curam parochi, ipsi eam iam non amplius retinent; hinc nemo potest iis ovibus praedicare sine approbatione parochi, etsi mittatur ab episcopo vel ab ipso papa. — *Resp.* Episcopus non sic committit parochi curam pastorem aliquarum ovium, ut ipse abdicet ius regendi has oves. Ceterum ex argumento

mira sequerentur consecraria: Deus dat vitam homini. Ergo iam non potest amplius disponere de hac vita sine venia et approbatione ipsius hominis (!).

b) Sic se habet episcopus respectu parochi, sicut se habet archiepiscopus respectu episcopi. Atqui archiepiscopus non potest se intromittere in rebus quae spectant ad curam episcopi, nisi in casu gravis negligentiae ipsius episcopi. Ergo nec episcopus potest se intromittere in regimine paroeciae nisi in casu negligentiae parochi. — *Resp.* Negatur suppositum: Archiepiscopatus non est iuris divini; nec consequenter archiepiscopi habitudo ad episcopum potest esse innixa in iure divino.

c) Parochus tenetur nosse vultus seu conscientias suorum fidelium, nec id potest praestare nisi audiendo confessiones eorum. Atqui non posset id obtinere, si posset episcopus vel papa mittere alios confessores sine licentia ipsius parochi. Ergo... *Resp.* Parochus nequit suum officium et ius cognoscendi conscientias suorum fidelium ita exercere, ut laedat legitima aliorum iura. Porro fideles habent ius seligendi quemlibet aptum confessorem ab episcopo vel papa approbatum. Episcopus quoque, et a fortiori Papa, pro sua suprema et universali potestate, habet ius mittendi aptos confessores qui audiant confessiones fidelium in singulis paroeciis.

2° Alterum argumentum petitur ex doctrina Pii VI in qua damnatur sententia contraria his verbis: « Item doctrina qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo iudices fidei, et simul innuitur, iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio et quidem per ordinationem accepto: falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva ». Cf. Denzinger, nn. 1509-1510.

3° Ius Canonicum demum c. 223 recens eos qui ad concilium oecumenicum vocantur iure ecclesiastico, presbyteros etiam parochos praetermittit.

II

De sollemni et conciliari episcoporum magisterio.

Concilium oecumenicum stricto sensu definitur: conventus legitimus pastorum totius Ecclesiae catholicae ad deli-

berandum et decernendum de negotiis Ecclesiae universalis ita ut decreta supremam auctoritatem obtineant. Duplicis generis decreta praeparari et promulgari solent in conciliis oecumenicis: dogmatica seu doctrinalia et disciplinaria. Non de his ultimis, sed de illis prioribus agimus in praesenti thesi. Tria concurrunt ad plenam concilii oecumenicitatem: convocatio, celebratio, confirmatio papalis. Pauca de singulis.

Convocationis nomine venit actus quo certae quaedam partes convenire iubentur, ut debita auctoritate de rebus ecclesiasticis pro tota Ecclesia decernant. Hinc debet distingui convocatio prout est *actus mere materialis* provocans adunationem episcoporum in uno loco, et convocatio prout est *actus potestativus* conventui tribuens rationem *legitimae* synodi.

Duae quaestiones recurrunt relate ad convocationem: *quis* polleat iure nativo convocandi concilium oecumenicum; *quidnam* sint ad concilium convocandi iure sive divino sive ecclesiastico. Quoad primam quaestionem Codex Iuris Canonici canone 222 sic decernit: « Dari nequit oecumenicum concilium quod a R. Pontifice non fuerit convocatum ». Ratio speculativa est clara: profecto ille solus pollet in Ecclesia iure primigenio convocandi concilium oecumenicum, qui potest *obligare* aliquas Ecclesiae partes adesse concilio. Atqui nemo praeter Papam potest obligare episcopos universos congregari in concilium. Ergo ... At surgit difficultas historica non levis; siquidem octo priora Concilia orientalia fuerunt convocata ab Imperatoribus christianis. Sic concilium Nicaenum I fuit convocatum a Constantino I; Concilium Constantinopolitanum I a Theodosio I; Ephesinum a Theodosio II ... Nihilominus haec concilia fuerunt a principio agnita ut vere oecumenica.

Duae theoriae propositae sunt ad solvendam difficultatem. Prima sententia docet Imperatores christianos convocasse haec concilia potestate ministeriali, ut veros Papae delegatos. Huic sententiae suffragantur graves Doctores sive theologo, sive canonistae. Secunda sententia tenet Imperatores christianos egisse quidem nomine proprio, sed Concilia convocasse convocatione pure materiali, cui ratio legitimae synodi accessit ex subsequenti approbatione papali; hanc approbationem papalem minime defuisse in his conciliis orientalibus, indubie constat vel ex mero facto, quod Summus Ponti-

fex suos delegatos ad Concilium misit. Secunda sententia videtur nobis longe probabilior et historiae conformior. Servantur sex litterae convocatoriae imperiales: duae pro concilio ephesino — duae pro C. Chalcedonensi — una pro conciliabulo ephesino — una pro Nicaeno I. Porro legenti has litteras haud obscure apparet imperatores agere, non ut Papae delegatos, sed nomine et potestate propria. Qua in re oportet habere prae oculis ex una parte caesaropapismum, ex alia parte zaelum politico-religiosum cum ignorantia theologica coniunctum. Ceterum oportet distinguere inter *ius* nativum convocationis et eiusdem usum seu exercitium. Papa fruitur quidem iure nativo convocandi concilia oecumenica pro universalis Ecclesiae bono, at minime tenetur uti hoc iure; nulla est difficultas in eo, quod Papa permittat imperatorem christianum aggredi totum hoc negotium cuius executioni et felici exitui ipse papa difficulter providere potuisset.

Altera quaestio est de his qui ad concilium oecumenicum sunt convocandi iure sive divino sive ecclesiastico. *Ius divinum* si spectetur, soli episcopi fruuntur iure convocationis passivae; ratio petitur ex prima parte theseos, ubi ostendimus solos episcopos iure divino succedere apostolis in regimine pastorali Ecclesiae. Ceteroquin hoc ius divinum non sic intelligas, quasi Deus ipse vel Christus decrevisset concilia oecumenica identidem celebrari in Ecclesia; sed sensus est: si ipsa Ecclesia decernit celebrare concilium universale, soli episcopi sunt convocandi iure divino.

Iure ecclesiastico convocandi recensentur in Codice I. C. canone 223: S. R. E. Cardinales, etsi non episcopi, Patriarchae, Primate, Archiepiscopi, Episcopi residentiales, etiam nondum consecrati, Abbates vel Praelati nullius, Abbas primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac Supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum, nisi aliud convocationis decretum ferat, Episcopi titulares. Hi omnes habent ius suffragii deliberativi. Theologi ac sacrorum canonum periti, ad concilium forte invitati, suffragium non habent nisi consultivum.

Celebratione concilium fit oecumenicum, si cuncti convocati conveniunt, et partes agunt in deliberationibus et decretis

conciliaribus. Hic quoque recurrunt duae quaestiones: a) quis debeat iure nativo praeesse concilio — b) quid requiratur, quid sufficiat ad oecumenicitatem conciliarem. Primum quod attinet, distinguas praesidentiam honoris, tutelae, iuris seu directionis; de hac ultima tantum agitur. De ea vero *Codex I. C.* sic decernit canone 222: « Eiusmodi R. Pontificis est oecumenico concilio per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque in eo servandum constituere ac designare, concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere ». Accedit canon 229 statuens: « Si contingat R. Pontificem durante concilii celebratione e vita decedere, ipso iure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumit et continuari iusserit ».

Alteram quaestionem quod attinet, de eo nempe quod requiritur et sufficit ad oecumenicitatem conciliarem, res difficultate non caret. Omnes auctores in hoc conveniunt, quod non requiritur universalitas *physica*; sufficit ergo universalitas moralis, eaque tanta quantam postulet Ecclesiae docentis universae repraesentatio. Quod si quaeras quid tandem ad hoc requiratur et sufficiat, primo quidem nequit deesse ille qui est in Concilio caput, sine cuius concursu lex suprema confici nequit. Ceterum res nequit a priori definiri. Multis placet limes assignatus a Bellarmino: si e maioribus nempe provinciis ecclesiasticis quidam conveniant. At securius, opinor, hac in re erudimur Historia ecclesiastica, quae mirandam varietatem nobis exhibet. Octo priora concilia erant fere orientalia, et constabant ex episcopis Orientis cum exigua participatione seu repraesentatione ecclesiae occidentalis. En aliqua data approximativa: Nicaenum I congregabat fere 319 episcopos. — Constantinopolitanum I 186 — Ephesinum plusquam 250 — Chalcedonense 520 (iuxta alios 630) — Constantinopolitanum II 165 — Constantinopolitanum III = 170 — Nicaenum II = 367. C. IV. 102. Accedunt Concilia generalia celebrata in Occidente: Lateranense I = 300 (vel 400) — Lateranense II = 1000 — Lateranense III = saltem 300 — Lateranense IV = 1300? — Lugdunense I = 300 — Lugdunense II = 1600? — Florentinum = 200 (400?). Concilium Trident. meretur specialem considerationem. In sessione sexta (de iustificatione) aderant duo legati SS. — duo Cardinales — 10 archiepiscopi — 47 episcopi — duo procuratores auctorizati — quinque Gene-

rales ordinum religiosorum — duo abbates. In sessione septima (de sacramentis): tres legati — 1 Cardinalis — novem archiepiscopi — quinquaginta duo episcopi — quinque generales ordinum religiosorum — duo abbates. Summa votorum = 72. In sessione decima tertia (de Eucharistia): tres legati — unus Cardinalis — tres electores — quinque (alii) archiepiscopi — triginta quatuor episcopi — quinque Generales ordinum religiosorum — tres abbates (cum uno suffragio). Summa votorum = 52. In sessione decima quarta (de Paenitentia): tres legati — unus Cardinalis — tres archiepiscopi electores — sex (alii) archiepiscopi — quadraginta episcopi — quinque abbates — sex procuratores — unus Generalis ord. relig. Summa suffragantium = 65. In ultima sessione (vigesima quinta): Summatim fuerunt 255 vota. Ex his datis oriri possunt, et de facto ortae sunt non parvae difficultates et anxietates circa veram oecumenicitatem concilii Tridentini. Ad eas dissipandas notare omnino oportet, quod ad oecumenicitatem alicuius concilii minime requiritur quod omnes et *singulae* sessiones sint reapse oecumenicae; sufficit ut in ultima sessione approbentur et confirmentur decreta praecedentium sessionum, id quod reapse accidit in Concilio Tridentino. Nullibi forsán clariús splenduit oecumenicitas quam in Concilio Vaticano. Cui aderant patriarchae et primates ferme omnes, plerique etiam archiepiscopi tam americani quam europaei cum occidentales tum orientales. Accedebat magnus numerus episcoporum. Summatim: ex 1050 episcopis, qui tunc aderant in Ecclesia, fuere praesentes 747. Vides in notione oecumenicitatis conciliaris latere aliquid indeterminati et relativi, quod ceteroquin efficaciae nostrae demonstrationis officere nullatenus potest, ut ex dicendis apparebit.

Confirmatio pontificia demum consideranda venit. Primo quidem notanda est absoluta eius *necessitas*, quae vix indiget probatione; cum evidens sit nullam legem universalem et supremam posse condi et promulgari in Ecclesia sine approbatione illius qui est supremum ipsius caput. — Potest vero fieri ita ut sententia pontificia vel antecedit, vel immediate comitetur, vel serius subsequatur sententiam reliqui corporis episcopalis. — Quocumque demum modo fiat, nullam requirit determinatam sollemnitatem, cum possit esse sive expressa, sive

tacita. Hodierna legislatio sic habet in Codice I. C. canone 227 : « Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata ». — Demum patet confirmationem pontificiam fieri posse a Papa vel per seipsum personaliter, vel per suos delegatos, debite tamen instructos, de sententia ferenda nomine Pontificis. Vides concilium posse esse oecumenicum sensu plus minus pleno prout adsint tria illa elementa convocationis, celebrationis et confirmationis pontificiae, vel aliquod ex prioribus desit. Vides quoque eminere momentum confirmationis papalis, sine qua nullum est concilium vere oecumenicum et infallibile. Aliunde vero fieri potest ut aliquod concilium — cogita concilium Constantinopolitanum I — non fuerit oecumenicum in ipsa celebratione, quod tamen reddatur tale ob sequentem acceptationem et confirmationem R. Pontificis.

Status quaestionis delimitatur: Thesis vindicat infallibilitatem Concilii oecumenici; at non omnia quae in conciliis oecumenicis utcumque docentur, pronuntiantur infallibilia. Hinc ambitus huius infallibilitatis conciliaris debet accurate defini-ri. Infallibiles sunt Patrum consentientium sententiae peremptoriae in rebus fidei et morum.

a) Agitur ergo de sententiis *episcoporum consentientium*: unde requiritur consensus, et quidem duplex: primo quidem et maxime *membrorum cum capite*; dein *membrorum inter se*; at hic surgit quaestio salebrosa de conditionibus huius ultimi consensus. Qua in re nemo requirit unanimitatem *physicam*, quae nec probatur necessaria, nec practice habita umquam fuit. In primo concilio oecumenico dissentiebant episcopi fere viginti. In ultimo concilio oecumenico seu Vaticano, in sessione generali (13 Iulii), ex 601 episcopis suffragium absolutum dabant episcopi 451; alii 62 placet *iuxta modum* — alii 88 *non placet*. In ipsa sollemni et definitiva sessione coram Papa votum positivum emisissent 533 — votum negativum 2 — non pauci (ex parte oppositionis) ante hanc sollemnem sessionem ex urbe recessere. — Quod si quaeratur num essentialiter requiratur *unanimitas moralis*, communius respondetur negative: quia ex una parte non potest eius necessitas demonstrari, ex alia vero nullum est certum criterium quo possit sufficienter delimitari, ut clare apparuit ex controversiis hac

de re in ipso concilio Vaticano habitis; accedit periculum turbationum quae, praefata necessitate semel admissa, oriri vel provocari possent. Ergo sufficit *maioritas conciliaris*, ut fere accidit in omni conventu seu congressu humano. Quaeres forsitan: quid si maior pars a Papa dissentiret? Quaeri imprimis posset num hic casus sub divina providentia sit possibilis: haecenus certe numquam recurrit. Admissa possibilitate, respondendum puto: standum minoritati cum Papa *definienti*: hoc unum quaeri posset: utrum in tali casu agatur de infallibilitate *conciliari*, an potius de papali; at haec quaestio (pure hypothetica) minimi est momenti practici.

b) Agitur secundo de sententiis episcoporum *definitivis* seu peremptoriis. Quae possunt proponi sive forma negativa (canones), sive forma positiva (capita). Habes in his normam ad determinandos limites infallibilitatis conciliaris: infallibiles praepremis sunt *canones*; capita quod attinet, infallibilia habenda sunt pronuntiata maiora *peremptorie proposita*. Non ergo sub infallibilitate cadunt obiter dicta, merae illustrationes, argumenta biblicá, patristica, historica, multoque minus disputationes et sermones episcoporum definitionem conciliarum praecedentes.

c) Agitur tertio de *rebus fidei et morum*: non ergo de rebus pure profanis, pure scientificis, pure philosophicis; sed de his quae spectant ad ordinem religiosum et soteriologicum. Utile demum erit adnotare quae circa modum edendi definitiones statuit Codex I. C. in canone 1323: « Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id *manifeste constiterit* ».

Positio adversaria

Protestantes conservativi omnes, ut Lutherani, Calvinisti ceterique reformatores negant infallibilitatem concilii oecumenici.

Ecclesiae Anglicanae fides et persuasio patescit ex articulo 21: ubi explicite negatur infallibilitas conciliaris: « Generalia Concilia, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu et verbis Dei reguntur, et errare possunt, et interdum errarunt, etiam in his quae ad normam pietatis pertinent; ideo-

que quae iis constituuntur ut ad salutem necessaria, neque robor habent, neque auctoritatem, nisi ostendi possit ex sacris litteris esse deprompta ».

Ecclesia Orientalis separata admittit quidem infallibilitatem concilii *vere oecumenici*, qualia fuerunt septem illa priora, ante factum separationis celebrata; caret tamen doctrina fixa et uniformi circa concilii oecumenici possibilitatem, constitutionem, conditiones infallibilitatis, etc.

Iansenistae exaggerant conditiones requisitas ad infallibilitatem conciliarem: requirunt videlicet ut adsint in Concilio representantes totius prorsus Ecclesiae — ut consentiant omnes — ut consensus episcoporum acceptetur ab ecclesia univ-
ersa.

Probatur thesis

1° Thesis primo probatur instar corollarii ex Thesi praecedenti. Etenim ostendimus a) Christum instituisse magisterium infallibile in collegio apostolico — b) hoc magisterium esse perpetuum seu continuandum in legitimis successoribus — c) collegium apostolicum continuari in collegio episcopali — d) Atqui in concilio oecumenico habemus collegium episcopale cum suo capite. Ergo in Concilio oecumenico habemus magisterium infallibile.

2° Si Ecclesia docens in concilio oecumenico erraret, erraret quoque Ecclesia universalis in credendo. Atqui repugnat Ecclesiam universam errare in credendo, secus enim portae inferi praevalerent adversus eam. Ergo repugnat eodem modo Ecclesiam docentem in Concilio oecumenico errare.

3° Si erraret Concilium oecumenicum, erraret quoque Papa loquens ex cathedra. Atqui Papa loquens ex cathedra errare nequit, ut demonstrabitur in thesi sequenti. Ergo

Prob. maior: Concilium oecumenicum, ex dictis de confirmatione pontificia, tunc tantum est infallibile quum sententiae conciliari episcoporum accedit sententia pontificia, eaque decretoria seu definitiva. Ergo si errat concilium definiens, et ipsum Papam definientem errare necesse est.

Dices: Confirmatio pontificia non est definitio ex cathe-

dra. Ergo error conciliaris non necessario implicat errorem Pontificis definientis ex cathedra. *Resp.* Negatur prorsus antecedens: definitio ex cathedra nihil est aliud, quam actus doctrinalis a Papa editus cum tota suae potestatis plenitudine. Atqui confirmatio pontificia in Concilio editur cum tota potestatis plenitudine. Ergo est veri nominis definitio. Profecto si Romanus Pontifex non peremptorie definit quaestionem, de qua agitur, nec alii episcopi eam in Concilio definirent; sed ubi tunc consistat definitio conciliaris? Ipsa formula, qua utitur Pontifex in actu confirmationis, aperte sonat definitionem ex cathedra. Audias Pium IX confirmantem decretum conciliare episcoporum in concilio Vaticano: « Decreta et canones, qui in constitutione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, duobus exceptis, Nosque sacro approbante concilio, illa et hos, ut lecta sunt, *definimus* et auctoritate apostolica confirmamus ».

4° Probatur quarto ex traditione christiana, quae ab initio praxis conciliaris oecumenicae firma exhibetur, nec turbata aut obscurata unquam est. De infallibilitate quidem pontificia non defuerunt in decursu saeculorum apud nonnullos dubia, disputationes, imo et negationes, ut thesis sequens demonstrabit; at de infallibilitate concilii oecumenici nemo unquam dubia movit. Nec desunt expressa testimonia Patrum:

Athanasius de concilio Nicaeno I scribit: « Domini verbum per oecumenicam synodum prolatum manet in aeternum » (Ad Afr. n. 2).

Ambrosius de eodem Concilio ait: « Merito Concilium Arminense exhorreo, sequens tractum Concilii Nicaeni, a quo me nec gladius nec mors poterit separare » (ep. 21, 14).

Gregorius M. vero scribere non veretur: « Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia (nempe oecumenica priora) suscipere et venerari me fateor » (ep. 25).

Cyrrillus Alex.: « Quid ipsi quoque Patres, qui Spiritu S. afflati, ne a vero discederent, sinceræ fidei canõnem ediderint, pronuntiaverint, exponamus » (Ad monach. Aeg. ep. 1).

Patres universi in Concilio Constantinopolitano II dicunt: « Confitemur fidem tenere et prædicare ab initio donatam a magno Deo et salvatore nostro Iesu Christo sanctis apostolis; quam et sancti Patres confessi sunt ... et maxime qui in sanctis quatuor synodis convenerunt, quos per omnia et in omni-

bus sequimur et suscipimus ... omnia vero quae non consonant his, quae definita sunt ab iisdem sanctis Conciliis pro recta fide ... aliena pietatis iudicantes, condemnamus et anathematizamus ». Cf. Denzinger, n. 212.

·III

De magisterio ordinario episcopatus

Magisterium ordinarium episcopatus vocari solet illud quod exercent episcopi per orbem dispersi, cum in suis peculiaribus dioecesibus degentes, concorditer inter se et cum R. Pontifice ut capite proponunt aliquam doctrinam a fidelibus tenendam. Condiciones infallibilitatis eadem sunt ac in parte praecedenti. Hinc debet esse:

a) Doctrina *episcopatus universi*. Singulos quoque episcopos esse infallibiles nullo idoneo argumento ostendi potest. Omnes promissiones infallibilitatis a Christo factae semper diriguntur (excepto Petro) ad collegium apostolico-episcopale. Accedit experientia et historia multorum episcoporum a recta fide deviantium. Idem die de episcopis in concilio particulari adunatis: cogita concilia africana sub Cypriano in quaestione de rebaptizandis, Ariminense, Conciliabulum ephesinum, Basileense ...

b) Demum requiritur ut haec doctrina sit de fide vel moribus i. e. doctrina revelata spectans ad ordinem religiosum vel soteriologicum, quam episcopi proponant ut absolute seu irrevocabiliter a fidelibus tenendam. Vides condiciones infallibilitatis easdem esse in magisterio extraordinario et ordinario.

Magisterium hoc duplici modo exerceri potest: vel definiendo rem controversam, vel proponendo doctrinam, sine ulla controversia receptam, ut catholicam et revelatam. Prior docendi modus locum habet sive cum R. Pontifex suo iudicio condemnat errorem alicubi exortum, et huic R. Pontificis iudicio reliqui universi episcopi adhaerent, id quod accidit saeculo III in Africa. Ubi, exorto errore de nullitate baptismi ab haereticis collati, Stephanus papa hunc errorem profligavit atque proscripsit, et huic Stephani iudicio adhaesit reliquus episco-

patus universus: sive quum iudicio pronuntiato ab aliquo concilio provinciali vel nationali adhaerent cum R. Pontifex, tum reliqui episcopi universi, id quod accidit rursus in Africa saeculo V ineunte in quaestione Pelagianismi, — Secundum docendi modum exercent episcopi dum fidei depositum proponunt, illudque explicant sive per semetipsos, sive per suos delegatos presbyteros curatos (sub vigilantia et cura episcoporum docentes), idque sive viva voce sive per scripta. Idem dic de R. Pontifice docente ecclesiam universam sive per se, sive per varia S. Sedis organa.

Magisterium ordinarium episcopatus dispersi, etsi sit eiusdem efficaciae et auctoritatis ac magisterium extraordinarium, habet tamen aliquas difficultates sibi proprias, quibus practice ipsius efficacia nonnihil praepeditur. Profecto magisterium episcopale, ut sit infallibile, debet esse universale, concors, peremptorium. Ista porro sive concordia sive potissimum peremptorietas seu intentio docendi ex plenitudine potestatis, sicuti in Concilio oecumenico palam manifestantur et facillime percipiuntur, non sic in magisterio ordinario innotescunt, ut prompte et facile percipi possint. Hinc fit ut, quum et normam Iuris canonici « declarata seu definita dogmaticae res nulla intelligatur, nisi id manifeste constiterit », difficilius est ut de aliquo dogmate omnimoda certitudine constet ex solo magisterio ordinario. Palmariam huius rei manifestationem habuimus hisce diebus occasione sollemnis definitionis dogmaticae de Maria in coelum assumpta. Non tamen desunt apti modi quibus sufficienter innotescit quid episcopi per orbem dispersi concorditer et dogmaticae doceant. En praecipuos:

a) Primo quidem ex *praedicatione orali* sive papali sive episcopali. Papam quod attinet, notae sunt multiplices formae praedicationis oralis, consistorialis, homileticae, popularis ... quibus accessit nostris diebus nova praedicationis forma veteribus inaudita; allocutiones radiophonicae. Norunt quoque omnes quot modis exercent episcopi ministerium verbi sive per se sive per presbyteros curatos.

b) Ex *praedicatione scripta* cum papali, tum episcopali: Huc spectant symbola fidei, litterae encyclicae papales, decreta doctrinalia S. Officii, responsa Commissionis biblicae, litterae pastorales episcoporum ...

c) Ex approbatione librorum manualium in re theologica, morali, ascetica ...

d) Ex approbatione catechismorum qui in usum christianum et popularem identidem eduntur. Per se patet hanc approbationem esse maioris momenti si fiat a papa.

e) Ex approbatione doctrinae theologicae, illius inquam doctrinae quam theologi sive dogmatici sive moralistae unanimiter et constanter proponunt ut revelatam, ut necessario cum revelatione connexam, ut tutam

f) Ex decretis doctrinalibus conciliorum provincialium, nationalium ...

g) Demum ex decretis documentis liturgicis: unde vulgatum effatum: lex orandi, lex credendi. Quaedam tamen notanda occurrunt circa hoc ultimum documentorum genus. In documentis liturgicis oportet distinguere tria: *doctrinam* quae in homiliis, orationibus ... exprimitur — *facta revelata*, quae ut talia commemorantur — *facta mere historica* documentis mere humanis innixa, vel ex aliqua pia traditione accepta. Doctrina et auctoritas magisterii ecclesiastici extenditur ad duo priora, non autem ad tertium. Cogita lectiones officii divini quae in breviario ecclesiastico reperiuntur. In his lectionibus possunt contineri *facta* pure historica, quae Ecclesia sacerdotibus recitanda imponit, minime tamen imponit ut credenda tamquam asserta authentica ipsius magisterii ecclesiastici. Nec est ulla in eo difficultas, quod Ecclesia proponat et imponat cultum alicuius martyris aut sancti, qui reapse talis fuerit, cuius tamen Vita et passio nullam habeat veritatem historicam. Ad hanc normam iudicabis aliqua *Festa* in Ecclesia universali instituta ad commemorandum pium aliquod factum historicum, v. gr. apparitionem Mariae Virginis in oppido gallico *Lourdes*. Ecclesia vadem se constituit honestatis huius cultus Mariani, at minime interponit suam auctoritatem doctrinalem ad attestandam authentice veritatem praefatae apparitionis, cuius historicitati ceteroquin solida fundamenta minime desunt.

Discrimen inter magisterium ordinarium et extraordinarium non in eo est reponendum, quod hoc sit peremptorium, illud provisorium; hoc infallibile, illud fallibile: idque duplici de causa: primo quia non omnia peremptorie et infallibi-

liter proponuntur in magisterio conciliari et extraordinario; dein quin non omnia provisorie et fallibiliter docentur in magisterio ordinario et universali. Discrimen ergo ex alio capite est repetendum:

a) Prima et palmaria differentia in hoc stat, quod magisterium conciliare extraordinarium exercetur ab episcopis in uno loco congregatis, magisterium vero ordinarium ab eisdem episcopis in toto orbe dispersis; unde proxime consequitur aliud discrimen: quod decreta doctrinalia conciliaria praece dere solet longa et accurata episcoporum deliberatio et discussio praevia, ad quam praeparandam viri docti sive theologi sive canonistae concurrere utiliter solent.

b) Altera differentia non minus palmaria in eo est, quod concilia oecumenica raro celebrantur, dum magisterium ordinarium usus est quotidiani: cum quo proxime cohaeret, quod decreta doctrinalia conciliaria ut plurimum eduntur ad proscribendos natos errores haereticos, vel ad coercendas exortas controversias in rebus fidei et morum; dum magisterium ordinarium magnam partem versatur in proponendo deposito fidei, necnon in exponendis doctrinis sollemniter definitis definitione sive papali, sive conciliari.

c) Tertium discrimen, maxime attendendum, consistit in hoc, quod in magisterio sollemni et extraordinario cum papali, tum conciliari, episcopi exercent magisterium personaliter per se ipsi; dum in magisterio ordinario utuntur multiplici ministerio subsidiario: duplex huiusmodi ministerium venit hic praeprimis commemorandum: unum est illud quod presbyteri curati exercent in erudienda plebe christiana iam inde a prima instructione catechetica; alterum est subsidium quod episcopis praestant theologi, moralistae, canonistae, Universitates ecclesiasticae, Instituta biblica, diversi generis Facultates in erudiendis alumnis candidatis ad sacerdotium et multiplex ministerium pastorale. Notatu dignissima est arcta connexio a Pio IX statuta inter magisterium episcopale ordinarium et magisterium theologicum universale in sua epistula « Tuas libenter » ad archiepiscopum Monaco-Frisingensem (Denzinger, n. 1683): « Etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificorum huiusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea

quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, *ideoque* universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur ».

d) Utile demum erit notare et premere mutuam atque intimam habitudinem utriusque magisterii, sollemnis inquam et ordinarii: hae duae formae praedicationis ecclesiasticae non debent nimium separari, sed coniungi potius et arcta connectione devinciri, quippe se mutuo iuvant, complent et clarificant. Sicuti magisterium extraordinarium sive papale sive conciliare inservire optime potest ad clarificandam concordiam et peremptorietatem magisterii ordinarii et dispersi, sic vicissim magisterium ordinarium episcopatus dispersi inservire non raro poterit ad clarificandam et, ubi opus fuerit, complendam oecumenicitatem conciliarem. Accedit quod magisterium ordinarium potest esse magnificum subsidium tum ad praeparandas definitiones sollemnes papales et conciliares, tum ad easdem definitiones explicandas et tutandas.

Thesi adversabantur iam olim Pelagiani appellantes ad Concilium oecumenicum, quibus Augustinus opponebat infallibilitatem magisterii ordinarii. — Similiter aliqui ex Gallicanis et Iansenistis multiformiter exaggerantes conditiones requisitas ad hanc infallibilitatem: alii urgent necessitatem unanimitatis physicae; alii requirunt ut materia sit res fidei vel morum manifesto in Ecclesia credita; alii exigunt consensum et acceptationem fidelium omnium, vel saltem presbyterorum. — Accedunt aliqui theologii germani, de quibus loquitur Pius IX in laudata superius epistula ad archiepiscopum Monacho-Frisingensem.

Probatur thesis

Argumenta ad probandam thesim eadem fere sunt ac in parte praecedenti:

1° Christus instituit magisterium authenticum et infallibile in collegio apostolico continuando usque ad consummationem saeculi. Collegium apostolicum continuatur in collegio episcoporum, ut superius ostendimus. Atqui collegium episcopale docens non minus habetur in magisterio ordinario et uni-

versali episcopatus dispersi, quam in magisterio extraordinario episcopatus collecti in concilio. — Profecto assistentia et promissiones Christi nullatenus sunt alligatae exercitio magisterii sollemnis et extraordinarii; quin imo per prius respiciunt magisterium ordinarium et quotidianum: « Ego vobiscum sum *omnibus diebus* usque ad consummationem saeculi ».

2° Si erraret Ecclesia in docendo per suum ordinarium magisterium, erraret quoque Ecclesia universalis in credendo, quippe quae non aliter efformat suam fidem, quam audiendo et sequendo Ecclesiam docentem. Atqui Ecclesia universalis in credendo errare nequit, quum sit vere indefectibilis, columna et firmamentum veritatis. Ergo ...

3° Si posset errare magisterium ordinarium et universale in conditionibus superius descriptis, oporteret admittere Ecclesiam caruisse magisterio infallibili in longiori suae existentiae tempore. Sane concilia oecumenica nonnisi raro celebrantur: antequam primum concilium oecumenicum celebraretur, tria iam saecula effluxere — inter seriem conciliorum oecumenicorum orientalem saeculo nono clausam, et seriem eorundem occidentalem, saeculo decimo tertio inchoatam, iacent media saecula tria — Ultimum concilium oecumenicum (Vaticanum) separatur a Tridentino intercapedine ter saeculari. Quod de magisterio sollemni conciliari dixi, idem fere dicendum est de sollemnibus definitionibus papalibus, quae et ipsae rarius eduntur. Si ergo Ecclesia foret infallibilis in suo tantum magisterio extraordinario, sequeretur ipsam caruisse charismate veritatis per longum saeculorum tractum, id quod nemo catholice sentiens auserit affirmare.

4° Si magisterium ordinarium et universale esset fallibile, ipsa magisterii extraordinarii infallibilitas redderetur practice inutilis. Quid enim prodessent decreta doctrinalia conciliaria infallibiliter edita, si quotidiano demum et ordinario magisterio eandem doctrinam contingeret obscurari, alterari, deformari, corrumpi?

5° Accedit demum traditio christiana, quae iam ab initio manifestari inceptit in Ignatio A., in Irenaeo, Tertulliano, Origine ... ita quidem et prima negatio infallibilitatis magisterii ordinarii ex parte Pelagianorum provocaverit promptam et vivacem reactionem Augustini scribentis ad Bonifacium papam: « Aut vero congregatione synodali opus erat, ut aperta pernicies

damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic reprobari damnarique meruerunt. Verum istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis Synodus congregetur ».

Via dogmatica res tota egregie clarificatur et confirmatur :

Pius IX in sua epistula ad episcopum Monacho-Frisingensem auctoritatem magisterii ordinarii perfecte aequiparat cum auctoritate summa et infallibili magisterii extraordinarii cum papalis, tum conciliaris. Denz. n. 1683.

Concilium Vaticanum in sessione III, cap. 3 (Denzinger, n. 1792) docet: « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ab ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Ubi auctoritas magisterii extraordinarii et ordinarii in eodem censu collocantur.

Idem C. Vaticanum in sessione IV, cap. 4 Denzinger, n. 1839 docet. R. Pontificem definientem ex cathedra ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam *in definienda doctrina* vel moribus instructam esse voluit. Ubi definitur infallibilitas tum pontificia, tum episcopalis in magisterio sive sollemni sive ordinario.

Codex Iuris Canonici in canone 1323 repetit eandem doctrinam a Concilio Vaticano propositam in laudato superius loco (Denz. n. 1792).

Iusiurandum antimodernisticum sic habet: « Fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de *charismate veritatis* certo quod est, fuit eritque semper in episcopatus ab Apostolis successione; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut numquam aliter credatur, num-

quam aliter intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata ». Denzinger, n. 2147.

Scholion historicum. — De serie conciliorum.

Viginti sunt concilia oecumenica hactenus celebrata in Ecclesia catholica: en eorum seriem ordine chronologico digestam:

Nicaenum I — anno 325 celebratum contra Arium — convocatum a Constantino I — confirmatum a papa Silvestri I — cui interfuere episcopi circiter 319.

Constantinopolitanum I — a. 381 celebratum contra Macedonem — convocatum a Theodosio I — confirmatum a p. Damaso — cui interfuere episcopi tantum orientales n. c. 186.

Ephesinum — a. 431 celebratum contra Nestorium — convocatum a Theodosio II — confirmatum a Coelestino I — cui interf. episcopi c. 250.

Chalcedonense — a. 451 celebratum contra Eutichem — convocatum a Pulcheria imperatrice — confirmatum a Leone I — cui interf. episcopi c. 600.

Constantinopolitanum II — a. 553 celebratum (de tribus capitulis) — convocatum a Iustiniano I — confirmatum a Vigilio — cui interf. episcopi c. 150.

Constantinopolitanum III — a. 680 celebratum contra Monothelitas — convocatum a Constantino IV — confirmatum a Leone II — cui interf. episcopi c. 174.

Nicaenum II — a. 787 celebratum contra Iconoclastas — convocatum ab Irene Imperatrice — confirmatum ab Hadriano I — cum interf. episcopi et praelati c. 390.

Constantinopolitanum IV — a. 870 celebratum contra Photium — convocatum a Basilio — confirmatum ab Hadriano II — cui interf. episcopi c. 102.

Lateranense I — a. 1123 celebratum (de Investitura ...) — convocatum a papa Callisto II — confirmatum ab eodem Callisto — cui interf. episcopi et praelati c. 300.

Lateranense II — a. 1139 celebratum (de re disciplinari) — convocatum a p. Innocentio II — confirmatum ab eodem papa — cui interf. episcopi et praelati c. 1000.

Lateranense III — a. 1179 celebratum contra Albigenses

et Catharos — convocatum a p. Alexandro III — confirmatum ab eodem papa — cui interf. episcopi et praelati c. 700.

Lateranense IV — a. 1215 celebratum contra Waldenses et Albigenses — convocatum a p. Innocentio III — confirmatum ab eodem papa — cui interf. episcopi et praelati c. 800.

Lugdunense I — a. 1245 celebratum (de re disciplinari) — convocatum a p. Innocentio IV — confirmatum ab eodem papa — cui interf. episcopi c. 140 cum multis praelatis.

Lugdunense II — a. 1274 celebratum (de Unione Graecorum) — convocatum a p. Gregorio X — confirmatum ab eodem papa — cui interf. episcopi et praelati plusquam 1000.

Viennense — a. 1312 celebratum (de re disciplinari — contra Beguar. et Beguin.) — convocatum a p. Clemente V — confirmatum ab eodem papa — cui interf. episcopi c. 300.

Constantiense — a. 1414-1418 celebratum (de Schismate Occidentali) — convocatum ab imperatore Segismundo — confirmatum a papa Martino — cui interf. complexivè omnes plusquam 600.

Florentinum — a. 1438-1445 celebratum (de Unione Orientalium) — convocatum a p. Eugenio IV — confirmatum ab eodem Eugenio — cui interf. episcopi c. 200.

Lateranense V — a. 1512-1517 celebratum (de Ecclesiae reformatione) — convocatum a p. Iulio II — confirmatum a Leone X — cui interf. episcopi c. 120.

Tridentinum — a. 1545-1563 celebratum contra Protestantés — convocatum a p. Paulo III — confirmatum a Pio IV — cui interf. in primis sessionibus episcopi c. 70; in ultima et definitiva sessione episcopi c. 255.

Vaticanum — a. 1870 celebratum (de fide et Ecclesia) — convocatum a p. Pio IX — confirmatum ab eodem Pio IX — cui interf. episcopi 747 ex toto fere orbe catholico congregati.

THESIS XVIII

Eadem infallibilitate pollet R. Pontifex ex cathedra loquens; quapropter eius definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae sunt irreformabiles.

Praeter episcopatum universum, de quo in thesi praecedenti egimus, adest in Ecclesia aliud inerrantis magisterii subiectum, Romanus videlicet Pontifex. In quo, utpote supremo omnium fratrum confirmatore, omnis ecclesiasticae infallibilitatis apicem causamque ultimam iure merito quaesieris. Egregiam hanc et praecellentem R. Pontificis praerogativam in hac thesi explicandam vindicandamque suscipimus.

Praenotanda

1. Stricta infallibilitatis notio eo demum redit, ut sit impotentia errandi in subiecto intelligendi. Quae impotentia, si in ipsa entis intelligentia et perfectione radicatur, dicitur et est infallibilitas imparticipata, absoluta et independens atque universalis seu ad omnia prorsus obiecta se protendens; si vero est radicata in superaddito extrinsecus auxilio dici consuevit et reapse est participata, conditionata, restricta seu ad certum quendam veritatum ordinem plus minus amplum limitata. Per se patet infallibilitatem pontificiam, si quae sit, participatam demum esse, hinc certis quibusdam conditionibus in suo exercitio necessario et essentialiter alligatam.

2. Quenam vero sint huiusmodi condiciones Patres Vaticanani in ipso definitionis decreto limpide et sollemniter exponunt hisce verbis: « Itaque nos traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ... Sacro approbante concilio docemus et divinitus revelatum esse dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in

definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae esse irreformabiles ». Denzinger, n. 1839. Ubi apprimè determinantur subiectum — actus — obiectum — causa efficiens — effectus infallibilitatis pontificiae. Pauca de singulis:

Subiectum infallibilitatis est ex tenore definitionis non Ecclesia romana, non Sedes romana, sed omnis et singulus Romanus Pontifex « pro tempore existens ». Quae ultima verba nonnulli Patres postulabant ut apponerentur post illa alia « Romanum Pontificem ». Sed omissa sunt, quia ut aiunt Acta Concilii « hoc superfluum visum est ». Ergo excluditur distinctio inter « sedem et sedentem » quam invexerant Gallicani, qui *singulos sedentes* seu Pontifices errare posse contendebant, quamvis Deus, aiebant, caveret ne error in *sede* Romana inolesceret. Vides quo sensu infallibilitas pontificia dici possit *personalis*: non quatenus haec praerogativa competit R. Pontifici ut personae *privatae*, sed quatenus competit omnibus et *singulis* papis consideratis prout sunt persona *publica*. Ex his consequitur hanc praerogativam esse *incommunicabilem*; inhaeret enim Romano Pontifici ut primatum tenenti, quem primatum nequit ipse exuere et aliis puta Congregationibus romanis delegare.

Actus infallibilitatis: Non omnes actus doctrinales R. Pontificis gaudent praerogativa infallibilitatis, sed ille tantum actus, qui designatur hac formula: « quum ex cathedra loquitur ». Quam formulam ipsum Concilium sic explicat: « cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit ». Hinc:

a) Non sufficit ut Pontifex loquatur ut doctor privatus, vel ut doctor publicus particularis Ecclesiae seu dioecesis Romanae, sed requiritur ut doceat ut doctor publicus et universalis.

b) Nec sufficit ut loquatur ut doctor publicus et universalis, sed requiritur praeterea ut doceat ut doctor *supremus*, i. e. ut suam supremam auctoritatem doctrinalem *plene adhibeat* edendo sententiam *peremptoriam* ac irreformabilem, qua omni animorum fluctuationi finis demum imponatur.

c) Oportet praeterea ut haec talis sententia *universae Ecclesiae* assensu absoluto et irreformabili acceptanda imponatur. Ad hoc tamen non videtur requiri, ut documentum quod definitionem continet, ad universam Ecclesiam immediate *dirigatur*; sufficit ut toti Ecclesiae *destinetur*, licet proxime forsitan dirigatur ad episcopos alicuius regionis in qua dammandus error grassatur.

d) Tandem opus est ut actus libere, non coacte a papa ponatur, et *intentio definiendi sit manifesta*. Agitur enim de imponenda lege toti Ecclesiae, quae, dum manet dubia, non potest obligationem imponere. Unde intelligitur quod Codex Iuris Canonici (c. 1323) decernit: « Declarata seu definita dogmaticae res nulla intelligitur nisi id manifeste constiterit ».

Obiectum infallibilitatis quod attinet, tria continentur in formula Vaticana: *Primo* asseritur hoc obiectum constitui « doctrina de fide vel moribus »: doctrina de fide est doctrina revelata et credenda; doctrina de moribus est doctrina revelata credenda et in praxim deducenda. Discrimen ergo inter res fidei et res morum non stat in hoc, quod priores sint revelatae, aliae vero revelatione careant; sed in hoc, quod res fidei sunt doctrinae speculativae, res vero morum sunt doctrinae practicae quae sunt credendae et ad praxim deducendae. Agitur de rebus *propter se* revelatis, i. e. de rebus quae pertinent ad ordinem sacrum sive religiosum sive soteriologicum. — *Secundo* asseritur obiectum infallibilitatis pontificiae esse doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia *tenendam*. Haec vox « tenendam » consulto adhibita est a Concilio loco vocis « credendam », quae nonnullis Patribus praeplacebat. Ratio selectionis fuit, ne ansa daretur pravae interpretationi, quasi infallibilitas pontificia restringenda foret ad ea tantum quae *formaliter* revelata sunt, ideoque fide *divina* credi debent. Selecta ergo est vox « tenendam », quae latius patet, et ad ea quoque extendi potest, quae *virtualiter* revelata sunt, et, si ab Ecclesia definiantur, fide quidem ecclesiastica teneri debent, fide tamen divina credi non possunt secundum multos et graves Doctores.

Tertio notanda venit formula Vaticana complexior, in qua asseritur R. Pontificem ex cathedra loquentem ea infalli-

bilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Quorsum iste circuitus verborum? Concilium docere et premere voluit *coextensionem* utriusque infallibilitatis: pontificiae et ecclesiasticae. Unde consequitur: a) Infallibilitas pontificia se protendit ad ea omnia, et ad ea sola, ad quae se protendit infallibilitas ecclesiastica. — b) Qua certitudine constat infallibilitatem ecclesiasticam se extendere ad obiecta virtualiter revelata, eadem id constat de infallibilitate pontificia. — c) Atqui extensio infallibilitatis ecclesiasticae ad virtualiter revelata est quidem doctrina prorsus certa et ab omnibus theologis unanimiter recepta, sed nondum est ab Ecclesia definita; id ergo ipsum ex tenore definitionis Vaticanae de pontificia infallibilitate retineamus oportet.

Causa efficiens infallibilitatis pontificiae assignatur a Vaticano *assistentiæ* divina Romano Pontifici a Deo *in Petro* promissa; agitur ergo de assistentia qua Pontifex fruitur ut persona publica in exercitio sui muneris primatialis. Porro assistentia divina non importat divinam *inspirationem*, qualem habuerunt hagiographi S. Scripturae. — Nec implicat *revelationem*, id quod signanter notant Patres Vaticani: « Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ». Denzinger, n. 1836. — Aliunde vero cum praefata assistentia minime conferat omniscientiam, supponit R. Pontificem non negligere media praeviae inquisitionis in fontes revelationis, id quod rursus notant Patres Vaticani: « Romani Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis conciliis, aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppedabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae Sacris Scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant ». Cave tamen ne infallibilem sententiam consideres ut fructum humanae et scientificae perquisitionis: immunitas enim ab errore fructus est divinae assistentiae, qua Deus pontifici laboranti et deliberanti adest ut veritatem revelatam et recte inveniat et apte proponat. Quae-

res forsitan num haec praevia in fontes conquisitio sit ita absolute necessaria, et numquam sine ea detur infallibilis definitio. Non desunt qui ita opinentur: qui proinde docent divinam assistentiam id efficere, ut Pontifex numquam in definitionem procedat antequam praevia illa inquisitio sufficienter perfecta fuerit. Alii non vident tantam praeviae inquisitionis necessitatem: qui proinde consonanter docent divinam assistentiam id praestare, ut Pontifex utcumque nonnisi verum definiat. Vides quaestionem practice esse minimi momenti: vides quoque infallibilitatis dotem minime esse concipiendam instar *habitus inhaerentis* Pontifici. — *Effectus* infallibilitatis pontificiae demum notetur: definitio pontificia dicitur *ex sese* irrefragabilis, non autem ex consensu Ecclesiae. Distinguas ergo inter *existentiam* consensus, quae numquam deerit, et *causalitatem* ipsius, quae nulla requiritur.

Positio adversaria

Protestantes cuiuscumque ordinis et gradus detrectant infallibilitatem tum episcopatus generatim, tum vel maxime Romani Pontificis.

Theologi Orientales separati omnes similiter thesi nostrae adversantur, cum Russi, tum Graeci, Bulgari, Rumeni ... apud quos unum est infallibilitatis activae subiectum, Concilium vere oecumenicum. Hinc est ut ea sola tamquam infallibiliter proposita recenseantur, quae a septem prioribus Conciliis oecumenicis definita sunt.

Petrus de Osma (Martinez), professor in Universitate Salmanticensi, docuit varios errores de Sacramento Poenitentiae, quos recensitos reperies apud Denzinger, nn. 724-732. Propositio septima statuit Ecclesiam urbis Romae posse errare. Iudicatus a theologis Salmanticensibus et Complutensibus, damnatus fuit ab archiepiscopo Toletano Alphonso Carrillo primum, et dein a Papa Sixto IV. Petrus retractavit suos errores in Synodo provinciali Complutensi.

Gallicani veteres ut Gerson, Petrus Aliacensis, alii. Apud

quos subiectum infallibilitatis activae est Ecclesia universalis repraesentata in Concilio oecumenico.

Gallicani recentiores collecti in Comitiiis Parisiensibus a. 1682 ediderunt quatuor articulos. Quorum quartus sic sonat. (Denz. n. 1325): « In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium nisi Ecclesiae consensus accesserit ». Hunc articulum defendit eximius orator Bossuet. Huic doctrinae directe opponitur definitio Vaticana, de qua supra.

Richeriani, Febroniani, Iansenistae, Pistorienses accedunt ad Gallicanos.

In ipso Concilio Vaticano quaedam minoritatis membra negabant vel in dubium vertebant personalem R. Pontificis infallibilitatem. Die 28 Ianuarii (1870) Patres fere quingenti petunt ut haec quaestio ponatur, discutiatur, definitive solvatur. At die sequenti alii Patres non pauci (136) obsistunt orantque ne haec quaestio ponatur. Ex his aliqui ipsam doctrinam de personali Pontificis infallibilitate negabant; alii potius impugnabant opportunitatem definitionis quippe ex qua multa et gravia mala pro Ecclesia pertimescebant. Praevalent priores, et quaestio demum ponitur: qua instituta, duae partes adversae duello conflixere mirando. Decem et quatuor Congregationes generales fuerunt huic quaestioni dedicatae, in quibus sexaginta et quatuor oratores perorabant ingenti animorum commotione.

Durante controversia conciliari quatuor opuscula anonyma edebantur contra infallibilitatem pontificiam.

Primum opusculum, cuius auctor videtur fuisse Cardinalis Rauscher, archiepiscopus Viennensis, gerebat titulum: « Observationes quaedam de infallibilitatis Ecclesiae subiecto ». Praecipua opusculi pronuntiata ad haec fere revocantur: Subiectum infallibilitatis ecclesiasticae est Ecclesia universalis repraesentata in Concilio oecumenico approbato a Papa. — Decreta doctrinalia papalia accipienda quidem sunt cum

fiducia et obedientia, nondum tamen sunt infallibilia quandiu consensus et acceptatio episcopatus non accesserit. — Haec fuit vera antiquitatis christianae doctrina usque ad S. Thomam spuris quibusdam operibus deceptum — Doctrina Aquinatis confirmatur et demum praevalet opera Bellarmini.

Secundum opusculum gestabat titulum: « De Summi Pontificis infallibilitate personali », et in Concilio diffundebatur a Cardinali Schwarzenberg, archiepiscopo Pragensi. Verus eius auctor erat Franciscus Maier, professor theologiae in Universitate Pragaë, cuius opera et consilio utebatur Cardinalis durante Concilio. En opusculi doctrinam: Subiectum infallibilitatis activae in Ecclesia non est Papa romanus, sed Sedes Romana seu Ecclesia Romana — Primatus iuridicus episcopi Romani est certo retinendus — Decretis doctrinalibus Romani Pontificis debetur quidem oboedientia, non sunt tamen ex sese irrefragabilia, sed talia fiunt ex accedente Ecclesiae consensu.

Tertium opusculum habebat pro titulo: « Causa Honorii », habuitque auctorem eruditissimum virum Heffele, episcopum Rotterdamsensem. Tria potissimum premuntur in hoc opusculo: Honorius in epistula dogmatica ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum de facto erravit unam docens Domini Nostri voluntatem — Honorius fuit condemnatus ut haereticus in concilio oecumenico sexto Constantinopolitano III — Decreta doctrinalia papalia fuerunt non semel examini subiecta in Conciliis oecumenicis.

Quartum opusculum titulabatur « Quaestio ». Verus eius auctor fuit P. Quarella S. J. Theologiae repetitor in Collegio Urbis Germanico-Hungarico. Doctrina huius opusculi est ipsamet doctrina gallicana a Bossuet defensa in Comitibus Parisiensibus: Subiectum infallibilitatis activae in Ecclesia est corpus episcopale integrum — Papa habet potiores partes in hoc Collegio — Papae tamen decisiones doctrinales non sunt ex sese irreformabiles, sed ex accedente Ecclesiae consensu. His omnibus opusculis optime respondebat Wilmers S. J. novo opusculo item anonymo Neapoli edito.

Eminabant in tota hac controversia ex parte quidem minoritatis adversae Hefele, Ketteler, Rauscher, Strossmaier, Dupanloup. — Ex alia vero parte maioritatis vere eminere in exponendo quidem et probando dogmate infallibilitatis pontificiae archiepiscopus Dublinensis *Cullen*, necnon episcopus Brixiensis *Gasser*. In respondendo ad difficultates opportunistarum egregiam operam praestitit *Dechamps* archiepiscopus Mechlinensis necnon Cardinalis *Manning* archiepiscopus Westminsteriensis e protestantismo ad catholicismum conversus.

Antiinfallibilistae et antiopportunistae ab Urbe recedunt die 17 Iulii. Die sequenti, 18 Iulii, celebratur sessio publica et sollemnis in qua editur definitio conciliaris, qua celeberrimae huic controversiae finis demum imponitur. Vota emisere Patres quingenti triginta et quinque. Ex his 533 votum positivum; 2 votum negativum. Uterque tamen sponte et subito acquieverunt postquam summus Pontifex Pius IX sollemnem confirmationem emisit hisce verbis: « Decreta et canones, qui in constitutione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, duobus exceptis; Nosque sacro approbante Concilio, illa et hos, ut lecta sunt, definimus et auctoritate apostolica confirmamus ». — Utile erit notare ceteros episcopos, qui ex urbe recesserunt, definitionem conciliarem demum acceptasse, eamque in suis ecclesiis promulgasse. Soli resistunt sic dicti *veteres catholici*, quorum dux fere et antesignanus fuit *Doellinger*. Qui tamen nomen suum numquam dare voluit novae ecclesiae schismaticaе.

Probatur thesis

Argumentatio uberrima institui potest ex verbo Dei scripto et tradito. Argumentum porro sive biblicum sive traditionale multiplicem formam induere potest.

Primam argumentationis biblicae formam suggerunt verba promissionis apud Mt. 16, 18 sq. « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam... ». Tria hic asseruntur: Ecclesia Christi aedificabitur super Petrum. — Haec Ecclesia erit firma contra iteratos et diabolicos insultus — Ecclesia firmabitur per Petrum: duo priora affirmantur explicite; tertium vero im-

plicite ut alias ostendimus. Age iam: Ecclesia Christi est coetus *fidelium*, eorum inquam qui veram fidem profitentur; est aedificium fide constructum, fide crescens, fide perseverans. Stabit ergo Ecclesia firma in fide vera per Petrum. Atqui nequit Petrus firmare Ecclesiam in fide, si sit ipse ex sese fallibilis. Id ut clarius percipias, fingas parumper animo Petrum eiusque successorem R. Pontificem errorem dogmaticum ex cathedra definientem. Quid tunc fiet?

Triplex hypothesis est absolute possibilis: *vel* omnis Ecclesia sequitur Pontificem definientem et errori inhaerentem; *vel* una tantum pars eidem inhaeret, dum alia eidem fidem obedientiamque decretat; *vel* omnes denique fideles ei resistunt. Si primum contingat, Ecclesia non firmabitur in vera fide per Petrum, sed potius infirmabitur per eum. Si fiat secundum, pars quae sequitur Petrum aut papam infirmabitur per Petrum; pars vero quae Papae resistit, firmabitur in vera fide *contra* Papam. Si tertium denique accadat, tota Ecclesia firmabitur in fide *contra* Pontificem. Breviter ergo: Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Atqui Ecclesia redditur firma et indefectibilis in fide per Petrum eiusque successorem R. Pontificem. Nequit ergo hic dici ex sese defectibilis in fide, sed vere indefectibilis, seu, quod idem est, ex sese in definiendo infallibilis.

Alteram argumentationis formam dabit secunda metaphora a Christo usurpata: « Tibi dabo claves Regni caelorum ». Unde fit argumentum: Potestas a Christo Petro eiusque successoribus promissa est *plena*, ut alibi ostendimus. Atqui non foret plena potestas R. Pontificis, si hic non esset infallibilis cum ex cathedra loquitur. Ergo ...

Prob. maior. Vere plena est potestas quae continet non potiores tantum ipsius partes, sed integram ipsius totalitatem, quae proinde nequit fieri maior aut compleri accessu alterius compartis, sed se sola potest ligare et solvere omnia quaecumque possunt ligari aut solvi in terris. Talis profecto fuit potestas, quae Petro eiusque successoribus fuit primo promissa et deinceps collata. Soli namque Petro traditae sunt claves Regni caelorum; soli Petro data est potestas ligandi et solvendi omnia extensive universalis, et intensive summa;

nec fuit maior potestas quae Petro cum reliquis apostolis fuerit promissa et collata (Mt. 18, 18; 28, 18 sq.). Potestas ergo Petri eiusque successoris est vere plena. Age iam: Non foret plena, si esset fallibilis; siquidem datur in Ecclesia potestas docendi infallibilis, ut adversarii concedunt, et nos ipsi in thesi praecedenti demonstravimus. Si ergo potestas pontificia foret ex sese fallibilis, deberet augeri et compleri accessu potestatis episcopalis, ut praecise contendunt adversarii.

Notes velim in hoc secundo argumento tangi et premi punctum neuralgicum totius huius quaestionis. Gallicani et nos in hoc sumus concordēs, quod ibi est subiectum infallibilitatis activae in Ecclesia, ubi est subiectum plenitudinis potestatis ecclesiasticae: aliis verbis: utraque pars concorditer docet potestatem plenam in Ecclesia esse ex sese infallibilem; discordia surgit, ubi quaeritur ubinam sit subiectum huius plenae potestatis. Demonstrata ergo plenitudine potestatis pontificiae, eo ipso manet demonstrata infallibilitas pontificia iuxta ipsa principia Gallicana.

Dices: Totum est maius sua parte; porro corpus episcopale est aliquod totum, papa vero est pars huius totius. Maior ergo est potestas totius corporis episcopalis (membrorum simul et capitis) quam papae solius. Subiectum ergo plenitudinis potestatis ecclesiasticae non in papa solo, sed in toto collegio episcopali reponendum potius videtur:

Resp. Quod nimis probat, nihil probat. Ex argumento Gallicano sequeretur maiorem esse potestatem Ecclesiae, corporis mystici Christi, quam est potestas solius Christi, quippe qui est pars capitalis totius corporis; sequeretur quoque maiorem esse potestatem seu virtutem totius mundi, quam solius Dei, quippe qui sit pars (sit venia verbo) totius complexus cosmici. Distinguas ergo inter totum physicum et materiale ac inter corpus morale, iuridicum et mysticum quale est vera Christi Ecclesia. Potestas magisterialis et iuridica totius collegii episcopalis est quidem maior *extensive* quam potestas solius capitis, at non *intensive*, soli quippe capiti est a Christo concessa potestas clavigera et plena.

Tertium argumentum biblicum mutuare iuvat ex tertia

Christi metaphora: « Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveris super terram erunt soluta et in caelis ». Iuxta promissionem ergo evangelicam Deus ligat in caelis *quaecumque* Petrus ligat in caelis. Atqui nequit Deus ligare in caelis quae Petrus ligat in terris, si hic edens decretum doctrinale peremptorium, errat in fide. Ergo

Quartum argumentum suppeditabunt verba Christi collatoria apud Ioannem 21, 15-17: « Pasce oves meas, pasce agnos meos ». Quibus in verbis contineri collationem primatus iuridici et universalis alias ostendimus. Infallibilitatem quoque pontificiam in iisdem contineri nunc demonstrandum est. Sane qui tenet in Ecclesia potestatem iurisdictionis supremam, debet ipse necessario tenere potestatem magisterii supremam. Pastoratus universalis Petro a Christo commissus includit potestatem docendi universalem et supremam; siquidem oves Christi in Ecclesia debent praepriis pasci sanis doctrinis. Deinde patet hoc evidenter si, ut verior tenet sententia, potestas magisterii ecclesiastici spectat formaliter ad potestatem iurisdictionis. Patet quoque hoc ipsum in alia sententia, secundum quam potestas magisterii, etsi sit formaliter diversa a potestate iurisdictionis, est tamen necessario et essentialiter cum eadem connexa *in eodem subiecto*; nemo quippe defendit aliud esse in Ecclesia subiectum iurisdictionis supremae, aliud subiectum magisterii supremi. Quod si fingas in Romano Pontifice potestatem docendi supremam quidem, sed fallibilem ad docendam Ecclesiam *infallibilem*, sic enim eam fingunt Gallicani, admittis potestatem quandam vere contradictoriam. Unde.

Breviter in forma: Qui est pastor seu *rector supremus* in Ecclesia, debet ipse esse *doctor supremus* in eadem Ecclesia. Atqui ex verbis Christi R. Pontifex constituitur pastor et rector supremus. Ergo est quoque doctor supremus. — Atqui doctor supremus *in Ecclesia infallibili*, qualem admittunt Gallicani, debet necessario esse infallibilis. Ergo ...

Quintum argumentum biblicum peti potest ex oratione Christi pro fide Petri apud Lucam 22, 31-32: « Simon, Simon,

ecce Satanus expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Unde sic: Christus oratione certe efficaci postulat pro Petro *ut primatē* indeficientem in fide firmitatem seu, quod idem est, infallibilitatem. Atqui praerogativae Petri, ut primatis, transeunt ad eius successores. Ergo...

Prob. maior.: Christum in sua oratione respicere Petrum non ut personam privatam, sed ut publicam seu primatem suadet sequentibus indiciis: a) Primo quidem tota Christi responsio et oratio provocabatur quaestione discipulorum seu apostolorum contententium *de primatu* (22, 24-25). Christus reprehendit quidem fastum mundanum et superbum ambitionis spiritum, at non negat, sed potius insinuat futurum esse inter apostolos aliquem primatem: « *qui maior est in vobis, fiat sicut minor* ». b) Oratio Christi fit eo fine, ut cedat in utilitatem omnium, et pro Petro obtinetur ea in fide firmitas, qua possit ipse a Christo firmatus fratres suos vicissim confirmare a Satana cribrandos. Atqui donum Petro concessum ut fratrum confirmatori, ut sustentanti fidem aliorum, est donum ei *ut primati* concessum: c) Sed prae ceteris considerandus est perfectus nostri loci parallelismus cum his quae apud Mt. 16, 18 de Petro, certe ut primatē, dicuntur: sicut ibi fit sermo de *portis inferni*, quae Ecclesiam Christi impugnabunt, sic hic sermo est de *satana* fidem apostolorum et discipulorum cribrante; sicut ibi infernalibus impugnationibus opponitur Petrus, ut firmissima Ecclesiae petra, sic hic iteratis satanae cribrationibus opponitur indefectibilis Petri fides. Idem est confirmator fratrum, et inexpugnabilis Ecclesiae petra. Sed esse inexpugnabilem Ecclesiae petram convenit Petro ut primatum gerenti. Ergo idem censeamus oportet de Petro fratrum suorum confirmatore. d) Accedit auctoritas Patrum Vaticanorum scribentium: « Quorum apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati sunt; plenissime scientes hanc sancti Petri sedem ab omni semper errore illibatam permanere *secundum Domini nostri salvatoris nostri divinam pollicitationem* discipulorum suorum principi factam: Ergo rogabo pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Denzinger, n. 1836.

Nota bene: Argumenti efficacia non pendet a motis controversiis circa sensum seu significationem vocis « conversus » ἐπιστρέψας, quae triplicem interpretationem nacta est apud exegetas: Multi opinantur Christum respicere *conversionem* Petri a peccato trinae negationis in quod mox erat casurus. — Alii putant vocem ἐπιστρέψας continere hebraismum cum significatione « vicissim »: sensus ergo foret: Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua; tu vicissim confirma fratres tuos. Alii domum tenent sermonem potius esse de conversione Petri ad fratres suos; sensus ergo esset: Ego rogavi pro te ... tu converte te ad fratres tuos, eosque confirma in fide.

Argumentum traditionis triplicem formam induere potest: papalem, conciliarem, patristicam. Papae in primis conscios se produnt suae supremae potestatis doctrinali, ideoque infallibilis.

Victor in controversia paschali sibi tribuit et exercet potestatem abscindendi a communione catholica magnas ecclesias Asiae proconsularis eo quod sentiebant et docebant ea quae sunt *contraria rectae fidei*. Cf. v. I, p. 308 sq. Putat ergo se esse arbitrum et iudicem supremum in rebus fidei.

Iulius papa eandem conscientiam prodit in sua epistula ad Eusebianos, qui Athanasium patriarcham Alexandrinum in Concilio Antiocheno condemnaverant sine licentia et approbatione S. Sedis. Quibus in memoriam revocat veterem consuetudinem de sede episcopali romana arbitra communionis catholicae: « An ignoratis hanc esse consuetudinem ut primum nobis rescribatur, et hinc quod iustum est decernatur? » Cf. v. I, p. 346.

Innocentius I similia docet in sua epistula ad episcopos africanos: « Patres non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis ex disiunctis remotisque provinciis ageretur; *non prius ducerent esse finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perveniret*, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur ».

Zosimus item ad episcopos africanos scribit: « Quamvis Patrum traditio apostolicae sedi tantam auctoritatem tribuerit

ut de eius iudicio nullus disceptare auderet, idque per canones semper regulasque servaverit ... cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus possit de nostra retractare sententia, nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus ». ML. 20, 676.

Bonifacius I eandem doctrinam proponit: « Ad synodum Corinthi ... talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant de nostro non esse iudicio retractandum. Numquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede tractari ». Denzinger, n. 110. Similia docet in epistula ad Rufum suum vicarium Thessalonicensem: « Et quidem haec sententia canonum a vetustate perduravit, ut nuncusque Christo nostro favente perdurat. Nemo umquam apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus violentas audacter intulit ». Coustant, o. c. p. 1039.

Caelestinus I plene consentit scribens in epistula 21: « Beatissimae et Apostolicae Sedis *inviolabiles sanctiones* sunt ».

Leo Magnus prohibet Concilio Chalcedonensi omnem disputationem contra ea quae ipse in suo Tomo definierat: « Non liceat defendi, quod non licet credi, quum plenissime et lucidissime perlitteras, quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum quae sit de sacramento Incarnationis Domini Iesu Christi pia et sincera confessio ». ML. 54.937.

Hormisdas formula specialissimam attentionem meretur in tota hac quaestione: « Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini Nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam: Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio ... Suscipimus autem et probamus epistulas Beati Leonis papae universas, quas de christiana religione conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et praedicantes omnia eius constituta. Et ideo spero ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse

merear, in quâ est integra et verax christianae religionis perfecta soliditas: promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est, non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Quodsi in aliquo a professione mea deviare tentavero, his, quos damnavi, complicem me mea sententia esse profiteor: Hanc autem professionem meam ego manu mea subscripsi, et tibi Hormisdæ sancto ac venerabili Papae urbis Romae direxi ». Denzinger, nn. 171-172.

Ut notat Denzinger, haec fidei regula episcopis, qui Acaicii schismatis participes fuerant, proposita, ab omnibus Orientis episcopis, ab imperatore Iustiniano, patriarchisque Constantinopolitanis Epiphanio, Ioanne et Menna, denique in VIII Synodo oecumenica a Patribus Graecis et Latinis subscripta est. Eandem formulam episcopis hispanis Hormisdas proposuit pro recipiendis in communione Ecclesiae clericis orientalibus. Est ergo hoc documentum vere pretiosum et maximi momenti reputandum ad probandam fidem christianae traditionis in hac, de qua agimus, controversia cum Gallicanis.

Quadruplex assertum continetur in hac fidei professione.

1° « In Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio ». En assertum *factum historicum* de perennialis et immaculata orthodoxia sedis episcopalis romanae.

2° « In sede romana est integra et verax et perfecta christianae religionis soliditas ». En assertum *principium iuridicum* de Sede romana principio et fundamento unitatis et firmitatis Ecclesiae catholicae.

3° « Quia non potest praetermitti sententia Iesu Christi dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram ... En assertum *fundamentum ontologicum* praerogativae sedis romanae: successio in suprema potestate magisteriali Petro a Christo promissa et collata.

4° « Promittens sequestratos a communione catholicae Ecclesiae non consentientes Sanctae Sedi ». En assertum *consectorium* de sede romana centro communionis catholicae et orthodoxiae oecumenicae. *Conclusio* evidens ex his quatuor assertis est: sedem episcopalem habere potestatem magisterialem supremam et infallibilem e Petro per successionem derivatam.

Clemens VI Ecclesiae armenae credendum praescrispsit

« Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, *cui sit inviolabiliter adhaerendum*, finem imponere, et esse verum et catholicum, quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditorum a Christo determinat esse verum; et quod determinat esse falsum et haereticum, sic censendum ». Denzinger, n. 3022. Notes affinitatem huius formulae cum formula Vaticana.

Sixtus IV proscripsit sententiam Petri de Osma: « Ecclesia urbis Roma errare potest ». Denzinger, n. 730.

Alexander VIII similiter proscripsit propositionem Iansenisticam: « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium oecumenicum auctoritate atque *in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate* ».

Pius IX ante definitionem Vaticanam in epistula ad archiepiscopum Monaco-Frisingensem ait: « Nam etiamsi ageretur de illa subiectione, quae *fidei divinae* actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum *aut Romanum Pontificum huiusque Sedis decretis definita sunt ...* » Denzinger, n. 1683. Ubi auctoritas doctrinalis Romanorum Pontificum perfecte aequiparatur cum auctoritate Conciliorum Oecumenicorum certe suprema et infallibili.

Synthesis et conclusio de traditione papali: Papae multifariam docent;

1° Cathedram Petri romanam esse centrum, necessario adeundum, communionis catholicae et orthodoxiae oecumenicae.

2° Supremas decisiones doctrinales papales esse irrefractabiles atque irretractabiles.

3° Doctrinam contrariam, in qua negatur infallibilitas pontificia, esse falsam.

4° Auctoritatem doctrinalem pontificiam esse aequalem cum auctoritate concilii oecumenici, ideoque infallibilem.

Traditio Conciliaris consideranda iam venit. Atque in primis

Concilium' Ephesinum prima demonstrationis elementa suppeditabit. Ubi recurrit triplicis testimonii confluentia: Papae Caelestini, legati pontificii, ipsius concilii.

Caelestinus praeprimis suis legatis in concilium missis iniunxit: « *Auctoritatem Sedis apostolicae custodiri debere* mandamus. Siquidem instructiones quae vobis datae sunt, hoc loquuntur, ut interesse conventui debeatis; ad disceptationem si fuerit ventum, *vos de eorum iudiciis iudicare debeatis, non subire certamen* ». Idem *Caelestinus* suo vicario *Cyrillo Alexandrino* iniunxerat: « Auctoritate igitur nostrae sedis tecum adscita, vice nostra usus, hanc exequeris districto vigore sententiam ». Acta Conc. Oec. I 2, p. 6. Sententia porro in synodo romana decreta huiusmodi erat: « Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam: ut nisi de Christi ea praedices quae Romana et Alexandrina et universalis Ecclesia tenet ... et hanc perfidam novitatem ... intra decimum diem a primo innotescendi tibi huius conventionis die numerandum, aperta et scripta confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiae catholicae communione deiectum ». Kirch, *Enchiridion*, n. 718.

Philippus legatus in tertia sessione magisterio et imperio sedis romanae splendidum testimonium coram Patribus perhibet: « Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, *fideique columna et catholicae Ecclesiae fundamentum* a Domino nostro Iesu Christo ... claves regni accepit ... qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet ». Denzinger, n. 112.

Patres Concilii perfecte consonant: « *Coacti* per sacros canones et epistolam *Caelestini* Romanae Ecclesiae episcopi ad hanc contra eum (*Nestorium*) sententiam necessario devenimus ».

Concilium Chalcedonense nova probationis elementa dabit. Ubi rursus multiplicis testimonii confluentia debet considerari:

Leo papa cum primis doctrinam a Patribus in concilio tenendam clare imponit: « Unde, fratres charissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, *nec liceat defendi, quod non licet credi*, cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime *per litteras quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus fuerit declaratum* quae sit

de sacramento Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi pia et sincera confessio ». ML. 54, 937.

Legati pontificii vindicant auctoritatem tomi Leonis in sessione quinta Concilii: « Si non consentiunt epistulae apostolici et beatissimi viri papae Leonis, iubete nobis rescripta dari ut revertamur et ibi (in Italia) synodus celebretur ». Mansi, VII, 102.

Marcianus imperator a Leone confirmationem concilii petit: « Tua pietas litteras mittere dignabitur per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta synodo peracta a tua beatitudine rata haberi ... Quam ob rem tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat, quo confirmare ipsam Chalcedonensem synodum manifestissime ostendat, ut ii qui exoptant impia diverticula nullam habere possint suspicionem de iudicio tuae sanctitatis ». ML. 54, 1019.

Patres Concilii, postquam lecta est epistula dogmatica Leonis papae, omnes (exceptis 13 asseclis Dioscori) dixerunt: « Omnes ita credimus; orthodoxi ita credunt; anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est ».

Concilium Constantinopolitanum III eandem fidem proficitur et praedicat. Agatho papa in suis ad imperatorem Constantinum Pogonatum litteris dogmaticis, postquam dogma catholicum egregie exposuit, sic scribit: « Petri annitente praesidio haec apostolica sedes numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexit; cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Ecclesia et universales synodi doctrinam amplexae ... quae (sedes) ab exordio fidei christianae illibata fine tenus permanet secundum ipsius Domini pollicitationem: Petre, inquit, ecce Satan expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua ». Tria hic clare asseruntur: 1° Sedes romana numquam a via veritatis deflexit, sed semper ab exordio fidei christianae illibata permansit. 2° Haec immunitas ab errore causam habet efficacem Christi orationem pro firmanda fide Petri eiusque successoris Romani Pontificis. 3° Hanc sedis romanae praerogativam semper agnoverunt tum ecclesiae orthodoxae omnes, tum ipsae synodi universales. Concilium porro Constantinopolitanum III hanc Agathonis epistolam approbavit.

Concilium Constantinopolitanum IV acceptavit magnifi-

cam Hormisdæ formulam supra a nobis commemoratam et illustratam eique subscripsit. Hadrianus II papa suis legatis iniunxerat ne quem ad Concilium admittèrent, nisi antea hanc Hormisdæ formulam, propria subscriptione confirmatam ipsis offerrent. Alibi retulimus nonnullas huius acceptationis conciliaris circumstantias. Cf. v. I, p. 374.

Concilium Lugdunense II approbavit fidem quam et Graeci confessi sunt: « Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum supra universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, *suo debent iudicio definiri* ». Denzinger, n. 466. Habes hic doctrinam Gallicanam bifariam reprobata: Profecto a) Romanus dicitur habere non potiores tantum partes in quaestionibus fidei, sed plenitudinem potestatis. b) Supremum Ecclesiae tribunal in controversiis fidei secundum doctrinam Concilii non est Concilium oecumenicum, sed Romanus Pontifex.

Concilii Florentini egregia est fides, cui latini et graeci subscripserunt: « Item definimus Romanum Pontificem ... omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Iesu Christo *plenam potestatem* traditam esse ». Denzinger, n. 694. Duo similiter notanda hic quoque recurrunt. Primo quidem *plenitudo* potestatis pontificiae, et consequenter personalis Papae infallibilitas, cum ibi sit subiectum activae infallibilitatis, etiam secundum principia Gallicana, ubi est subiectum plenitudinis potestatis ecclesiasticae. Accedit quod Romanus Pontifex asseratur *omnium* christianorum Doctor, hinc etiam omnium episcoporum. Talis porro Doctor in Ecclesia infallibili nequit esse fallibilis.

Concilium Tridentinum agnoscit « Sanctam catholicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram ». Denzinger, n. 999.

Concilium Vaticanum demum traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo solemniter definit: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum

omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque huiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse ». Denzinger, n. 1839.

Traditio Patristica consideranda demum manet.

Irenaeus praeprimis infallibilitati pontificiae praeclarum testimonium perhibet in suo opere adversus haereses l. 3, c. 3. Quem locum alias illustravimus. Cf. v. I, p. 295 sq. Duplex est, secundum Irenaeum, via securam ad traditionem apostolicam, in toto mundo manifestatam, certo cognoscendam: prima prolixior investigat fidem omnium ecclesiarum apostolicarum; altera brevior quaerit fidem romanam. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris eius principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles. Hinc *a*) Ecclesia romana se sola tanta pollet auctoritate doctrinali quanta pollet consensus omnium ecclesiarum apostolicarum. Atqui consentiens ecclesiarum apostolicarum auctoritas doctrinalis est certe infallibilis pro Irenaeo. Ergo ... *b*) Secundum Irenaeum, cognita fide Ecclesiae romanae, eo ipso cognoscitur fides orthodoxa totius reliquae Ecclesiae. Atqui id fieri non posset si Ecclesiam romanam errare contingeret. *c*) Teste Irenaeo omnis ecclesia, hoc est, ii qui sunt undique fideles debent necessario consentire cum ecclesia Romana; sed hoc aperte supponit infallibilitatem huius ecclesiae, nequit enim dari obligatio (vel etiam logica necessitas) consentiendi cum ecclesia heterodoxa. Verbo: Testimonium Irenaei clare ostendit ecclesiam romanam propter potentioris eius principalitatem esse pro eo *centrum orthodoxiae* oecumenicae necessario adeundum. Atqui non posset ecclesia romana esse tale centrum si non foret vera infallibilitate praeditum. Ergo ...

Dices: Ex testimonio Irenaei deducitur *ecclesiam* romanam esse infallibilem; nequit ergo hoc testimonium invocari ad demonstrandam infallibilitatem *episcopi* romani. *Resp.* Ne-

gatur prorsus assertum: constans est Irenaei doctrina docentis organon seu subiectum magisterii ecclesiastici esse non plebem christianam, sed apostolos primum, deinceps episcopos quibus illi locum sui magisterii tradiderunt. In hoc ipso testimonio, unde argumentamur, recurrit successio episcoporum romanorum inde a Petro usque ad Eleutherum, de qua demum assertitur: « Hac ordinatione et successione ea quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos ».

Cyprianus laudat fidem romanorum, « ad quos *perfidia habere non potest accessum* ». Hoc testimonium saepe allegari consuevit in favorem infallibilitatis pontificiae; at de eius efficacia merito dubitaveris: tutius ergo erit ab eo super sedere.

Tertullianus (adversus Praxeam) episcopum romanum tamquam *arbitrum communionis et orthodoxiae oecumenicae* agnoscit. Cf. v. I, p. 312.

Episcopi Aegyptiani heterodoxiam proprii superioris, Dionysii Alexandrini suspicati, rem totam examinandam ad episcopum romanum deferunt. Unde et ipsi videntur persuasi de sede et episcopo romano vero arbitro et centro orthodoxiae oecumenicae. Cf. v. I, p. 344.

Optatus Milevitanus fidenter scribit contra Parmenianum Donatistam: « Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram esse collatam ... *in qua unitas ab omnibus servaretur* » (de Schismate Donati). Ubi rursus exhibetur cathedra romana tamquam centrum et radix unitatis catholicae.

Hieronymus in eadem sententia abundat scribens ad Damasum papam: « Ideo mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. *Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hereditas* Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae i. e. cathedrae Petri consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est ... qui tecum non colligit, spargit ».

Augustini nota est et saepius iterata sententia scribentis de causa Pelagiana: « De hac causa duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt, *causa finita est; utinam aliquando finiatur et error* » (Sermo 130). Eandem fidem manifestat alibi (contra duas epistulas Pelagii):

« De hac re litteris beatae memoriae papae Innocentii *dubitatio tota sublata est* ».

Ambrosii quoque pervulgata est sententia: « Ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna ... Fides est Ecclesiae fundamentum. Non enim de carne Petri, sed fide (Petri) dictum est quia portae inferni ei non praevallebunt, sed confessio vincit infernum ». Vides quare ibi est Ecclesia et vita aeterna, ubi Petrus; quia Petrus, etsi in carne fuerit mortalis, attamen confessione et praedicatione manet in suis successoribus inviolabilis fidei petra.

Epiphanius perfecte concordat scribens: « Omnibus modis *in eo stabilita est fides*, qui caeli clavem accepit, et in terra ligat et in caelo. In eo siquidem subtiliores quaelibet fidei quaestiones reperiuntur ». (Ancor. 9).

Prosper Aquitanus similia tradit scribens (contr. Collator. 21): « Non ergo cum istis (semipelagianis) nova acie dimicandum est ... Tunc istorum machinae fractae sunt ... quando beatae memoriae Innocentius nefandi erroris caput apostolico mucrone percussit ».

Petrus Chrysologus ad Eutichen Constantinopolitanum scribit: « In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quae a beatissimo papa romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, *praestat quaerentibus fidei veritatem*. Nos enim pro studio pacis et fidei *extra consensum romanae civitatis episcopi causas fidei audire non possumus* ».

Hilarius eandem sententiam profert scribens (De Trin. VI, 38): « Sit sane fides alia (i. e. contraria Petri fidei), si aliae claves regni caelorum sunt, sit fides alia, si alia ecclesia est futura, adversus quam portae inferi non praevallebunt; sit fides alia, si erit alius apostolus, ligata et soluta per se ligans in caelo et solvens ». Atqui — subintelligitur — nequit esse alius apostolatus, nec alia ecclesia, nec aliae claves esse possunt, quam apostolatus, ecclesia et claves Petri. Ergo fides praedicata a Petro eiusque successoribus debet esse infallibiliter vera.

Cyrillus Alexandrinus, primae sedis Orientalis patriarcha, illustre testimonium perhibet de episcopo romano orthodoxiae oecumenicae centro et arbitro. Etsi enim plene esset convictus de heterodoxia Nestorii patriarchae Constantinopo-

litani, eum tamen excommunicare non audet antequam a papa Caelestino edoceatur. En eius verba in sua ad Caelestinum epistula: « Ab illius [Nestorii] tamen communione palam et aperte nosmetipsos non prius divellimus, quam haec pietati tuae indicaverimus. Digneris igitur nobis declarare quid tibi videatur, et utrum cum illo communicare oporteat, an libere denunciare neminem cum eo, qui talia sentit et docet, communicare. Opus est autem ut tuae pietatis super hac re sententia tum piissimis Deique amantissimis Macedoniae episcopis, tum omnibus Orientis episcopis per litteras manifesta fiat ». MG 77, 84. Cyrillus porro aperte declarat se, in hoc negotio explorandae prius fidei romanae, veterem sequi consuetudinem: « Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et longa ecclesiarum consuetudo suadet ut huiusmodi res cum sanctitate tua communicentur scribo plane necessitate adactus ». Col. 79.

Ioannes episcopus *Hierosolymitanus* praeclarum infallibilitatis pontificiae testimonium perhibet scribens ad Abbatem albanorum catholicum: « Nos tamen, sancta sc. ecclesia, dominicam habemus vocem, quae dixit Petro, apostolorum capiti, dans ei primatum fidei firmitatis ecclesiarum: Tu es Petrus ... cuius fidem ad hoc usque tempus sequentes discipuli eius et doctores catholicae Ecclesiae alligant atque solvunt a vinculo agentes paenitentiam, in principiis vero sanctae et primae et venerabilis Sedis eius successores *sani in fide, infallibiles* secundum dominicam vocem ». Cf. Ztschrft. f. kath. Theol. 1910, p. 219.

Maximus Confessor non minus splendide loquitur de ecclesia romana eiusque illibata fide: « Omnes orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis *in sanctissimam romanam ecclesiam eiusque confessionem ac fidem* recta intortis oculis *respiciunt*, ex ipsa effulgurans iubar patrum doctrinae sanctorumque, prout sincere omnique pietate numine afflatae atque divinae sanctae sex synodi exposuere, explicatissimae fidei symbolum edentes. Ab initio enim, quando ad nos Dei verbum assumpta carne descendit, *unicam firmam basim ac fundamentum* omnes ubique christianorum ecclesiae, quae ibi (Romae) est, *maximam nacti sunt habentque ecclesiam*, ut in quam iuxta Salvatoris promissionem portae inferi haud-

quaquam praevaluerint, sed quae *rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat*, hisque, qui cum pietate accedant, quae vere natura est solamque pietatem aperiat; claudat vero atque obstruat omne os haeticorum iniustitiam loquens in excelso ». Opp. II, 72 edit. Combefisii.

Episcopi africani in epistula ad Theodorum papam (Mansi X, 920) fidem suam haud obscure produunt: « Antiquis enim regulis sancitum est ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, *non prius tractandum vel accipiendum* sit nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut *huius auctoritate iusta* quae fuerit *pronuntiatio firmaretur*; indeque sumerent ceterae ecclesiae veluti de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius orbis regiones puritatis incorruptae maneat fidei sacramenta ».

Sergius episcopus *Cypriensis* egregie loquitur de romanae ecclesiae auctoritate doctrinali in sua ad eundem papam epistula (Mansi X, 914): Firmamentum a Deo fixum et immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram apostolicam sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim divinum veraciter pronuntiat Verbum, Petrus, et super fundamentum tuum ecclesiae columnae confirmatae sunt; tibi et claves caelorum commisit, atque ligare et solvere potestative quae in terra et in caelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haereseon depositor existis, ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei ».

Theodorus studita romanae sedis invictam soliditatem doctrinalem devote canit scribens ad papam Paschalem: « Audi apostolicum caput, a Deo praeposite pastor ovium Christi, ianitor Regni caelorum, *petra fidei*, super quam aedificata est catholica ecclesia: Petrus enim es tu, Petri sedem exornans et gubernans. Lupi graves irruerunt in aulam Domini, portae inferi, ut olim, ruptae sunt in ipsam ... Tibi dixit Christus Deus noster: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis qui es a Deo ad hoc ordinatus ... habes potestatem a Deo, eo quod omnium princeps, in quo et positus es. Terreto, supplicamus, haeticas feras calamo divini verbi tui ». MG. 99, 1151.

Obiectiones solvuntur

1. Si R. Pontifex esset infallibilis, Concilia oecumenica non amplius possent dici necessaria. Atqui Ecclesia semper credidit Concilia oecumenica esse necessaria. Ergo.

Resp. Dist. maior. Admissa infallibilitate pontificia, Concilia oecumenica non sunt *absolute* necessaria, C.; non sunt *summe convenientia*, imo vero aliquo sensu necessaria, N.: Sanè nihil est quod possit definiri infallibiliter a Concilio, et non possit id ipsum definiri a solo Papa; nec aliunde definitio conciliaris addit maius quoddam robur seu pondus intrinsecum definitioni pontificiae. At quum infallibilitas ecclesiastica nullam supponat novam revelationem, sed in assistentia divina demum consistat, definitionem sive pontificiam sive conciliarem praevis inquisitionis labor praeceat necesse est. Labor hic praeliminaris facilius, efficacius, utilius fit a Patribus in Concilio adunatis. Cogita v. gr. sessiones vel ipsius Concilii Vaticani, in quibus Patres congregati illustrabant et corroborabant classica argumenta pro infallibilitate pontificia, contraria argumenta enervabant, audaciam et conatus adversariorum refrenabant ... — Accedit quod multi fideles, falsis praeiudiciis plus minus praeoccupati, facilius recipiunt definitionem totius episcopatus, quam solius Pontificis, ut videre est in hac ipsa quaestione infallibilitatis pontificiae agitata in Concilio Vaticano: — Demum si in definitione attendatur momentum, non iam theologicum et divinum, sed *historicum et mere humanum*, per se patet maius quoddam pondus inesse testimonio universi consentientis episcopatus, quam solius Pontificis.

2. Sed oportet admittere episcopos esse *veros et authenticos iudices* in materiis fidei. Atqui admissa infallibilitate pontificia non apparet quomodo episcopi maneant veri in concilio iudices. Sane iudicis est rem controversam authentice dirimere. At si quaestio tota decisa iam sit infallibiliter a R. Pontifice, nullus remanet locus ulteriori cuidam sive controversiae sive solutioni. Ergo ...

Resp. a) Retorqueo argumentum: Oportet admittere R. Pontificem esse *iudicem supremum* in materiis fidei. Atqui si Concilio seu episcopatu universo conceditur infallibilitas, quae Romano Pontifici denegatur, iam non amplius apparet quomodo R. Pontifex maneat *supremus* iudex. Ergo ...

b) Dist. maior. Oportet admittere episcopos esse *veros iudices subordinatos* R. Pontifici, C.; *coordinatos et independentes* a R. Pontifice, N. Iudicis est rem controversam (apud nonnullos, non praecise apud omnes catholicos) *ad normam iuris* authentice seu potestate publica dirimere. Atqui episcopi etiam in Concilio rem

controversam auctoritate vere iudiciali libere iudicant et dirimunt. Sane si nulla praecessit sententia pontificia, nihil obstat quominus episcopi libere rem totam discutiant et iudicent. Si praecessit sententia Pontificis eaque decretoria, episcopi utpote iudices subordinati, debent stare iudicio Pontificis, illudque confirmare. Essentia actus iudicialis minime requirit, ut sententia proferatur independenter ab omni norma iuridica. Confessarius agit iudicem in tribunali paenitentiae, nihilominus *debet* absolvere paenitentem rite dispositum. Ipsa Concilia oecumenica *debent* confirmare sententiam a priori aliquo Concilio oecumenico forsitan latam. Demum episcopos agere iudices *extra Concilium*, quum suos dioecesanos regunt, eisque vel ipsas normas conciliares applicent et imponunt, per se patet.

3. At Concilia oecumenica non semel in examen vocaverunt decisiones doctrinales pontificias. Atqui id non fecissent, si eas putassent infallibiles. Ergo ...

Resp. a) Retorqueo argumentum: Concilia oecumenica non semel vocarunt in examen decisiones doctrinales aliorum Conciliorum oecumenicorum. Atqui id non fecissent, si eas habuissent ut infallibiles. Ergo ...

b) Dist. maior. Concilia oecumenica vocarunt decisiones pontificias in examen *dubitativum*, N.; *confirmativum* seu approbativum, C. Fieri aliquando potest, ut quaestio aliqua iam decisa et definita auctoritate sive pontificia sive conciliari, apud nonnullos sive desidia obscuretur sive audacia controvertatur; unde exoritur necessitas vel utilitas novae cuiusdam confirmationis ...

4. Sed Paulus vocat columnam et firmamentum veritatis ipsam Ecclesiam (I Tim. 3, 15). Atqui Ecclesia significat non unum tantum vel capitale membrum, sed totum coetum organicum. Ergo infallibilitas immerito tribuitur soli Pontifici.

Resp. Paulus docet Ecclesiam esse infallibilem. Quodnam sit subiectum infallibilitatis activae, Paulus in hoc loco non determinat. Aliunde scimus Ecclesiam universam firmari in fide ab eo potissimum, qui totius Ecclesiae fundamentum visibile ab ipso Christo est constitutus.

5. Sed ex eo quod Petrus eiusque successores sint fundamentum Ecclesiae non videtur sequi infallibilitas R. Pontificis. Ratio quippe fundandi in eo posita esse videtur, quod solus R. P. possit convocare Concilium, eique praesidere. Sane qui est causa causae, est causa causati. Si ergo unus R. Pontifex est causa Concilii, quod vicissim sua infallibilitate sit causa unitatis et firmitatis fidei in Ecclesia, apparet quare ipse recte dicatur fundamentum ultimum totius Ecclesiae.

Resp. Negatur prorsus assertum. Etenim adaequata ratio fun-

dandi minime exhauritur hac una functione convocandi concilium, eique praesidendi, sed ad ea omnia protenditur, quibus Ecclesia universa una demum in fide ac firma consistit. S. R. Pontifex habet potestatem convocandi concilium eique praesidendi, sed caret infallibilitate, qua pollet concilium, ratio fundandi non tam in R. Pontifice, quam in Concilio deberet reponi. Causa causae tunc tantum est causa causati, quum est causa causae formaliter qua talis. Porro si Concilium causat unitatem ecclesiasticam ope infallibilitatis, qua caret ipse R. Pontifex, hic non est causa causae *qua causae*: — Deinde ratio seu functio fundandi exerceri debet non tantum tempore Concilii sed etiam extra Concilium, quin imo ratio fundandi extraconciliaris frequentius recurrit, quum Concilia oecumenica raro celebrentur in Ecclesia. Ergo iterum constat rationi fundandi, quae propria est R. Pontificis, minime satisfieri per solam illam potestatem convocandi concilia: — Demum ipse Christus explicavit rationem fundamenti per supremam ac plenam regendi ac pascendi potestatem. Porro in hac suprema regendi ac pascendi potestate continetur suprema quoque docendi potestas, quae in Ecclesia infallibili nequit esse fallibilis. Hinc est quod Christus specialiter oraverit pro firmanda fide illius qui debet firmare alios cribratos a Satana.

6. At *Honorius* erravit infide in suis litteris ad *Sergium* scribens: « Unde et *unam voluntatem* fatemur Domini Nostri Iesu Christi ». Ergo ...

Resp. a) Honorius docuit unam voluntatem in humanitate Christi excludendo duas voluntates *contrarias*: « Unam voluntatem fatemur Domini N. I. Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, *non culpa*; illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post peccatum vitata ». Humana natura ante peccatum non carebat voluntate propria, nec illam amisit per peccatum. Atqui, teste Honorio, Verbum assumpsit naturam humanam, qualis erat ante peccatum. Ergo Honorius solum excludit voluntatem vitatam seu concupiscentiam rebellem. Sic eum interpretatur Ioannes IV (successor Honorii) in sua epistola ad Constantinum imperatorem: « Omnes occidentales partes scandalizatae turbantur, fratre nostro Pyrrho (Sergii successore) nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici patris erat penitus alienum ... ».

b) Honorius *nullam* in hac materia *definitionem ex cathedra edidit*. « Non oportet ad dogmata haec ecclesiastica retorquere; quae neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, *ut unam vel duas energias* aliquis praesumat Christi Dei praedicare; quas neque evangelicae

vel apostolicae litterae, neque synodalis examinatio super his habita, visae sunt terminasse ... Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, *ad nos ista pertinere non debent*; relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina derivare » (epist. ad Sergium).

7. *Instabis*: Concilium Constantinopolitanum III condemnavit Honorium *ut haeticum*. Ergo hic docuit unam prorsus voluntatem in Christo.

Resp. Dist. antec. Concilium *approbatum a Papa* condemnavit Honorium ut verum haeticum, qui nempe errorem dogmaticum docuerit, N.; ut fautorem haereseos, quatenus errorem monotheliticum *negligendo confoverit*, C.; Leo II, successor Agathonis, in suo ad imperatorem responso dicit de Honorio, quod « hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana prodicione immaculatam *maculari permisit* ». Idem in epistola ad episcopos Hispaniae scribit: « qui (Honorius) flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed *negligendo confovit* ». Utrum vero Patres Concilii in suis litteris ad Agathonem papam vocent Honorium haeticum positivum, an negativum, plene non liquet. Cfr. Wilmers, n. 234.

8. *Bonifacius VIII* in Bulla « Unam Sanctam » definivit Romanum Pontificem habere potestatem *directam* super reges etiam in rebus pure temporalibus. Atqui haec doctrina falsa est. Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Bonifacius hanc doctrinam de potestate *directa definivit ex cathedra*, N.; *docuit*, peto probat. Distinguas accurate inter ea quae Pontifex docet ac proprie definit. Definitionis obiectum clare exhibet ultima clausula: « Porro subesse Romano Pontifici omni creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus esse de necessitate salutis » (DB. n. 469): — Utrum doceat necne doctrinam de potestate *directa* in rebus temporalibus, non clare apparet ex verbis Bullae: Verba Bonifacii: « Nam veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem *instituere habet*, et iudicare, si bona non fuerit ... » admittunt sanam interpretationem. Verbum *instituere* potest habere sensum *instruendi, docendi* ...: Quidquid sit de hac re, habemus declarationem ab ipso Bonifacio factam in Consistorio hac de re habito: « Quadraginta anni sunt, quod sumus experti in iure, et scimus quod duae sunt potestates ordinatae a Deo; quis ergo debet credere vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro? Dicimus, quod in nullo voluimus usurpare iurisdictionem regis; et sic frater noster Portuensis dixit. Non potest negare rex seu quicum-

que alter fidelis, quin sit nobis subiectus *ratione peccati* ». Cf. DB. n. 468 in nota.

9. Saltem *Liberius papa* deviauit a recta fide suscribens formulæ Syrmienti haereticæ. Ergo ...

Resp. Dist. antec. *Liberius definivit* ex cathedra aliquam ormulam haereticam, N.; *subscripsit* alicui formulæ haereticæ, peto probat. Triplex datur formula Syrmientis: Prior edita est anno 351, altera a. 357, tertia demum a. 358. Porro dubium est utrum *Liberius* alicui formulæ Syrmienti subscripserit; quod si alicui subscripserit, disputatur utrum nomen suum dederit formulæ secundæ, quæ haeretica est, an tertiæ, quæ sensum catholicum admittit. Sunt qui *Liberium* ab omni lapsu defendunt. Alii stant pro formula tertia. Alii demum adhaerent formulæ secundæ. Quaestio tota complicatio est, quam ut hic possit breviter expediri. Recurret de his sermo in Historia ecclesiastica. Sufficiat notasse: a) *Liberium* ante et post exilium fidem Nicaenam strenue defendisse; b) si formulæ Syrmienti secundæ subscripserit, id fecisse victum ac fractum post biennium in exilio transactum. Audiatur *Athanasius*, cuius auctoritate utuntur fautores formulæ secundæ: « Quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita » (*Arian. hist. ad monach.*, 42); c) Tandem certissime constat *Liberium* nullam in hac re definitionem ex cathedra edidisse.

10. At thesi obstare videtur *canon Vincentii Lirinensis* in Commonitorio, cap. 2: « In ipsa item ecclesia catholica magnopere curandum est ut id teneamus, quod *ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est* ». Atqui infallibilitas pontificia non est ubique, semper et ab omnibus credita. Ergo ...

Resp. a) Sunt qui tenent canonem Lirinensem esse quidem *assertivum*, at non *exclusivum*. Unde dari posset aliqua veritas revelata et tenenda quæ non sit credita ubique, semper et ab omnibus. Sic *Franzelin, de Traditione* (1882), pag. 285, quem multi alii sequuntur.

b) Praeferenda omnino videtur sententia contraria, quæ sensum canonis *exclusivum* tuetur. Nec verum est, admissio hoc sensu exclusivo, oriri ex doctrina V. Lirinensis gravem aliquam difficultatem contra infallibilitatem pontificiam: Tria criteria veritatis reversitas actualis, quod semper (antiquitas), quod ab omnibus (reversitas actualis), quodsemper (antiquitas), quod ab omnibus (consensus). In omni ergo veritate revelata et tenenda reperientur *vel* haec tria simul, *vel* saltem unum ex his tribus. *Universalitas actualis* deesse aliquando potest. At numquam deficiet antiquitas prout manifestatur in consensu frequenti et perseveranti magistrorum seu doctorum probabiliū: « Quid igitur tunc faciet christianus catho-

licus, si se aliqua ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? Quid utique nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat. Quid si novella aliqua haeresis non iam partiunculam tantum, sed totam pariter ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhaereat, quae prorsus iam non potest ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum vel certe civitatis unius aut etiam provinciae alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit ut paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt universaliter antiquitus universalis Ecclesiae decreta praeponat. Quid si tale aliquid emergat, ut nihil huiusmodi reperiatur? Tunc operam dabit ut collectas inter se maiorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat qui diversis licet temporibus et locis in unius tamen ecclesiae catholicae fide perseverantes, magistri probabiles extiterunt, et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter sensisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quisque intelligat absque ulla dubitatione credendum » *Commonit.* c. 3: Vides, universitatem actualement iuxta Vincentium deesse posse. Quin imo ipsa antiquitas paucorum vel alicuius civitatis aut provinciae errore obscurari potest. Remanet ergo quaerenda consensio in antiquitate; quae ultima nota nullatenus abesse poterit.

c) Infallibilitas vero pontificia non modo non negatur a Vincentio Lirinensi, sed haud obscure affirmatur in cap. 6° commonitorii: « Neque hoc sane novum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut, quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contraheret. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, et hoc ab apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorum beata successio *quanta vi semper*, quanto studio, quanta contentione *defenderit susceptae semel religionis integritatem* ... Cum ergo undique ad novitatem rei (erroris rebaptizantium) cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatae memoriae Stephanus, apostolicae sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen praeceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum *loci auctoritate superabat*. Denique in epistola quae tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: nihil novandum nisi quod traditum est ... Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas ».

Ex quibus constat admitti a V. Lirinensi in sede Apostolica seu R. Episcopo potentiolem quandam principalitatem eique inhaerens singulare fidei tuendae studium. Nihil ergo mirum, si Ro-

mana sedes prae ceteris semper defenderit integritatem religionis christianae: cuius rei luculentum exemplum videre est in quaestione rebaptizantium. Cui Stephanus finem imposuit edito decreto peremptorio, quo retenta est antiquitas, explosa novitas. Ipso igitur canone Lirinensi undique constringimur credere et confiteri infallibilitatem pontificiam, cui suffragantur omnia criteria a Vincentio L. statuta: Talis quippe veritas est nunc *ab omnibus* credita, fuit olim *concilii universalis auctoritate decreta*, in *consensione* demum *antiquitatis* retenta. Cfr. I. MADDOZ in *Gregorianum*, vol. XI, fasc. II, pag. 171 sq.

THESIS XIX

Infalibilitas magisterii ecclesiastici protenditur ad omnem doctrinam de fide et moribus sive formaliter sive virtualiter revelatam necnon ad facta dogmatica.

Declaravimus magisterii ecclesiastici divinam institutionem, infallibilitatem, organon seu subiectum, variamque formam sub qua exerceri illud solet. Remanet determinandum *obiectum* huius magisterii authentici et infallibilis.

Obiectum magisterii ecclesiastici generatim dici solet id omne quod ecclesiastica docendi potestas authentice et infallibiliter statuere potest. Duplex distinguitur: unum *primarium* seu directum, alterum *secundarium* seu indirectum.

Obiectum primarium est illud omne quod *ratione sui* pertinet ad magisterium ecclesiasticum: sunt nempe veritates *formaliter* revelatae propter se, quae propter momentum sive religiosum sive soteriologicum sibi insitum traditae sunt custodiae et explicationi magisterii ecclesiastici; haec dicuntur termino iam tecnico *res fidei vel morum*, quibus constituitur sacrum revelationis depositum stricte tale.

Obiectum secundarium dicitur illud quod pertinet ad magisterium ecclesiasticum non *ratione sui*, sed *ratione connexionis* cum obiecto primario. Haec porro *connexio* multiplex potest esse; hinc divisio theseos in tres partes. Prima pars sta-

tuit et explicat infallibilitatem magisterii ecclesiastici in suo obiecto primario seu in veritatibus sacris formaliter revelatis. Secunda pars statuit infallibilitatem magisterii ecclesiastici in suo obiecto secundario: primo quidem in his veritatibus virtualiter revelatis quae cum formaliter revelatis cohaerent connexionem logicam, necessariam, *consecutivam*: hae vocantur conclusiones theologicae; deinde in his veritatibus quae cum deposito revelationis cohaerent connexionem *praesuppositivam*: hae dicuntur praeambula fidei. Tertia pars ostendit infallibilitatem magisterii ecclesiastici in sic dictis factis dogmaticis, quae cum deposito fidei cohaerent connexionem externam, historicam, contingenti.

I

De revelatis formaliter

Primo loco declaranda et demonstranda venit infallibilitas magisterii ecclesiastici in suo obiecto primario, quod constituitur veritatibus sacris formaliter revelatis.

Revelatio est locutio Dei attestans. Locutio est actus quo quis alteri mentem suam seu iudicia sua *directe* manifestat. Locutio attestans est ubi loquens mentem suam alteri manifestat non per modum demonstrationis, sed per modum *attestationis*, in qua obiectum seu veritas proponitur ut a loquente cognita et asserta, ideoque acceptanda non propter additam demonstrationem, sed propter agnitam loquentis auctoritatem, cui obsequiosa debeat fides.

Formaliter revelata dicuntur ea quae loquens attestatur *vi significationis* terminorum quibus loquens utitur secundum intentionem loquentis hic et nunc manifestam. Videlicet: quicumque loquitur (inter homines), utitur signis quibusdam sive oralibus, sive scriptis. Haec signa habent ex conventionem hominum definitam quandam et determinatam significationem. Porro id omne et id solum quod voces adhibitae significant secundum manifestam loquentis intentionem dicitur revelatum in seipso seu formaliter. — Revelatum formale est duplex:

unum explicitum, alterum implicitum. Explicite revelata sunt illa quae totidem verbis a Deo manifestantur: talia sunt haec quae scribit Ioannes in suo evangelio 1, 14: Verbum caro factum est. Incarnatio ergo Verbi, quocumque demum sensu facta intelligatur, est formaliter explicite revelata. — Implicitate revelata dicuntur ea quae sunt a Deo manifestata *quoad ipsum conceptum*, licet aliis verbis seu formulis expressum. Sic in exemplo allato implicitate revelatum est Verbum factum esse *hominem*; nam vox *caro* a s. scriptore adhibita evidenter significat hominem.

In tractatu de Fide explicari solet quot modis unum possit esse formaliter implicatum in alio. En praecipuos: *a)* Si fontes revelationis exhibent definitum, eo ipso continent formaliter implicite definitionem, et vice versa — *b)* Si fontes revelationis exhibent unum relativum, eo ipso continent formaliter aliud correlativum: si est formaliter revelatum Christum esse filium Mariae, eo ipso manet revelatum formaliter Mariam esse matrem Christi — *c)* Si fontes revelationis exhibent totum physicum, eo ipso continent partes substantiales essentielles et integrales compositi: si revelatum est Christum esse hominem, eo ipso manet revelatum eum habere corpus et animam rationalem. Si ex revelatione constat totum illud physicum versari in suo statu connaturali, eo ipso constat ex eadem revelatione adesse in eo partes quoque accidentales. Si revelatum est Christum esse hominem perfectum, eo ipso revelatum est eum habere voluntatem humanam, esse pacem tristitiae ... *d)* Si fontes revelationis exhibent totum aliquod logicum seu universale, eo ipso continent omnia individua particularia sub eo contenta. Si Deus revelavit per Paulum omnes homines peccasse in Adamo, eo ipso revelavit peccatum recens natum versari in peccato originali — *e)* Si Deus revelat duas praemissas, eo ipso revelat conclusionem. Si Deus ex una parte revelavit unum esse Deum, et ex alia parte revelavit quoque Patrem et Filium seu Verbum esse Deum, eo ipso formaliter revelavit Verbum esse *consubstantiale* Patri.

Porro contendimus infallibilitatem ecclesiasticam se protrudere, tamquam ad obiectum primum, ad omnem doctrinam de fide vel moribus formaliter revelatam sive explicite sive implicite, hinc ad condemnandam omnem doctrinam immediate oppositam deposito revelationis.

Probatur thesis

Doctrinam sacram formaliter revelatam esse obiectum infallibilitatis ecclesiasticae et quidem primum est purum consecrarium thesium praecedentium, nec indiget nova probatione. Superius enim ostendimus hoc magisterium esse infallibile. Atqui non est infallibile in his quae non sunt revelata; ergo est infallibile in rebus revelatis. At nemini veniet in mentem admittere Ecclesiam esse infallibilem in veritatibus virtualiter revelatis, et negare infallibilitatem ecclesiasticam in formaliter revelatis. Ipse Christus clare assignat obiectum ad cuius praedicationem promittitur divinae assistentiae auxilium: est nempe *evangelium* omni creaturae praedicandum (Mc. 16, 15). Atqui evangelium seu bonum nuntium salutis messianae constat veritatibus sacris a Deo revelatis. Similiter apud Mt. 28, 20 praecones evangelici debent docere servare quaecumque Christus mandavit, hinc revelavit. Evidens est ergo obiectum primum infallibilitatis ecclesiasticae constitui ipso sacro revelationis deposito seu quod idem est omnibus et solis veritatibus sacris formaliter revelatis. — Id ipsum docetur a Concilio Vaticano cum definit Romanum Pontificem loquentem ex cathedra doctrinam *de fide vel moribus* ab universa Ecclesia tenendam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda *doctrina de fide vel moribus* instructam esse voluit.

Doctrinam sacram revelatam *omnem* pertinere ad infallibilitatem ecclesiasticam non minus clare constat ex argumentis ibidem allatis: Profecto *a*) Ex mandato Christi (Mc. 16, 15; Mt. 28, 18 sq.) apostoli eorumque successores debent praedicare integrum evangelium, debent docere *omnia* quaecumque Christus mandavit illis: *b*) Apud Ioannem (16, 13) Spiritus veritatis deducet praecones evangelicos in *omnem veritatem*: *c*) Tandem inutilis esset potestas infallibilis ad aliqua tantum revelata se protendens, nisi praesto adesset norma aliqua indubitata ad discernendum quatenam sint illa quae sub infallibilitate cadunt: talis porro norma nusquam invenitur.

Functio magisterii ecclesiastici relate ad hoc obiectum pri-

mariam seu ad ipsum sacrum revelationis depositum est triplex: custodire, explicare, tueri. Singula videamus:

a) *Custodire depositum*: i. e. conservare illud integrum, inalteratum, illibatum. Unde tria consequuntur: 1° Nequit Ecclesia tradere ut revelatum id quod non est revelatum; secus periret puritas depositi — 2° Nequit Ecclesia deperdere aut perenni oblivioni tradere veritatem ullam dogmaticam, vel textum ullum biblicum dogmaticum; secus periret integritas depositi. — 3° Nulla est difficultas in eo quod Ecclesia deperdat vel amittat aliquem textum biblicum non dogmaticum, id quod ipsa rerum experientia confirmare videtur, cum divina providentia permiserit aliquos textus biblicos non dogmaticos ita corrumpi, obscurari, alterari, ut impossibile fere videatur eosdem in primitivam puritatem restituere.

b) *Explicare depositum*: i. e. suppeditare fidelibus rectam intelligentiam dogmatis. Unde quatuor consequuntur: 1° Nequit Ecclesia pervertere aut corrumpere verum sensum veritatis ullius dogmaticae; secus periret puritas depositi. — 2° Nequit magisterium ecclesiasticum errare in delimitandis rebus fidei vel morum, secus perire possent sive puritas sive integritas depositi. — 3° Nequit magisterium Ecclesiae errare in determinandis limitibus suae propriae infallibilitatis, aliis verbis: debet Ecclesia scire infallibiliter quousque se protendat sua propria infallibilitas, idque duplici de causa: primo quidem quia infallibilitas ecclesiastica est dogma revelatum, et quaestio de limitibus huius infallibilitatis est quaestio de *sensu* dogmatis; accedit quod Ecclesia, si utcumque contingeret eam errare in determinandis praefatis limitibus, posset proponere et imponere fidelibus aliquid ut pertinens ad res fidei vel morum, quod reapse non est tale, unde necessario periret puritas atque integritas ipsius depositi. — 4° Potest magisterium ecclesiasticum infallibiliter iudicare de aptitudine signorum vel formularum quibus ipsa utitur in proponendis populo christiano veritatibus revelatis. Cogita sacras et iam technicas voces « consubstantiale »-« transsubstantiatio » aliasque id genus ab Ecclesia selectas et adhibitae ad explicanda mysteria christiana. Ratio in eo est, quod charisma infallibilitatis implicat assistentiam divinam ad recte intelligendum *et proponendum* dogma revelatum: nequit porro dogma recte proponi sine signis aut vocibus apte selectis.

c) *Tueri depositum*: i. e. infallibiliter condemnare vel reprobare doctrinas immediate oppositas veritatibus formaliter revelatis: aliis verbis, magisterium ecclesiasticum est infallibile in proscribendis nonnullis doctrinis *ut haereticis*.

Applicatio ad Fontes revelationis. Ex praeiacta doctrina haud est difficile determinare limites infallibilitatis ecclesiasticae in campo sive biblico sive extra biblico seu traditionis.

Scripturam quod attinet, Ecclesia est infallibilis: 1° in determinando *canone Scripturarum*; secus non posset magisterium ecclesiasticum integrum et illibatum custodire sacrum revelationis depositum — 2° in determinanda *extensione inspirationis* biblicae, ratio eadem est; etenim si posset Ecclesia in hac parte errare sive per excessum sive per defectum, recurreret indeclinabiliter idem vitium sacri depositi sive alterati sive deformati — 3° in interpretando vero sensu cuiuslibet textus dogmatici. Quae ut intelligas, adverte quemlibet textum biblicum, supposita utique universali extensione inspirationis, continere materiam *fide credendam*. Sed spectato *fine* principali aut secundario quem Deus intendit in scribendis libris sacris, distinguunt theologi duplex genus sententiarum: alia sunt inspirata *propter se* i. e. propter momentum sive religiosum sive soteriologicum sibi intrinsicum, alia sunt inspirata propter aliud, i. e. propter connexionem externam cum illis prioribus. Textus priores vocantur religiosi seu dogmatici; alii vocantur profani, pure historici, chronologici etc. Iamvero Ecclesia est certe infallibilis in interpretandis textibus biblicis dogmaticis; infallibilitas circa alios textus non dogmaticos certo non constat: agitur de interpretatione positiva; etenim potest Ecclesia infallibiliter excludere illos sensus falsos, ex quibus necessario sequeretur negatio inspirationis aut inerrantiae biblicae. — 4° Ecclesia est infallibilis in determinando *genere litterario* alicuius libri inspirati eatenus saltem, quatenus exinde pendet sive veritas sive recta intelligentia verbi revelati. Haud abs re erit notare characterem dogmaticum alicuius textus biblici esse determinandum habito prae oculis sensu tum litterali, tum typico. Possunt esse textus, qui spectato sensu litterali possint videri pure profani, qui tamen ratione sensus typici facile exorbitant omnem limitem profa-

num, et induunt characterem sacrum et dogmaticum. Cogita historiam populi Israelitici in antiquo foedere, ubi multa ei contingebant in figura, sunt autem scripta propter nos, in quos saeculi fines devenerunt.

Traditionem quod attinet, qui est alter revelationis fons, similiter est ratiocinandum: Primo quidem Ecclesia est dicenda infallibilis in *statuendo canone traditionis*, i. e. in determinandis documentis et monumentis illis, in quibus traditum Dei verbum continetur. Ecclesia dein dicenda est infallibilis in *interpretando sensu genuino* horum documentorum. Ratio horum omnium semper est eadem: quia nequit magisterium Ecclesiae sine his custodire, explicare et tueri integrum atque illibatum sacrum revelationis depositum sibi a Domino concreditum. Et haec quidem sint dicta de primario seu directo infallibilitatis obiecto: quo recte stabilito, veniendum iam est ad secundarium ipsius obiectum.

II

De revelatis virtualiter

Principio iuvabit notare non eandem prorsus esse apud omnes Doctores notionem revelati virtualis: qui diversa etiam nomenclatura utuntur. Nos cum communiori sententia rem sic concipimus,

Virtualiter revelata dicuntur ea, quae licet *in se ipsis* seu formaliter revelata non sint, attamen deducuntur logice ex formaliter revelatis ope ratiocinii vere *deductivi*, quod sedulo distinguas a ratiocinio mere *expositorio*, ubi nonnisi externa deductionis species habetur. Rem sub oculis exhibebit sequens tripartita divisio: potest enim distinguui:

a) Ratiocinium mere expository, in quo conclusio exhibet *novam formulam* eiusdem conceptus. Sit exemplo sequens syllogismus: Christus est homo. Atqui homo essentialiter constat corpore et anima rationali. Ergo Christus habuit verum corpus et veram animam rationalem. Ubi conclusio

exhibet novam formulam (corpus et anima) eiusdem conceptus (homo): Si supponimus maiorem formaliter revelatam, sicuti reapse est, debes admittere conclusionem quoque esse formaliter implicite revelatam.

b) Ratiocinium vere deductivum in quo conclusio exhibet *novum conceptum* eiusdem realitatis. Sit exemplo syllogismus: Deus est ens a se. Atqui ens a se vere infinitum. Ergo Deus est undequaque infinitus. Ubi conclusio exhibet novum conceptum eiusdem realitatis: novum, inquam, conceptum; quia conceptus infinitatis formaliter differt a conceptu aseitatis. Porro agitur de novo conceptu *eiusdem realitatis*. Deus quippe non constituitur duplici realitate quarum una sit aseitas, alia vero infinitas: una eademque realitas divina et est a se et est infinita; hinc qui videt ens a se intuitive; videt necessario illud ut infinitum. Ad maiorem rei evidentiam, sit alius syllogismus: anima humana est spiritualis. Atqui substantia spiritualis est natura sua immortalis. Ergo anima humana est natura sua immortalis, carens nempe omni corruptionis principio sive proprio, sive improprio. Vides conclusionem in hoc quoque syllogismo exhibere novum conceptum (immortalitas) eiusdem realitatis (anima humana). Si in his exemplis supponis formaliter revelatam propositionem maiorem (aseitas divina — spiritualitas animica), habes conclusionem *virtualiter* revelatam, quippe quae logica et metaphysica necessitate deducitur ex veritate formaliter a Deo revelata.

c) Ratiocinium item deductivum in quo conclusio exhibet *novam realitatem*. En exemplum: In S. Eucharistiae sacramento continetur realiter verum Christi corpus. Atqui omne verum corpus habet quantitatem. Ergo in S. Eucharistiae sacramento adest praesens Corpus Christi cum sua quantitate. Ubi in conclusione habetur non tantum novus conceptus, sed nova quoque realitas physica (non metaphysica) connexione devincta cum propositione revelata maiori. Vides iam quid veniat nomine virtualis revelati seu conclusionis theologicae in nostra conceptione et nomenclatura: id nempe omne, quod logica et metaphysica necessitate deducitur ex una praemissa formaliter a Deo revelata, et alia naturaliter certa. Porro contendimus:

a) Infallibilitatem ecclesiasticam iure protendi ad has veritates virtualiter revelatas seu ad conclusiones theologicas.

Infallibilitatem, ut par est, eodem modo extendimus ad damandas doctrinas immediate oppositas his veritatibus virtualiter revelatis, seu quod idem est, mediate oppositas veritatibus formaliter revelatis.

b) Praescindimus a quaestione controversa num infallibilitas ecclesiastica possit protendi ad eas quoque conclusiones, in quibus *nova realitas* infertur ex revelatis.

c) Nec attingimus in hac thesi quaestionem item controversam num conclusiones theologicae *post infallibilem Ecclesiae definitionem* credi possint *fide divina*, an sint potius tenendae *fide ecclesiastica*.

Thesim proponimus saltem ut *theologica certam*: multis ac gravibus Doctoribus non immerito videtur haec thesis dicenda de fide divina, quippe quae sit vere a Deo revelata. Nondum tamen haec veritas ab Ecclesiae magisterio est definita aut proposita tamquam dogma fidei credendum. Paratus tamen erat in Concilio Vaticano canon sequens: « Si quis Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringit, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendit, quae necessario requiruntur ut depositum revelationis integrum custodiatur, A. S. » Cfr. Coll. Lac. VII, p. 570 et 577.

Probatur thesis

1° Ecclesia est infallibilis in *custodiendo* integro deposito revelationis, ut ostendimus in parte priori. Atqui Ecclesia nequit custodire integrum et illibatum sacrum revelationis depositum sine infallibilitate in virtualiter revelatis. Sane veritas virtualiter revelata habet logicam et metaphysicam connexionem cum dogmate revelato seu cum deposito revelationis, hinc eius positio metaphysica necessitate infert positionem revelati formalis; eius negatio implicat eadem necessitate negationem eiusdem revelati formalis. Ergo si Ecclesia erraret in definiendo revelato virtuali, metaphysica necessitate negaret revelatum formale, ideoque periret integritas depositi revelationis. — Similiter, si Ecclesia erraret in condemnanda doctrina negante revelatum virtuale, metaphysica necessitate negaret revelatum formale, ideoque mutilaret integritatem depositi.

2° Ecclesia est infallibilis in *tuendo* deposito fidei, ut su-

perius demonstravimus. Atqui Ecclesia nequit tueri sacrum depositum sine infallibilitate circa virtualiter revelata. Profecto si Ecclesia errat in proscribenda doctrina immediate opposita revelato virtuali, eo ipso metaphysica necessitate constringitur negare revelatum formale, hinc nequit iam illud loquere tueri. Fingas animo revelatam formaliter aseitatem divinam. Fingas quoque errare Ecclesiam in definienda infinitate divina. Cum haec infinitas sit conserta cum aseitate divina nexu quodam metaphysico, error in proponenda infinitate necessario implicat errorem in proponenda aseitate. Rursus, unio hypostatica Verbi cum humanitate Christi est dogma revelatum et ab Ecclesia definitum. Si Ecclesia posset errare in damnanda doctrina philosophica Güntheriana secundum quam persona est substantia intellectualis sui conscia, eo ipso corrumpet dogma unionis hypostaticae, cum evidens sit in Christo adesse substantiam intellectualem tam humanam quam divinam sui consciam.

3° Ecclesia est infallibilis *in explicando* deposito revelationis seu revelato formali. Atqui nequit Ecclesia depositum revelationis convenienter explicare sine infallibilitate in virtualiter revelatis. Sicut enim philosophus explicat essentiae divinae naturam ope conclusionum quibus exhibentur attributa divinitatis, ut iustitia, misericordia, bonitas .. sic theologus illustrat arcana divinitatis per conclusiones theologicas quibus mirabiles revelationis virtualitates evolvit, dilatat, atque in harmonicam synthesim redigit.

4° Ecclesia scit infallibiliter quousque se protendat sua propria infallibilitas. Atqui Ecclesia sibi tribuit infallibilitatem in definiendis conclusionibus theologis. Profecto Ecclesia sibi tribuit infallibilitatem in his quae peremptorie proponit et imponit ab universa Ecclesia absolute tenenda. Atqui magisterium Ecclesiae non minus absolute ac peremptorie proscribit aliquas doctrinas ut erroneas in fide, quam condemnat alias ut haereticas. Porro sicut doctrina haeretica immediate opponitur doctrinae formaliter revelatae, sic doctrina erronea immediate opponitur veritati virtualiter revelatae. Cf. inter alia Denzinger, n. 661.

5° Quintum et ultimum argumentum desumi potest ex unanimi theologorum consensu. Etenim omnes prorsus theologo, omnes scholae theologicae, pro certo et indubitato habent

infallibilitatem ecclesiasticam se protendere ad conclusiones theologicas quales nos intelligimus et superius descripsimus, id est, ad veritates quae logica et metaphysica necessitate cohaerent cum dogmate revelato. Unice dissentiunt in nota theologica huius veritatis: multi putant hanc veritatem esse revelatam in illis textibus quibus usi sumus ad demonstrandam infallibilitatem magisterii ecclesiastici; alii dubitant de hac divina revelatione ibidem contenta. Iamvero consensus theologorum unanimis et constans, si res dogmatice spectetur, est criterium certum veritatis revelatae vel cum revelatione necessario connexae; si vero philosophice consideratur, signum est quaestionis penitus eliquatae et solutae. Unde intelligitur, quod ait in Concilio Vaticano relator deputationis *Gasser*: « Hinc omnes catholici consentiunt Ecclesiam in huiusmodi veritatum authentica propositione ac definitione esse infallibilem, ita ut hanc infallibilitatem negare gravissimus error esset » (Coll. Lac. VII, 414).

Ex hactenus disputatis liquet Ecclesiam esse infallibilem in proponendis ac definiendis veritatibus quae habent connexionem logicam et consecutivam cum formaliter revelatis. Remanet demonstranda ecclesiastica infallibilitas in his quoque veritatibus, quae habent connexionem *praesuppositivam* cum deposito revelationis. Ea dicuntur cohaerere praesuppositive cum deposito revelationis, quorum veritas certo cognita praesupponi necessario debet, ut depositum revelationis possit tuto custodiri, explicari, defendi. Haec porro connexio potest adesse sive in *factis historicis*, sive in veritatibus speculativis: de prioribus agemus in parte tertia, ubi de factis dogmaticis; nunc de his ultimis breviter est agendum. Huc spectant veritates sic dictae *praeambulae fidei*. Revelatio divina necessario praesupponit certo cognitam Dei existentiam et auctoritatem; item revelationis possibilitatem, discernibilitatem per apta criteria, hinc miraculi et vaticinii possibilitatem et cognoscibilitatem; supponit quoque certo cognitam Christi existentiam et auctoritatem.

Infallibilitas porro ecclesiastica in his veritatibus definiendis demonstrari potest rursus ex duplice capite: primo quidem ex ratione theologica; dein ex ipsa Ecclesia doctrina et praxi:

1° Tantum protenditur infallibilitas magisterii ecclesiastici, quantum requiritur ad sacrum depositum custodiendum, explicandum et tuendum. Atqui Ecclesia non potest sacrum revelationis depositum custodire ac tueri sine infallibilitate in his veritatibus praeambulis. Sicut enim non potest nobis certo constare de existentia revelationis divinae et christianae, si non certo ostendatur existentia et auctoritas sive Dei sive Christi, sic nequit Ecclesia infallibiliter custodire ac tueri depositum revelationis, si non potest infallibiliter definire has veritates revelationis praeambulas.

2° Idem probatur ex ipsa Ecclesiae doctrina et praxi: siquidem Ecclesia novit infallibiliter quousque se protendat sua propria infallibilitas. Atqui Ecclesia extendit suam infallibilitatem ad has quoque veritates praeambulas fidei: sane Ecclesia, ut supra notavimus, sibi tribuit infallibilitatem in his omnibus quae definit et Ecclesiae universae firmiter tenenda imponit. Atqui magisterium ecclesiasticum saepe saepius has praeambulas veritates definivit et omnibus fidelibus absolute tenendas imposuit. Consideres v. gr. ea quae Concilium Vaticanum definivit de possibilitate certo cognoscendi Deum e rebus creatis naturali rationis lumine. Denzinger, n. 1785 et 1806; de convenientia revelationis, Denzinger, n. 1807; de discernibilitate revelationis, Denzinger, n. 1810; de miraculi possibilitate, cognoscibilitate et vi apologetica, Denzinger, n. 1813 etc.

III

De factis dogmaticis

Factum dogmaticum vi nominis significare potest quodlibet factum sacrum divinitus formaliter revelatum et ab Ecclesiae magisterio infallibiliter definitum: talis est miranda Christi nativitas, passio, mors ... Factum dogmaticum, prout hic sumitur, est factum historicum (externum) non revelatum, saltem explicite, attamen cum dogmate ita connexum, ut hoc sine illo nequeat apte custodiri, proponi, applicari. Hinc factum dogmaticum medium tenet locum inter facta sacra explicite revelata, uti resurrectio Christi, et facta profana, quae

nec sunt revelata, nec habent ullam cum dogmate connexionem v. gr. actuale bellum Coreanum.

Connexio alicuius facti cum dogmate potest esse saltem *praesuppositiva*, quatenus veritas eius historica certo cognita necessario praesupponi debet ut aliquod dogma subsistere possit. Exemplo sit legitimitas Concilii Vaticani e qua pendet valor dogmaticus decretorum ab hoc concilio editorum. Dixi « saltem praesuppositiva », quia disputatur num praefata *connexio* logica quoque et consecutiva esse possit. Haec est *notio generalis* facti dogmatici universim sumpti.

Strictiorem tamen sensum, iam vere technicum, haec vox obtinuit a tempore *controversiae Iansenisticae*, ex quo factum dogmaticum intelligi consuevit orthodoxia vel heterodoxia alicuius libri vel scripti humani ad mentem auctoris. Talis censetur esse sensus, quem auctor de facto expressit in suo libro, ideoque vocari solet auctoris qua auctoris. Patet talem sensum non esse *mere subiectivum* in mente auctoris forte latentem, sed *obiectivum*, vel, si mavis, subiective-obiectivum, illum nempe quem verba fundunt, quem homines intelligunt ad sanas hermeneuticae leges.

Statum quaestionis simul et rationem restricti sensus dabit *ipsa historia controversiae* de factis dogmaticis, quae sic habet:

Cornelius Iansenius primum professor Theologiae in Universitate Lovaniensi, dein episcopus yprensis, in operibus S. Augustini diu versatus, ratus se genuinam S. Doctoris doctrinam de gratia Christi demum detexisse, conscripsit librum, cui, propter magnam erga suum Doctorem venerationem, imposuit titulum « Augustinus ». Duobus post mortem auctoris (1638) annis librum Iansenii edidit Fromond. Cum liber colore et spiritu calvinistico tinctus videretur, condemnatur a papa Urbano VIII. Fautores libri resistunt negantes authenticam Bullae pontificiae; hinc oritur acris et molesta controversia, quae per plures annos duravit. Lis demum Romam defertur ad tribunal Innocentii X. Qui a. 1653 proscripsit quinque propositiones ex libro Iansenii excerptas, easque damnavit ut

haereticas. Cf. Denzinger, nn. 1092-1096. Resistunt Iansenistae duce et antesignano Antonio *Arnauld*, cooperante monasterio Port-Royal cum abbâtissa Angelica Arnauld Ord. Cirten-siensis. Aiunt in libro « Augustinus » posse reperiri sensus pelagianos, calvinisticos, catholicos. Rectissime ergo papa Innocentius damnavit sensus haereticos, at minime voluit dam-nare verum sensum a Iansenio intentum. Sequitur declaratio Innocentii (1655) quinque illas propositiones fuisse condemna-tas in sensu a Iansenio intento. Iansenistae minime acquies-cunt: notant duplicem hic quaestionem esse distinguendam: quaestionem *iuris*, et quaestionem *facti*: quaestio iuris est num hae quinque propositiones *in se ipsis* spectatae sint haereticae; quaestio facti est num hae quinque propositiones *in sen-su intento a Iansenio* sint haereticae. Papa — aiebant — est quidem infallibilis in quaestione iuris, at minime in quaestio-ne facti.

Sequitur nova declaratio papae Alexandri VII (1656): « quinque illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Iansenii episcopi Yprensensis, cui titulus est « Augustinus » ex-cerptas ac *in sensu ab eodem Cornelio intento* damnatas fuis-se declaramus et definimus » Denzinger, n. 1098. Cum Ian-senistae nullatenus acquiescerent, idem Pontifex, edidit For-mularium ab omnibus subscribendum: « Ego N. Constitutio-ni apostolicae Innocentii X ... et Constitutioni Alexandri VII ... Summorum Pontificum me subiicio, et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro cui nomen « Augustinus », excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dic-tas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno, et ita iuro: Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia ». Denzinger, n. 1099.

Dividuntur Iansenistae in duas partes: prima rigidior obstitit subscriptioni; alia inerior acceptavit subscriptionem hac tamen lege et conditione: ut subscriptio, ex qua parte spectat ad quaestionem iuris, significet internam et sinceram animi adhaesionem; ex qua parte spectat ad quaestionem fac-ti, solum implicet silentium obsequiosum.

Huic effugio occurrit demum Clemens papa XI declarans: « Obedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed dam-natum in quinque propositionibus Iansenii libri sensum, quem

illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus *ut haereticum* non ore solum, sed et corde recipi et damnari debere, nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse ». Denzinger, n. 1350.

Habes in his perfecte determinatum statum quaestionis:

a) *Asserimus* magisterium ecclesiasticum esse infallibile primo quidem in factis dogmaticis generatim sumptis, dein etiam in iisdem factis dogmaticis stricte talibus, i. e. in definienda orthodoxia vel heterodoxia alicuius scripti humani in sensu auctoris qua auctoris. Sensus ille mere subiectivus auctoris, qui absolute loquendo potest discordare a sensu obiectivo, cum non sit in libro expressus, fidelibus nocere non potest; hinc ab Ecclesia iudicari non solet, imo nec potest.

b) *Praescindimus* a quaestione controversa, num facta dogmatica, postquam ab Ecclesia definita sunt, credi debeant, vel etiam possint, *fide divina*, an potius fide ecclesiastica, assensu nempe praestito non propter auctoritatem Dei revelantis, sed ob auctoritatem Ecclesiae infallibiliter definientis, qua de re in tractatu de Fide disputari consuevit.

c) Haec quoque pars defenditur *saltem ut theologice certa*.

Probatur thesis

I. QUOAD FACTA DOGMATICA GENERATIM SUMPTA.

a) Legitimitas alicuius papae, puta Pii XII, est factum dogmaticum late sumptum. Atqui Ecclesia nequit errare in definienda aut declaranda legitimitate huius determinati Papae. Etenim valor dogmaticus definitionum a Papa editarum totus quantum pendet a veritate historica huius facti certo cognita: si papa non est legitimus, non est verus Petri successor; hinc non est infallibilis. Ergo si Ecclesia posset errare in declaranda legitimitate alicuius Papae, posset acceptare ut dogmata a Deo revelata, ea quae reapse non sunt talia; rueret ergo infallibilitas ecclesiastica vel in ipso suo obiecto primario.

b) Eadem prorsus argumentatio institui potest relate ad Concilia oecumenica: Profecto legitimitas alicuius Conci-

lii oecumenici, puta Vaticani, est factum dogmaticum sensu generali sumptum. Atqui Ecclesia est infallibilis in definienda legitimitate Concilii Vaticani. Siquidem valor dogmaticus veritatum ab hoc Concilio definitarum necessario pendet a vera infallibilitate huius Concilii; et haec infallibilitas tota quanta pendet a vera ipsius legitimitate.

c) Accedit ipsa Ecclesiae praxis et doctrina: Concilium Constantinopolitanum II iubet recipere ea omnia quae definita sunt in quatuor prioribus conciliis oecumenicis, et his contraria anathematizat; hinc iubet agnoscere ut legitima haec quatuor Concilia. Denzinger, n. 212. — Martinus papa V Wiclefitas et Hussitas iubet credere legitimitatem Concilii Constantiensis, necnon approbare ea omnia quae in materiis fidei ab hoc concilio approbata sunt. Denzinger, n. 657-658. — Iidem iubentur credere « quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, *eius nomine expresso*, sit successor Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei ». Denzinger, n. 674. Vides Ecclesiam sibi attribuere potestatem iudicandi authentice et infallibiliter facta dogmatica generatim sumpta.

d) Quin imo quotiescumque Papa aliquis vel concilium aliquid definit aliquid, illudque imponit ab universa Ecclesia absolute tenendum, implicite et exercite definit suam propriam legitimitatem, sicut cum aliquid praecipit, eo ipso asserit implicite se habere legitimam praeciendi potestatem.

II. QUOAD FACTA DOGMATICA STRICTE SUMPTA

Probatur primo ex ipsa Ecclesiae praxi et doctrina: Ecclesia certo et infallibiliter noscit limites suae propriae infallibilitatis, ut superius ostendimus. Atqui Ecclesia extendit suam infallibilitatem ad facta dogmatica stricte talia, i. e. ad orthodoxiam vel heterodoxiam textuum humanorum. Profecto Ecclesia sibi tribuit infallibilitatem in his omnibus quae ab omnibus fidelibus absolute tenenda peremptorie proponit seu definit. Atqui magisterium ecclesiasticum saepe saepius consuevit modo peremptorio proponere orthodoxiam vel heterodoxiam scriptorum humanorum. Sic *Concilium Ephesinum* damnavit ut haeretica scripta Nestorii, probavit ut orthodoxa decreta doctrinalia Concilii Nicaeni hisce verbis: « Statuit sanc-

ta Synodus alteram fidem nemini licere proferre aut conscribere aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt ». Denzinger, n. 125.

Concilium Constantinopolitanum II definit orthodoxiam Chalcedonensem, et proscribit ut haeretica scripta Theodori, conscripta Theodreti, et epistolam Ibae ad Marin Persam haereticum. Denzinger, nn. 217-228. — *Concilium Constantiense* iubet credere « Ioannem Wicleff de Anglia, Ioannem Huss de Bohemia et Hieronymum de Praga fuisse haereticos et pro haereticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos, propter quos et quas, et eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro haereticis sunt condemnati ». Denzinger, n. 660. — *Concilium Tridentinum* definit orthodoxiam versionem veteris vulgatae latinae, Denzinger, n. 784; necnon canonis Missae, Denz., n. 953. — Innocentius X condemnavit ut haereticas quinque propositiones Iansenii, Denzinger, nn. 1092-1096. — Alexander VII edit et imponit formularium a Iansenistis subscribendum, Denzinger, n. 1099. — Clemens XI definit praesertim apostolicis constitutionibus internum mentis assensum deberi, Denzinger, n. 1350. — Historia controversiae Iansenisticae, quam breviter superius descripsimus, clare ostendit magisterium ecclesiasticum condemnasse doctrinam Iansenistarum secundum quam infallibilitas ecclesiastica restringenda est ad quaestionem iuris. Ecclesia ergo dictis et factis clare docet suam infallibilitatem se protendere ad facta dogmatica stricte talia. *Nota bene*: Doctrina et praxis *Concilii Constantinopolitani II* specialem attentionem meretur in toto hoc negotio de factis dogmaticis. Quaestio ibi tractata et soluta, erat ipsissima quaestio deinceps a Iansenistis provocata: siquidem agebatur de iudicanda et proscribenda heterodoxia *trium capitulorum*, de scriptis, inquam, Theodori, Theodreti et Ibae in sensu ab his auctoribus intento. Nemini venit tunc in mentem appellare ad distinctionem inter quaestionem iuris et facti; nec dubitavit ibi quisquam de authentica et infallibili Ecclesiae potestate ad iudicanda et proscribenda heterodoxa hominum conscripta. Unde iure concluderis doctrinam et tentamen Ianseniticum continere ingentem et audacem deviationem ab antiqua et genuina traditione christiana.

Probatnr secundo argumento multiplici rationis theologicae:

1° Ecclesia est infallibilis in custodiendo et tutando sacro revelationis deposito, ut demonstravimus in prima thescoſ parte. Atqui Ecclesia non potest infallibiliter custodire praefatum depositum sine infallibilitate in factis dogmaticis stricte talibus: sane depositum fidei seu revelatio continetur in S. Scriptura et Traditione; utriusque fontis tuta custodia fit impossibilis si magisterium ecclesiasticum non pollet vera infallibilitate circa orthodoxiam vel heterodoxiam scriptorum humanorum. Consideremus separatim utrumque fontem:

Scriptura asservatur in apographis et versionibus biblicis; autographa inspirata originalia periere omnia: porro apographa et versiones sunt scripta *humana*, quae eatenus sunt Scriptura, quatenus sunt textui originali inspirato conformia seu orthodoxa. Nequit ergo Magisterium Ecclesiae tuto custodire verbum Dei scriptum seu inspiratum, si potest errare in iudicanda et proponenda orthodoxia horum apographorum et versionum, id est, eorum conformitate cum textibus originalibus inspiratis. Atqui orthodoxia scriptorum humanorum est veri nominis factum dogmaticum stricte tale. Ergo ...

Traditio divina rursus continetur in scriptis humanis: in symbolis fidei, in decretis doctrinalibus papalibus, conciliariis, in documentis liturgicis, in scriptis Patrum et Doctorum, etc. Nequit ergo Ecclesia tuto custodire verbum Dei traditum, si non sit infallibilis in iudicanda et proponenda orthodoxia horum documentorum humanorum. Atqui rursus orthodoxia scriptorum humanorum est verum factum dogmaticum stricte tale. Ecclesia ergo indiget vera infallibilitate circa haec facta dogmatica ut possit recte adimplere munus suum primum custodiendi integrum atque illibatum sanctum revelationis depositum. — Eadem conclusio clarius manifestabitur applicando ad casus particulares doctrinam generalem in hoc primo argumento contentam; id praestabimus in argumento secundo et tertio nunc evolvendo.

2° Orthodoxia doctrinae Tridentinae ad mentem Tridentini est factum dogmaticum stricte tale. Atqui Ecclesia hodierna est infallibilis in iudicanda et proponenda hac doctrina Tridentina. Ergo oportet admittere infallibilitatem ecclesiasticam iure protendi ad facta quoque dogmatica.

Maior continet ipsam definitionem facti dogmatici stricte talis; evidens enim est decreta doctrinalia Tridentina esse scripta, non divina et inspirata, sed humana divinitus utique praeservata.

Minor est clara nec in dubium vocari potest. Cogita doctrinam eucharisticam in hoc concilio definitam de reali corporis Christi praesentia sub speciebus panis post verba consecratoria. Si Ecclesia hodierna posset errare in interpretanda et definienda doctrina Tridentina eucharistica, fieri posset heterodoxa. Etenim unum e duobus: vel erravit Tridentinum in definienda praesentia Christi eucharistica, vel errat Ecclesia hodierna negans hanc doctrinam. Si primum, oportet admittere Ecclesiam antiquam corrupisse sacrum depositum; si secundum, oportet asserere Ecclesiam hodiernam incidisse in veram heterodoxiam.

3° Orthodoxia doctrinae contentae in scriptis Sanctorum Patrum et Doctorum est factum dogmaticum stricte tale. Atqui Ecclesia nequit errare in iudicanda et proponenda hac tali doctrina: secus enim posset tradere fidelibus ut orthodoxam doctrinam, quae est vere heterodoxa, et vice versa; id porro si faceret corrumperet veram fidem cum in seipsa, tum in mentibus fidelium, nec satisfaceret primario obiecto et muneri magisterii ecclesiastici.

Dices forsitan: Iansenistae non negabant infallibilitatem Ecclesiae in interpretandis documentis, quorum ipsa Ecclesia est auctor, nec in iudicanda *orthodoxia* doctrinae Sanctorum Patrum. Ergo adducta a nobis argumenta non sunt ad rem.

Resp. Si Iansenistae reapse admittunt infallibilitatem Ecclesiae in diiudicanda *orthodoxia* doctrinae sive ecclesiasticae sive patristicae, non possunt logice negare infallibilitatem ipsius Ecclesiae in diiudicanda *heterodoxia* scriptorum humanorum, siquidem distinctio inter quaestionem iuris et facti, ab ipsis invocata, eodem modo recurrit et habet applicationem in iudicanda *orthodoxia* ac *heterodoxia* scriptorum humanorum: allata ergo argumenta ad id inserviunt, ut in clara luce ponant, et quasi digito commonstrent falsitatem vel illogicitatem principii a Iansenistis invocati ad negandam infallibilitatem ecclesiasticam in quaestione facti.

4° Facta dogmatica stricte talia sunt obiectum magisterii ecclesiastici authentici. Ergo sunt quoque obiectum magiste-

rii infallibilis. Veritas consequentis ex eo constat, quod idem est obiectum utriusque magisterii, authentici, inquam, et infallibilis. Patet hoc primo quidem negative, quia nullum potest assignari obiectum, quod Christus authentico Ecclesiae magisterio commiserit, illudque magisterio infallibili subtraxerit; patet hoc deinde positive, quia obiectum Ecclesiae magisterio a Christo traditum non est aliud, quam sacrum revelationis depositum, seu res fidei et morum, seu summa rerum credendarum et operandarum ad Dei cultum et salutem animarum. Nihil est ergo quod possit ab Ecclesia authentice doceri, et non possit infallibiliter definiri, si magisterium ecclesiasticum velit uti tota suae potestatis plenitudine. Probandum ergo manet facta dogmatica pertinere ad obiectum magisterii authentici.

Ecclesiam pollere iure et potestate iudicandi illa hominum scripta seu libros in quibus agitur de rebus fidei et morum est res adeo clara ut in dubium aut controversiam vocari a nemine possit. Evidens enim est Christum constituisse Ecclesiam magistratam et iudicem ad examinandas et dirimendas quaestiones fidei, prout inter homines (suos subditos) moveri possunt et solent. At homines non possunt movere quaestiones fidei nisi mediantibus verbis, propositionibus, signis externis. Ergo ad dirimendas quaestiones sic inter homines agitatae, oportet iudicare de sensu verborum, propositionum, signorum sive oralium sive scriptorum; in contraria hypothesi posset quisvis impune spargere doctrinas rectae fidei et sanis moribus contrarias, Ecclesiae iudicium effugere, et animas Christi sanguine redemptas in aeternum perditionis baratrum trahere. — Evidens rursus est posse Ecclesiam et debere tutare unitatem fidei inter fideles ne simul tamquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (Ephes. 4, 14). At quomodo posset Ecclesia tutare fidei unitatem inter fideles si ius ei et potestas denegetur iudicandi perversa hominum scripta?

Accedit praxis Ecclesiae etiam apostolicae quae hoc ius et hanc potestatem et docuit et exercuit. Paulus iubet Titum hominem haeticum devitare: sed haetici non possunt devitari nisi agnoscantur; agnosci non possunt nisi notificentur; notificari non possunt nisi iudicentur in suis verbis, in suis scriptis. Paulus ipse non verebatur eos qui circa fidem

nafragaverunt iudicare et punire: « ex quibus erant Hymenaeus et Alexander; quos traditi Satanae, ut discant non blasphemare » I Tim. 1,20.

5° Quinto loco iuvat proponere argumentum elaboratum a praeclaro Galliae oratore *Fenelon* in vexata ista controversia de factis dogmaticis. Argumentatio huc demum redit:

a) Christus dedit Ecclesiae potestatem magisterii authentici, et promissit assistentiam ad recte proponendum verbum Dei. — b) Infallibilis propositio revelationis requirit duo: rectam veritatis revelatae intelligentiam, et rectam ipsius propositionem. — c) Recta verbi revelati propositio rursus duo requirit: adhibere signa orthodoxa, vitare signa heterodoxa.

d) Ecclesia proponit verbum Dei bifariam: directe seu verbis suis, signis suis, scriptis suis; *indirecte* seu remittendo fideles ad scripta orthodoxa aliorum Doctorum, avertendo eosdem ab scriptis heterodoxis perversorum magistrorum. — e) Hinc sicut habet Ecclesia assistentiam divinam ad adhibenda signa orthodoxa in sua praedicatione, in suis propriis scriptis et formulis, sic etiam habet assistentiam Dei ad agnoscenda signa orthodoxa et heterodoxa in scriptis aliorum. — f) Auxilium ergo divinum divinitus Ecclesiae promissum ad proponendum verbum Dei protenditur ad facta dogmatica infallibiliter iudicanda et proponenda.

Scholion: Utile erit notare tria puncta neuralgica in tota hac controversia Iansenistica:

1° Iansenistae non poterant intelligere *qua fide* possent et deberent credi decreta dogmatica Innocentii X et Alexandri VII. Ex una parte doctrina de *fide ecclesiastica* nondum erat elaborata; ex alia parte, theologi nondum sufficienter explicaverant qualiter haec decreta possent *fide divina* credi.

2° Iansenistae (Arnould) non bene intelligebant *inseparabilitatem* quaestionis iuris et facti. Catholicis theologis urgentibus hanc inseparabilitatem, Arnould impavide opponebat separationem realem et pluries saecularem duplicis quaestionis. Quaestio iuris — aiebat — erat iam soluta a principio revelationis christianae; quaestio facti Iansenii non nisi saeculo 17 recurrebat. Sed theologi partis adversae non loquebantur de inseparabilitate chronologica duplicis quaestionis. Verus sensus inseparabilitatis huiusmodi est: 1° *Semel posito* textu Ianse-

nistico heterodoxo, heterodoxia (quaestio iuris) nequit separari a textu Iansenii (quaestio facti). Simile quidpiam recurrit in unione hypostatica Verbi cum humanitate in Christo: *semel posita* nequit praefata unio dissolvi, quamvis ab aeterno Verbum fuerit de facto separatum ab humanitate. 2° Infallibilitas Ecclesiae in quaestione iuris est inseparabiliter connexa cum infallibilitate ipsius Ecclesiae in quaestione facti, ut clare ostendunt argumenta superius allata.

3° Iansenistae non bene intelligebant *notionem* facti dogmatici. Factum dogmaticum non est num Iansenius scripserit librum « Augustinus ». Factum dogmaticum non est num illae quinque propositiones reperiantur in libro Iansenii. Factum dogmaticum est num doctrina libri Iansenii in sensu (obiectivo) intento a Iansenio *sit heterodoxa* necne. *Ratio formalis* sub qua doctrina huius libri attingitur a potestate magisteriali ecclesiastica est eius respectus ad sacrum revelationis depositum Ecclesiae custodiae commissum, aliis verbis eius orthodoxia vel heterodoxia.

III. DE CANONIZATIONE SANCTORUM

Hactenus egimus de his quae cum sacro revelationis deposito habent connexionem sive consecutivam sive praesuppositivam: agemus nunc de his in quibus potius attenditur connexio *teleologica* seu finalis: sunt nempe veritates practicae, quarum apta propositio est necessaria aut summe conveniens ad obtinendum *finem* revelationis qui est positus in cultu Dei et sanctificatione animarum. Huc spectant *canonizatio Sanctorum* qui omnis sanctitatis exemplar vivum proponuntur ab omnibus colendum et imitandum — *decreta disciplinaria et liturgica* quibus cultus christianus ordinatur, et mores christiani informantur — *approbatio ordinum religiosorum*, ubi sodales evangelicam perfectionem aptis regulis consequi satagunt.

Canonizatio Sanctorum, inde dicta quod beatum *canoni* seu catalogo Sanctorum adscribit, definitur: Definitiva sententia summi Pontificis qua aliquis Beatus ut vere Sanctus, caelesti beatitudine fruens et in ferris colendus toti Ecclesiae proponitur et praecipitur: Est ergo

a) *sententia definitiva*, i. e. ultima et peremptoria quae nec abrogari, nec mutari, nec revideri aut reexaminari amplius possit.

b) *Sententia Summi Pontificis*, quia ut habet Ius Canonicum (c. 1999) « causae beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum unius Sanctae Sedis iudicio reservantur ». Antiquitus beatificatio et canonizatio fieri solebat in singulis dioecesibus a propriis episcopis. Prima canonizatio papalis obtinuisse fertur a. 997 (Denzinger, n. 342) quum Ioannes XV beatum Uldaricum catalogo Sanctorum adscripsit; ex quo tempore canonizationes papales frequentari caeperunt, donec Alexander III (1170) totum hoc negotium Sanctae Sedi reservavit, atque Urbanus VIII (1634) gravissimis poenis prohibuit ne cultus publicus alicui tribueretur sine praevia beatificatione vel canonizatione Summi Pontificis.

c) *Sententia qua aliquis Beatus ...* quia ut statuit Ius Canonicum c. 2136: « nemo potest alicuius canonizationem petere ... nisi prius constiterit Servum Dei, de quo agitur, inter Beatos vel formaliter vel aequipollenter relatum esse ». Quid differant formalis et aequipollens beatificatio explicatur in Codice Iuris Canonici, ubi regulae quoque beatificationis et canonizationis ample describuntur. Cf. cc. 1999-2141.

d) *Sententia qua sanctus, caelesti gloria fruens, in terris colendus* proponitur: quia canonizatio implicat iudicium duplex: unum speculativum = Beatum esse sanctum et caelitem; aliud practicum et praeceptivum quo statuitur Beatum in terris esse colendum. Additur: « toti Ecclesiae praecipitur » quatenus omnes fideles canonizatum ut sanctum et caelitem indubitanter credere, et publico cultu dignum habere obligantur.

Discrimen inter canonizationem et beatificationem ex dictis manifeste patet. Beatificatio est sententia non ultima et definitiva, sed praevia et praeparatoria — qua cultus permittitur quidem, at non praecipitur — decretum beatificationis, ut plurimum, non est universale respiciens universam Ecclesiam, sed particulare pro aliqua provincia, regione, natione, societate religiosa ...

Sensum et limitem quaestionis determinabunt sequentes animadversiones:

a) Infallibilitas pontificia non protenditur ad beatificationem servorum Dei, quippe quae non continet sententiam ultimam et peremptoriam, cui soli competit praerogativa infallibilitatis: pie tamen credi potest Deum numquam permisurum ut beatificetur aliquis qui reapse non est sanctus, sed peccator et reprobus, maxime si agitur de cultu universali approbato.

b) Infallibilitatem non necessario implicat *insertio Sanctorum in Breviario Romano*. Nam in beatificationibus illis antiquis *per viam cultus*, multi servi Dei in singularibus ecclesiis primum colebantur, postea paulatim ab universa Ecclesia ut colendi assumebantur, non contradicentibus vel etiam approbantibus Romanis Pontificibus. Attamen talis approbatio est iudicium tantum permissivum, non vero definitivum et peremptorium Summi Pontificis.

c) Multo minus importat infallibilitatem *inscriptio Sanctorum in Martyrologio Romano*. Haec quidem inscriptio est effectus qui semper sequitur canonizationem, attamen non semper supponit veram canonizationem: ceterum constat martyrologium non semel correctiones subisse.

d) Nec infallibilitas extendenda necessario est ad omnes circumstantias historicas quae sive in processu canonizationis ut verae acceptantur, sive in ipsa Bulla Pontificia recurrunt, ubi vita novi canonizati describitur: cogita datam nativitatis, mortis, varia facta portentosa quae a servo Dei peracta circumferebantur. Tale quid erroneum nonnumquam contigisse subito videbimus.

e) Verum obiectum infallibilitatis pontificiae in canonizatione Sanctorum est omne illud, et solum illud quod a Papa definitur: vera sanctitas — caelestis beatitudo — dignitas seu honestas cultus personae historicae quae in album Sanctorum cooptatur. Nequit ceteroquin admitti sententia quorundam (paucorum) qui ad solvendas difficultates historicas volunt restringere infallibilitatem pontificiam ad quandam quasi imaginem idealem, virtutibus et charismatibus insignem quidem, sed fere solutam a condicione historica illius personae cui tribuitur.

Probatur thesis

1° Ecclesia scit infallibiliter quousque se protendat sua propria infallibilitas. Atqui Ecclesia sibi tribuit infallibilitatem in canonizatione Sanctorum. Profecto Ecclesia sibi attribuit infallibilitatem in his omnibus (et solis) quae peremptorie proponit et ut irrevocabiliter ab universis fidelibus tenenda imponit. Atqui Ecclesia peremptorie proponit et imponit canonizationem Sanctorum, ut videre est in formulis quibus ipsa utitur in hoc sollemni actu seu exercitio sui magisterii. En aliquas formas ab Ecclesia adhiberi solitas:

Formula Benedicti XIII: « Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, de venerabilium-fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et unanimi consensu, Beatum Ioannem a Cruce Sanctum esse *definivimus*, Sanctorum Confessorum non Pontificum, canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eundemque per universos Christi fideles tamquam vere Sanctum honorari mandavimus et mandamus ab universa Ecclesia ». Bull. Roman. 22.

Formula Benedicti XV quam ingenti animi gaudio in aedibus Vaticanis audivimus: « Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei ... Beatam Margaritam Mariam Alaquoque ... Sanctam esse et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus. Eique eodem decreto sociavimus Beatum Gabrielem a Virgine Perdolente ... Perpensis omnibus quae erant inspicienda, ex certa scientia ac *Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine*, cuncta praedicta et eorum singula confirmamus, roboramus, at iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denuntiamus ». AAS XII (1920) 486 sq.

Formula Pii XII: Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi ... BB. Ioannem de Britto Martyrem, Iosephum Cafasso et Ber-

nardinum Realino Confessores, Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universa illorum memoriam pia devotione recoli debere ». AAS 30 (1947).

Duo in his decretis apparent clara: Primo quidem character peremptorius definitionis pontificiae; deinde vero obiectum huius definitionis, quod non est quaedam imago idealis seu typus quidam sanctitatis, sed personae cuiusdam historicae sanctitas, gloria caelestis, cultus dignitas.

2° Tantam habet extensionem infallibilitas ecclesiastica quantam requirit finis propter quem Christus instituit Ecclesiae magisterium. Finis porro propter quem Christus instituit magisterium, illudque praerogativa infallibilitatis voluit exornatum non est alius quam recta fidelium informatio doctrinalis atque tuta ipsorum directio moralis ad tramitem legis evangelicae. Iamvero Ecclesia suos fideles bifariam dirigit in via acquirendae iustitiae et salutis: primo quidem proponendo eis obiectivas vitae christianae regulas a Deo revelatas, deinde vero eisdem exhibendo viva et concreta illorum exempla, qui evangelicam vitae christianae normam in actum deducentes, egregium exemplar, speculum simul ac caeleste praesidium exstiterunt. Auxilium ergo divinum praeconibus evangelicis a Christo promissum non minus extenditur ad illos magisterii actus in quibus viva et heroica vitae christianae exempla imitanda et invocanda proponuntur, quam ad illos alios in quibus evangelicae sanctitatis normae ordinaria praedicatione exhibentur.

3° Si Summus Pontifex posset errare in sollemni actu canonizationis Sanctorum, oporteret admittere posse ipsum Ecclesiae universali cultum obiective inhonestum imponere. At durus est hic sermo, et nonne id indecorum nimis iure videatur? Maneret tunc Petri successor fidei evangelicae fundamentum, fraternitatis christianae verax confirmator?

Dices: Malum non est adorare hostiam, quae consecrata existimatur, licet reapse consecrata non sit. Ergo a pari non est inhonestum colere hominem, qui sanctus et gloria caelesti fruens censetur, quamvis reapse reprobus sit.

Resp. Negatur prorsus paritas quae in facto obiecto nulla datur. In casu hostiae apparenter consecratae, et in altari publice expositae, nullus adest error universalis Ecclesiae, nul-

la definitio pontificia in hanc particularem hostiam terminata. — Accedit quod in casu hostiae non consecratae manet fundamentum principale cultus christiani, dogma videlicet de reali Christi praesentia eucharistica; at in nostro casu totum fundamentum dogmatis cultus Sanctorum pessumdatur ubi infallibilitas ecclesiastica et pontificia in canonizatione Sanctorum negatur aut in dubium vertitur.

Instabis: Non est inhonestum exhibere cultum alicui reliquiae quae forsitan non est authentica. Ergo a pari: nequit censerī inhonestus cultus exhibitus alicui sancto, qui non est sanctus. — Negatur rursus paritas. Pontifex non imponit Ecclesiae universali cultum particularis alicuius reliquiae, sicut imponit omnibus fidelibus cultum determinati cuiusdam Sancti. Cultus reliquiarum est *relativus*; cultus vero Sancti est absolutus.

Quaeres: Quomodo scit Ecclesia aliquem determinatum Sanctum esse inter caelites receptum? *Resp.* Non per novam revelationem, sed per assistentiam Dei Ecclesiam dirigentis dum haec examinat Sancti vitam et virtutes heroicas necnon miracula eius intercessione patrata.

Scholion. — *De canonizatione Ioannis Nepomuceni.*

Casus Ioannis Nepomuceni specialem attentionem meretur, quippe qui ex una parte ansam simul et materiam supeditavit catholici nominis detractoribus, ex alia vero parte occasio exstitit nonnullis apologetis christianis deformandi doctrinam traditionalem de vero obiecto infallibilitatis pontificiae in canonizatione Sanctorum; utile ergo erit hunc casum propius considerare et accuratius examinare: proponemus primo difficultatem fieri solitam; accedet solutio eiusque explicatio.

Difficultas: Summus Pontifex Benedictus XIII in Bulla « Christus Dominus » data 18 Martii a. 1729 canonizavit Ioannem Nepomucenum ut martyrem secreti confessionis mortuum anno 1383. Atqui nullus exstitit Ioannes qui hoc anno martyr in Bohemia occubuerit. Ergo infallibilitas pontificia in canonizatione Sanctorum ad fabulas amandanda est.

Solutio: Haec est maxima difficultas quae in hac materia fieri solet: eius solutio nullam prae se fert veram difficultatem si prae oculis habentur principia superius stabilita de vero obiecto infallibilitatis pontificiae in canonizatione Sanctorum. Ut supra notavimus, id omne, id solum est praefatae infallibilitatis obiectum, quod a Papa vere definitur et Ecclesiae universae credendum imponitur: Beati sanctitas, gloria caelestis, cultus in terris praestandi dignitas: infallibilitas pontificia nullatenus extenditur ad omnes et singulas circumstantias historicas quae in ipsa Bulla canonizationis enarrantur.

Explicatio: Reliquum est ut hanc normam ad singularem casum Ioannis Nepomuceni applicemus. Principio oportet simpliciter admittere nullum fuisse in Bohemia Ioannem, qui ut martyr servati secreti confessionis anno 1383 occubuerit; hinc haec circumstantia historica, in Bulla canonizationis explicite commemorata, est falsa. Operae pretium erit explicare qualiter nonnulli errores historici in Bullam pontificiam irrepere potuerint. Summus Pontifex Benedictus XIII in describenda vita et morte Ioannis Nepomuceni prae oculis habuit enarrationem historicam exaratam a Iesuita Balbin pro Actis Bollandianis a. 1680. At P. Balbin in exaranda sua enarratione vicissim prae oculis habuit et sequutus est enarrationem elaboratam a cronista Bohemo Vaclav Hajek z Libocan a. c. 1541. Sed, proh dolor, Hajek usus est fonte historico in quo per errorem assignabatur pro morte Ioannis Nepomuceni annus 1383; dum in aliis fontibus historicis assignabatur pro morte praefata vera data historica, annus videlicet 1393. Quum Hajek nullatenus potuisset constatare identitatem personae, *supposuit duos fuisse Ioannes*: quorum unus fuisset proiectus a Rege Venceslao in flumen Moldavae propter servatum secretum confessionis Reginae Ioannae a. 1383, alter vero in idem flumen ab eodem Rege proiectus a. 1393. propter approbationem novi Abbatis Olen in Abbatia Kladruby factam ab Archiepiscopo Pragensi Ioanne de Jenstejn, et in actis consignatam a vicario generali Ioanne Nepomuceno. Duo ergo debent accurate distingui in toto hoc negotio: persona historica a Benedicto XIII canonizata — variae circumstantiae historicae enarratae in Bulla canonizationis, Summus Pontifex non canonizavit

erroneam datam mortis a. 1383, nec alias circumstantias historicas aut legendarias in Bulla enarratas, Benedictus XIII canonizavit veram personam historicam Ioannis Nepomuceni qui, ut dicitur in verbis definitionis fuit presbyter et canonicus ecclesiae metropolitanae Pragensis in regno Bohemiae. En formulam canonizationis a Benedicto XIII adhibitam :

« Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei ... beatum Ioannem Nepomucenum, ecclesiae metropolitanae Pragensis in regno Bohemi presbyterum et canonicum, de cuius sanctitate, martyrio, causa martyrii et miraculis plene constabat et constat, sactorum martyrum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus, eundemque per omnes christifideles tamquam vere sanctum et Christi martyrem honorari mandavimus et mandamus ».

Ex hac formula in suo contextu considerata clare elucescunt characteres personae a Benedicto XIII canonizatae die 18 Marti a. 1729. Agitur de Ioanne Nepomuceno martyre — ecclesiae metropolitanae Pragensis presbytero et canonico — a rege Wenceslao in regno Bohemiae in flumen Moldavae proiecto — cuius corpus asservatur in ecclesia metropolitana Pragensi — in quo (corpore) iuridice recognito reperta est lingua incorrupta — ita quidem ut « die 27 ianuarii anno Domini 1725 sacrae linguae prodigiosa incorruptio denuo explorata, omnes quotquot aderant permultos gravissimos viros reique anatomicae peritos repentino spectaculo in summam admirationem convertit, ubi in conspectu universorum spatio ferme unius horae lingua suboscuro a radice, quasi rubrum colorem induens et palam intumescens, huiusmodi colorem sensim in purpureum mutavit ». Cf. Bull. Rom. edit. Taur., 22, p. 800 sq.

Dices: Benedictus XIII canonizavit Ioannem Nepomucenum martyrem propter servatum secretum confessionis. Atqui vera causa martyrii non fuit secretum confessionis, sed approbatio novi abbatis Olen in Abbatia Kladruby. Ergo papa erravit in ipsa Bulla canonizationis. — *Resp. a)* Data, et non concessa, minori, inde tantum sequeretur Papam errasse in aliqua circumstantia historica quae non spectat ad obiectum infallibilitatis pontificiae in canonizatione Sanctorum ut su-

pra notavimus; *b*) Distinguenda est causa publica et quasi officialis martyrii ab alia causa reali et secreta. Traditio de vera et principali causa martyrii reponenda in servato secreto confessionis habet pro se seria fundamenta historica. Eam primo attestatus est Thomas Ebendorfer de Haselbach, missus a Concilio Basileensi ad agendum cum Bohemis, in sua Chronica scripta c. 1449-1451; eam deinceps confirmavit Paulus Zidek in sua Zpravovna a. 1471 regi Georgio dedicata. Ipsa prodigiosa linguae incorruptio praefatam traditionem confirmare videtur. — Nequit ergo asseri papam Benedictum XIII canonizasse Sanctum non existentem, vel etiam duos Ioannes in unum confudisse: unus fuit verus Ioannes Nepomucenus martyr a papa canonizatus, mortuus non anno 1383, ut in Bulla canonizationis asseritur, sed anno 1393. Advertas in Bulla ne verbum quidem dici de altero Ioanne decem post annis emortuo.

IV. DE GENERALI DISCIPLINA ECCLESIASTICA

Nomine disciplinae ecclesiasticae generalis veniunt leges ecclesiasticae universales quibus et vita christiana recte instituitur, et cultus divinus modo convenienti ordinatur. Hinc:

a) Sunt leges *humanae* latae non a Deo, sed ab ipsa potestate regiminis ecclesiastica. Distinguuntur ergo a legibus divinis quae, cum sint formaliter revelatae, pertinent directe ad obiectum primarium magisterii ecclesiastici.

b) Sunt leges *universales* impositae toti Ecclesiae, quas probe distinguas a legibus particularibus, quae alicui nationi, regioni, vel ecclesiae particulari imponuntur.

c) Sunt leges *disciplinares* quae a suprema potestate ecclesiastica sive papali sive conciliari eduntur ad rectam vitae seu conversationis christianae institutionem.

d) Sunt quoque leges *liturgicae* ab Ecclesia promulgatae ad cultum Dei et Christi modo digno et convenienti ordinandum: cogita leges ab Ecclesia datas ad condignam cultus sacrificii et eucharistici celebrationem et ad rectam sacramentorum administrationem.

e) Sunt leges *variabiles*: feruntur enim ab ipsa Ecclesia potestate, quae sicut hodie eas pro opportunitate fert, sic potest cras, mutatis adiunctis, easdem abrogare, modificare ...

In his legibus ecclesiasticis proxime quidem versatur ecclesiastica *regiminis* potestas, at simul exercite implicatur potestas magisterii: dum enim Ecclesia has leges fert, simul iudicat et docet de earumdem legum sive honestate sive opportunitate. Hinc duplex hac in re iudicium distinguendum est: unum doctrinale, quo Ecclesia iudicat legem, quam fert, esse honestam seu conformem tum legi naturali tum legibus divinis; aliud prudentiale quo iudicat hanc legem sub his adiunctis esse prae aliis opportunam.

Sensus et limites quaestionis patent sufficienter ex dictis:

Asserimus Ecclesiam esse infallibilem in ferendis decretis universalibus cum disciplinaribus tum liturgicis — et quidem in illo iudicio *doctrinali*, quatenus non potest ferre legem universalem quae legi naturali aut divinae adversetur — praefatam vero infallibilitatem non extendimus ad illud iudicium *prudentiale*, de quo supra — porro quae de legibus dicuntur, eodem iure extendi possunt ad *consuetudines* ab universa Ecclesia receptas.

Probatur thesis

Argumenta eadem fere sunt ac in parte praecedenti:

1° Ecclesia certo novit limites suae propriae infallibilitatis. Atqui Ecclesia sibi attribuit infallibilitatem in ferendis decretis universalibus disciplinaribus et liturgicis. Etenim Ecclesia se fatetur infallibilem in his quae peremptorie proponit et ab universis fidelibus absolute tenenda imponit; hoc porro modo proponit atque imponit decreta de quibus agimus:

a) Primo quidem ipsi apostoli in primo decreto disciplinari collegialiter condendo appellant ad assistentiam Spiritus Sancti: « Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria: ut abstineteis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione ». Act. Apost. 15, 28.

b) *Concilium Constantiense* in re eucharistica statuit: « Dicere quod hanc consuetudinem (communicandi sub una specie) aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici arcendi sunt ». Denzinger, n. 626.

c) *Concilium Tridentinum* de ritibus sacramentorum

ait: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro lubito omitti posse, anathema sit ». Denzinger, n. 856.

d) *Pius VI* proscripsit doctrinam Pistoriensium his verbis: « Quasi Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur disciplinam constituere posset, non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum: falsa, temeraria, scandalosa, ad minus erronea ». Denzinger, n. 1578.

2° Finis instituti magisterii ecclesiastici est homines instruere atque erudire in his quae spectant ad cultum Dei et viam salutis; ad hunc porro finem efficaciter obtinendum Christus ditavit Ecclesiae magisterium charismate veritatis seu praerogativa infallibilitatis. Ecclesia docet homines viam cultus et salutis duplici modo: praedicando et urgendo leges divinitus latas; edendo et premendo leges proprias, quibus divina praecepta ulterius determinantur et ad casus particulares applicantur. Assistentia ergo magisterio ecclesiastico divinitus promissa protenditur ad omnes magisterii actus quibus Ecclesia proponit et imponit praecepta disciplinaria et liturgica ab omnibus fidelibus observanda.

3° Christus iussit apostolos eorumque successores docere servare quaecumque ipse mandavit (Mt. 28, 20), promisitque se futurum cum eis docentibus usque ad consummationem saeculi. Christus porro mandavit observare omnia vincula ab apostolis eorumque successoribus imposita. Iure ergo concluditur auxilium divinum se protendere ad omnes illos actus quibus Ecclesia suprema sua potestate ligat suos subditos praeceptis disciplinaribus et liturgicis.

V. DE APPROBATIONE ORDINUM RELIGIOSORUM

Ordo religiosus definitur: societas a legitima auctoritate ecclesiastica approbata, in qua sodales secundum proprias ipsius societatis leges seu constitutiones, vota sollemnia nuncupant atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt. Cf. Ius Can. c. 488. Ad normam huius definitionis tria elementa distinguenda sunt in ordine religioso:

a) *Vota religiosa* tria paupertatis, castitatis et obedientiae, quae constituunt elementum *substantiale et commune* omni religioni. Haec vota, si sint *sollemnia*, distinguunt *ordinem* religiosum a *congregatione* religiosa, in qua vota *simplificia* emittuntur; ceterum nihil obstat quominus his tribus votis communibus alia specialia secundaria addantur.

b) *Peculiaris instituti forma* quam determinant regulae et *constitutiones* quibus et vita communis ordinatur et modus statuitur quo vota debent servari et alii fines promoveri quos singuli Ordines sibi proponunt. Hae regulae et constitutiones constituunt elementum *accessorium et specificum* unde mira exurgit Ordinum varietas.

c) *Approbatio ecclesiastica* distinguitur duplex: una praevia et simplex per decretum laudis haberi solita; alia sollemnis, cuius nomine venit definitiva Summi Pontificis sententia, qua institutum aliquod fit formaliter *ordo religiosus* proprie dictus.

Obiectum approbationis pontificiae non est honestas trium votorum communium, quae iam ab ipso Christo fuerunt et opere heroico completa, et magnificis verbis laudata, et sic multifariam approbata et commendata. Verum ergo approbationis pontificiae obiectum est honestas regularum et constitutionum quibus singuli Ordines evangelicam perfectionem et sui Instituti fines proprios obtinere satagunt. Declarat nempe Pontifex regulas et constitutiones praedictas esse conformes revelatae doctrinae de fine et moribus, et ad assequendam perfectionem evangelicam apprime utiles.

Rursus distinguas in hac sollemni et definitiva approbatione iudicium duplex: unum *doctrinale*, alterum *prudentiale*. Prius respicit conformitatem regularum et constitutionum cum revelata doctrina de bonis moribus — Alterum versatur circa *opportunitatem* determinati cuiusdam Ordinis cum suis regulis et constitutionibus: num videlicet sub his determinatis adiunctis temporum, personarum, tranquillitatis aut perturbationis publicae et politicae... sit demum opportunum talem Ordinem religiosum approbare.

Finis quoque approbationis duplex distingui potest: Prior

tendit ad ipsos sodales Ordinis, de quo agitur, cum praesentes tum futuros certos reddendos de rectitudine et aptitudine novae viae religiosae ad obtinendam perfectionem evangelicam — Alter finis est commendare *toti Ecclesiae* novum Ordinem ut sanctum, ut normis evangelicis conforme, ut aptum et tutum ad sectandam et acquirendam metam christianae perfectionis.

Status et limites quaestionis apparent iam ex praenotatis sufficienter definiti:

Asserimus magisterium ecclesiasticum esse infallibile: a) in approbatione sollemni et definitiva Ordinum religiosorum — b) et quidem in illo iudicio *doctrinali* attingente honestatem regularum et constitutionum religiosarum — c) Tria vota religiosa esse honesta est formaliter revelatum in evangelio; hinc infallibilitas ecclesiastica in his proponendis constat ex dictis de obiecto primario infallibilitatis — d) Praescindimus ab alia quaestione num Ecclesiae infallibilitas sit admittenda in alio quoque iudicio *prudentiali*, de quo supra. Affirmativam sententiam tuetur Valentia, quam et Suarez vocat magis piam. Resistunt vero alii ut Bañez. Nemo vero durius loquitur in hac materia, quam *Cano* in suo praeclaro opere « De locis theologicis », l. V. c. V. Ubi sequentia leguntur: « Ordines vero probare vel refellere ... non ad ea pertinet in quibus Summus Pontifex errare nequit ... Nostro vero hoc saeculo tam multae sunt religiones a Pontificibus confirmatae, ut qui eas omnes tueri voluerit tamquam Ecclesiae vel utiles vel necessarias, hic imprudentiae, ne dicam stultitiae nomine iure optimo summisque rationibus arguatur ». (!)

Probaturs thesis

Argumenta adhibita in parte praecedenti possunt trahi omnia in hanc quoque partem, quippe quae non sit aliud, quam pura illius doctrinae generalis applicatio ad unum casum particularem. Breviter ergo:

1° Ecclesia certo novit limites suae propriae infallibilitatis — Ecclesia sibi tribuit infallibilitatem in his fidei et morum rebus, quas Ecclesiae universae peremptorie ac defini-

tive proponit. Atqui talis est propositio quae ab Ecclesia fit in approbatione Ordinum religiosorum: profecto veram definitionem sonant formulae, quibus Summi Pontifices utuntur in praefata Ordinum approbatione. En formulam a Paulo III adhibitam in approbatione Societatis Iesu:

« Apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia, approbamus, confirmamus et benedicimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboramus ... Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, benedictionis, roborationis ... infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius noverit incursum ». Haec porro formula non minus definitiva ac sollemnis videtur, quam illa in canonizatione Sanctorum adhibita.

2° Finis propter quem Christus voluit institutum magisterium authenticum et infallibile est sacri depositi tuta custodia et fidelis expositio ac applicatio; seu quod idem est, homines dirigere per aptas sanctitatis et evangelicae perfectionis semitas. Atqui Summi Pontifices, cum Ordines religiosos approbant, nihil aliud faciunt, quam proponunt aptas, tutas, rectasque vias quibus ad apicem usque perfectionis christianae possint devenire. Ergo promissa divinitus assistentia iure protenditur ad hanc quoque Ordinum pontificiam approbationem.

3° Ecclesia est infallibilis in proponenda *omni* doctrina revelata de moribus, ut ostendimus in prima parte huius theseos. Atqui rueret haec infallibilitas si posset magisterium ecclesiasticum errare in approbandis Ordinibus religiosis: etenim si erraret Ecclesia in definiendo honestatem aliquarum regularum vel constitutionum, quae obiective sunt inhonestae et normis evangelicis diffformes, iam amplius non esset verum Ecclesiam esse infallibilem in proponenda *omni* doctrina honesta, et condemnanda *omni* doctrina evangelio contraria.

Dices: Nonnumquam contingit ipsam Ecclesiam suppressere, modificare, reformare Ordines religiosos prius approbatos: inde iure concluderis priores approbationes non fuisse definitivas et ir retractabiles. Atqui praerogativa infallibilitatis

tis nonnisi ad sententias definitivas ac peremptorias pertinet. Ergo ...

Resp. a) Si approbatio ecclesiastica reapse non fuit definitiva et peremptoria, versamur extra statum quaestionis, ubi infallibilitatem pontificiam ad solas approbationes sollemnes et definitivas coarctavimus. — *b)* Suo loco notavimus has leges disciplinares esse humanas et variables. Fieri potest ut quoddam determinatum Institutum, quod certo quodam tempore fuit opportunum et publico Ecclesiae bono utile, iam mutatis adiunctis et temporum conditionibus iam non amplius sit opportunum. Fieri quoque potest ut homines, non obstante sanctitate Instituti, a recta sanctitatis semita ita declinent, ut ad reformationem vel etiam suppressionem ipsius sit deveniendum. At fieri numquam potest ut Ecclesia Christi definitive approbet ut honestum id quod reapse est inhonestum; ut fidelibus universis proponat ut sanctum et evangelicum id quod revelatis morum regulis sit obiective dissonum ac difforme. Ceterum memor esto distinctionis supra stabilitae inter iudicium Ecclesiae doctrinale et prudentiale ...

4° Ultimum argumentum peti potest ex his quae disseruimus circa facta dogmatica. Profecto quaestio de approbatione Ordinum religiosorum tandem revocatur ad quaestionem de factis dogmaticis. Suo loco notavimus factum dogmaticum stricte sumptum consistere in orthodoxia vel heterodoxia scripti alicuius humani ad mentem auctoris, quia auctoris. Atqui regulae et constitutiones alicuius Ordinis religiosi sunt scriptum humanum, de cuius orthodoxia seu conformitate cum revelatis morum regulis definitivum iudicium profert Summus Pontifex, dum approbat praefatum Ordinem. Infallibilitas ergo pontificia in approbatione Ordinum religiosorum est pura et obvia sequela thesis iam demonstratae circa facta dogmatica stricte sumpta.

Scholion. — De notis et censuris theologicis.

Dabimus praecipuas *notas* quibus valor theologicus et dogmaticus propositionum solet designari, necnon *censuras* quibus notantur propositiones fidei vel bonis moribus plus minus oppositae.

De fide divina vocatur propositio continens doctrinam (formaliter) revelatam.

De fide divina et catholica dicitur propositio revelata et ab Ecclesia infallibiliter proposita seu definita sive magisterio sollemni et extraordinario, sive magisterio ordinario et universali. Solet etiam dici *dogma fidei*.

Fidei proxima vocatur propositio quae a plurimis theologis communiter habetur ut revelata.

De fide ecclesiastica vocatur propositio virtualiter revelata et ab Ecclesiae magisterio infallibiliter definita. Aliqui auctores, ut Marin Sola, Fidelis Garcia ... non admittunt fidem ecclesiasticam, et omnem conclusionem theologicam, ab Ecclesia infallibiliter definitam, *fide divina* tenendam esse contendunt.

Doctrina catholica solet dici illa quae in Ecclesiae quidem universalis professione et praedicatione clare continetur, nondum tamen fidei publicae peremptorie imponitur. Sic, ut plurimum, doctrina de fide vel moribus in Encyclicis pontificiis proposita.

Theologica certa dicitur propositio deducta ex duplici praemissa, quarum una est revelata, alia vero naturaliter certa.

Conclusio scholastica est propositio, quae ex veritate revelata probabiliter deducitur iuxta principia propria alicuius scholae aut systematis. — Et haec quidem valent de *notis* theologicis. *Censuras* quod attinet.

Haeretica vocatur propositio immediate opposita veritati de fide divina et catholica seu dogmati fidei.

Haeresi proxima dicitur propositio directe opposita veritati fidei proxima.

Erronea in fide vocatur propositio, quae directe adversatur propositioni de fide ecclesiastica.

Erronea in theologia dicitur propositio quae directe opponitur propositioni theologicae certae.

Erronea in doctrina catholica dici potest propositio quae directe adversatur doctrinae catholicae.

Sapiens haeresim vel de *haeresi suspecta* solet dici, quando haeresim videtur supponere vel ad eam conducere.

Temeraria dicitur omnis propositio, quae in re theologica sine sufficienti fundamento recedit a communi Patrum vel Theologorum doctrina. Idem dic de doctrina quae opponitur sine sufficienti fundamento decretis doctrinalibus SS. Officii.

Quid ferat propositio *scandalosa*, *seditiosa*, *schismatica*, *piarum aurium offensiva* etc., ex ipsis verbis patet. Vix opus est notare desiderari hac in re apud Auctores nomenclaturam fixam et uniformem. Liceat pauca observare.

De fide divina et catholica definita solet appellari a multis

auctoribus doctrina revelata et a magisterio ecclesiastico *sollemni et extraordinario* definita. Sed advertas ea quoque esse *definita*, quae a magisterio ordinario et universali *peremptorie* et infallibiliter proponuntur. Idem porro est valor definitionis sollemnis et ordinariae.

De fide catholica solet frequenter appellari doctrina quae sit *divinitus* (formaliter) *revelata* et a magisterio ordinario proposita. Sed notes *fidem* quoque *ecclesiasticam*, si quae admittenda videatur, esse catholicam seu universalem.

Doctrina tuta dicitur illa quae avertit periculum errandi in rebus fidei et morum. Potest autem aliqua doctrina declarari tuta variis modis: *a*) ita ut contraria non sit tuta: *b*) ita ut contraria sit etiam tuta. Tales sunt doctrinae de quibus scribit Pius Papa XI in Encyclica « Studiorum ducem »: « Neque in his rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur ». *c*) Potest aliqua doctrina *hic et nunc* esse tuta, ita ut, mutatis adiunctis, desinat esse tuta: cogita casum Galilaei. *d*) Potest aliqua doctrina ab Ecclesia declarari *non tuta*, ita ut, mutatis adiunctis, novisque detectis rationibus, incipiat esse tuta: cogita casum « commatis Ioannei », Denzinger, n. 2198.

TRACTATUS DE TRADITIONE

THESIS XX

Revelatio continetur non solum in Scriptura, verum etiam sine scripto Traditionibus.

Egimus de magisterio authentico et infallibili a Christo instituto. Suo loco notavimus hoc magisterium (subapostolicum) reddi infallibile non divina inspiratione, non revelatione, sed divina assistentia. « Neque enim Petri (et apostolorum) successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ». Vaticanum, Denzinger, n. 1836. Magisterium ergo ecclesiasticum (subapostolicum) supponit divinam revelationem prius factam et definitive clausam. Quæritur iam ubinam illa contineatur. Haec est quaestio sic dicta de *Fontibus* revelationis et ipsius magisterii. Ecclesia porro catholica constanter tenet et prædicat duos esse divinae revelationis Fontes: Scriptum et Traditum. De Scriptura ut fonte revelationis alibi agitur; nostrum est explicare doctrinam de altero revelationis fonte, qui *Traditio* nuncupatur: agendum ergo erit de traditionum divinarum existentia, organis, criteriis. Haec prima thesis agit de existentia traditionis quæ sit *novus fons* ab Scriptura distinctus et independens; procedit vero quintuplici gressu: exponitur notio traditionis — divisio traditionis — positio protestantica — positio catholica — doctrinae catholicae veritas seu iustificatio.

Notio traditionis: Traditio generatim significat transmissionem unius rei seu veritatis ex uno in alium; triplex elementum essentialiter implicatur in conceptu traditionis: omnis quippe traditio necessario præsupponit personam tradentem, actionem tradendi, obiectum traditum. Hinc triplex traditionis consideratio, quippe quæ possit spectari *subjective* = subiectum tradens — *active* = actus tradendi — *obiective* = obiectum traditum. — Traditio obiective spectata trifariam sumi potest: sensu *latissimo* significat obiectum *quolibet modo*

transmissum; unde in hoc sensu ipsa sacra Scriptura est traditio, unus nempe ex modis quibus revelata veritas transmitti potest — sensu *paulo strictiore* significat obiectum transmissum modo aliquo *diverso a Sacra Scriptura*; agitur ergo de obiecto transmissio praedicatione orali sive viva et insonanti, sive scripta et documentali — sensu *stricto* significat obiectum transmissum orali *tantum* praedicatione. Traditio ergo obiectiva presse sumpta, et adaequate considerata, est complexus veritatum divinitus revelatarum quae ab apostolis usque ad nos transmittuntur orali tantum praedicatione.

Divisio traditionis: Ratione originis traditio potest esse divina vel humana, prout habeat auctorem ipsum Deum vel hominem: Traditio divina duplex distinguitur: *dominica* si habeat auctorem Christum Dominum; *pneumatica*, si habeat auctorem Spiritum Sanctum post Christi in caelos ascensionem multa apostolis revelantem, quae ipsi, vivente in terris Domino, portare nondum poterant (Io. 16, 12-13); haec ultima solet vocari *divino-apostolica*: divina, quia venit a Deo; apostolica, quia apostolis facta est illa divina revelatio. — Humana quoque traditio duplex distinguitur: una *apostolica*, si venit ab ipsis apostolis, *qua rectoribus ecclesiarum*; *ecclesiastica*, si procedit ab Ecclesia subapostolica.

Ratione materiae traditio potest esse *dogmatica, moralis* vel *disciplinaria* prout transmittat vel dogma credendum, vel morum praecepta servanda, vel disciplinam observandam in celebratione eucharistica aut administratione sacramentorum.

Ratione connexionis cum Sacra Scriptura traditio potest esse inhaesiva, declarativa, aut constitutiva: dicitur *inhaesiva*, si voce aut praedicatione orali transmittit veritatem clare contentam in Sacra Scriptura; *declarativa*, si transmittit doctrinam obscure vel confuse contentam in Scriptura, ita ut e sola Scriptura difficulter possit ostendi; *constitutiva*, si praedicatione orali transmittit punctum aliquod doctrinale, quod in Scripturis nullatenus continetur.

Positio Protestantica in hac quaestione de traditione potest commode revocari ad puncta sequentia: agitur de Protestantibus conservativis:

a) Nullae sunt admittendae traditiones divinae sive constitutivae sive declarativae: tota quippe doctrina revelata continetur in Scripturis. Profecto Apostoli doctrinam sacram et revelatam orali prius praedicatione proposuere; at deinceps eam, quae creditu necessaria sit, totam consignavere in Scripturis divinitus inspiratis: priori ergo vivo atque insonanti magisterio, successit scriptum et biblicum magisterium. Ergo Sacra Scriptura est *unicus Fons revelationis*. Haec doctrina expresse proponitur in variis fidei confessionibus protestanticis. Sic articuli anglicani n. 6: « Sacra Scriptura continet omnia quae sunt ad salutem necessaria, ita ut quidquid in ea non legitur, neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum ». Similiter confessio Belgica: « Credimus ... quodcumque ab hominibus, ut salutem consequantur, credi necesse est, in Sacra Scriptura sufficienter contineri ».

b) Sicut nullum est a Christo magisterium externum et vivum ad *complendas* Scripturas, sic nullum magisterium externum requiritur ad *conservandas et explicandas* Scripturas. Ergo Sacra Scriptura est *unica regula fidei* pro cunctis fidelibus. Sic declaratio confessionis Augustanae (M-K. p. 569): Sacras litteras solas unicam et certissimam illam regulam esse credimus, ad quam omnia dogmata exigere oporteat ». — Eodem modo Formula Concordiae (M-K p. 517: « Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et iudicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris, tum Novi Testamenti, sicut scriptum est (Ps. 119, 105): Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Et divus Paulus inquit (Gal. 1,8) Etiamsi Angelus de caelo aliud praedicet Evangelium, anathema sit ».

c) Inde proxime consequitur Scripturam esse *unicum et supremum iudicem* in controversiis, si quae oriantur, circa materiam fidei. Sic confessio Helvetica (K-M. p. 172): Non alium in causa fidei sustinemus iudicem, quam ipsum Deum per Scripturam sacram pronuntiantem quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quidve fugiendum ». — Confessio Fidei Westmonasteriensis perfecte consonat: « Supremus iudex a quo omnes de religione controversiae sunt determinandae, omnia Conciliorum decreta, opiniones scriptorum veterum, doctrina denique hominum, et privati quicumque spi-

ritus sunt examinandi, cuiuscumque sententiae tenemur acquiescere — nullus alius esse potest praeter Spiritum s. in Scriptura pronuntiantem ». Schaff, *Creeds of Christendom*, v. III, p. 93. Brevi ergo: Secundum positionem Protestanticam: Sacra Scriptura est unicus Fons revelationis — unica regula fidei — unicus iudex in controversiis fidei.

Positio catholica clare patescit ex Concilio Tridentino et Vaticano:

Concilium Tridentinum sessione IV, Denzinger, n. 783, sic habet: « Sacrosancta et oecumenica et generalis Tridentina Synodus ... hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod... Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostoli Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti ... necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas et continua successione conservatas in Ecclesia catholica, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur ». — Sequitur doctrina de modo interpretandi Sacram Scripturam (Denzinger, n. 786): « Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctorum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ». — *Concilium Vaticanum* eandem doctrinam repetit et confirmat. Denzinger, n. 1787.

Doctrina ergo catholica, protestanticae e regione opposita, tenet et docet Sacram Scripturam non esse unicum fontem re-

velationis, nec unicam regulam fidei, nec unicum ac supremum iudicem in fidei controversiis.

Status quaestionis venit iam determinandus ac limitandus:

Tota controversia cum Protestantibus circa traditionem potest ad duo capita revocari: *Primum* est de traditione *subiective* seu active *considerata*: sitne admittendum aliquod organon a Christo institutum cui sit ab ipso Domino commissum munus custodiendi, declarandi ac tuendi integrum revelationis depositum. — *Alterum* est de traditione *obiective* seu passive *considerata*: a) sitne admittendae veritates divinitus revelatae quae in Sacra Scriptura nullatenus continentur, aut non ita continentur ut e solis Scripturis possint sufficienter demonstrari: b) num ipsae veritates revelatae in Scriptura clare contentae ad nos usque pervenerint alia via ab Scriptura distincta ac independenti. Aliis verbis: quaeritur: a) num Traditio sit fons revelationis ab Scriptura distinctus et independens; b) num Traditio sit fons revelationis Scripturam excedens. *Quaestio facile princeps* et decisiva est illa prior de traditione subiective spectata, quam totam in praecedentibus examinavimus et solvimus. Remanet ergo tractanda quaestio de traditione obiective seu passive considerata: quaestionem dividimus in duo asserta, quorum prius ostendet existentiam traditionum inhaesivarum; alterum demonstrabit existentiam traditionum declarativarum et constitutivarum.

I. EXISTIT TRADITIO DIVINA QUAE SIT FONDS REVELATIONIS AB SCRIPTURA INDEPENDENS: SEU EXISTUNT TRADITIONES DIVINAE SALTEM INHAESIVAE.

a) Primum argumentum desumitur e continuata orali praedicatione apostolica. Christus et Apostoli orali praedicatione proposuerunt multas veritates revelatas *antequam scriberentur* libri inspirati Novi Testamenti, id quod Protestantes admittunt nec possunt ullatenus in dubium vocare, cum sit evidens multos annos praedicationis oralis fluxisse antequam conscriberetur sive primum Matthaei evangelium, sive primae

epistolae Paulinae. Atqui hae veritates sunt conservatae et ad nos usque transmissae medio aliquo ab Scriptura distincto et independenti: profecto praedicatio viva et oralis non cessavit post scriptos Novi Testamenti libros, sed perduravit et continuata iugiter est sive ore ipsorum Apostolorum, sive opera illorum qui Apostolis in officio praedicationis successerunt. Cogita v. gr. dogma resurrectionis corporum, quod Christus primo annuntiavit, Paulus dein ore praedicavit, ipse Paulus deinceps scriptis inspiratis consignavit et orali rursus praedicatione annuntiare non cessavit, quodque Pauli discipuli alique praedicatores continuo usque ad nos annuntiare non desiere. Vides ipsas veritates revelatas clare in Scripturis contentas ad nos usque pervenire illibatas medio aliquo ab Scriptura distincto. Admittendae ergo sunt traditiones divinae saltem inhaesivae.

b) Id ipsum secundo probatur ex ipso facto instituti divinitus magisterii ecclesiastici. Sane superius ostendimus primum obiectum infallibilitatis ecclesiasticae esse situm in custodia atque explicatione integri depositi revelationis. Unde proxime consequitur ipsas quoque veritates in Sacra Scriptura contentas esse commissas custodiae atque explicationi magisterii ecclesiastici. Evidens ergo est eas ad nos devenire medio aliquo ab Scriptura diverso.

c) Argumentatio per viam dogmaticam habet processum obvium ac facilem. Etenim Christus instituit magisterium authenticum et infallibile perpetuo duraturum. Huic porro magisterio, utpote sacri depositi fido custodi, competit facultas determinandi genuinos revelationis fontes. Atqui hoc magisterium definivit divinam revelationem contineri in Scripturis et sine scripto traditionibus. Ergo admittenda est existentia traditionum divinarum saltem inhaesivarum.

II. ADMITTENDAE PARITER SUNT TRADITIONES DIVINAE DECLARATIVAE ET CONSTITUTIVAE: SEU ADMITTENDA EST TRADITIO QUAE SIT FONS REVELATIONIS SCRIPTURAM EXCEDENS.

Probatur primo: Sola revelatione divina constare Ecclesiae certo potest quinam sint omnes libri inspirati. Atqui haec revelatio divina non continetur in Sacris Scripturis. Ergo ad-

mittenda necessario est aliqua maximi momenti traditio constitutiva.

Prob. maior: Inspiratio biblica est factum quoddam liberum, divinum, supernaturale, quod *active* spectatum latet in essentia et decretis divinis — *passive* sumptum delitescit in internis hagiographi facultatibus — *terminative* consideratum minime elucescit in externis libri inspirati characteribus, ut alibi latius ostenditur.

Prob. min. Ex Scriptura A. T. nequit probari inspiratio librorum N. T. — Ex Scriptura N. T. potest quidem probari inspiratio librorum A. T.; at non potest ostendi inspiratio *omnium* librorum Novi Testamenti. Duo textus veniunt hic praecipuis considerandi: primo quidem textus Paulinus II Tim. 3, 16: « Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia ». Ex hoc textu probari potest inspiratio A. T. saltem quoad libros protocanonicos; at hic nihil dicitur de inspiratione librorum Novi Testamenti, quia agitur de Scripturis quas Timotheus ab infantia didicerat. Dein considerandus est textus Petrinus II Petr. 3, 15-16: « charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistulis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ». Ex hoc textu potest probari inspiratio *aliquarum* epistularum S. Pauli; sed nequit determinari *quot et quatenam* sint epistolae inspiratae a Paulo conscriptae. Ceterum advertas: qui vellet ex his duobus textibus, *ut inspiratis*, probare inspirationem *integri* canonis biblici, deberet prius demonstrare has duas epistulas esse inspiratas. Atqui id ex ipsis epistulis demonstrari nullatenus potest.

Dices: Ipsi hagiographi Novi Testamenti potuerunt suis lectoribus notificare factum inspirationis. Ergo ad cognoscendum factum inspirationis biblicae non requiritur nova quaedam revelatio divina.

Resp. a) Non certo constat num *omnes* hagiographi de facto habuerint conscientiam suae propriae inspirationis; illos *potuisse* habere hanc conscientiam, facile conceditur; illos omnes *de facto* habuisse hanc claram conscientiam et quidem quoad omnes partes libri manet incertum.

b) Dato quod omnes hagiographi habuerint hanc con-

scientiam, illamque de facto notificaverint suis lectoribus, oporteret explicare quomodo tunc orta sint tot dubia et controversiae de canone integro Sacrarum Scripturarum maxime quoad libros deuterocanonicos.

c) Non sufficit testimonium unius hominis in re adeo subiectiva et mysteriosa quale est phaenomenon inspirationis: oporteret ut singuli hagiographi suum testimonium confirmarent additis miraculis aut vaticiniis re impletis; id ab omnibus et singulis N. T. hagiographis fuisse factitatum gratis asseretur.

Dices iterum: At librorum sacrorum origo divina elucere sufficienter potest ex internis ipsorum characteribus, quales sunt doctrinae puritas, sanctitas, sublimitas, harmonicis partium concentus atque venustas, ipsa demum, qua pollens, virtus ad excitandum divini gustum et saporem. Ergo nova quaedam divina revelatio minime necessaria reputari debet.

Resp. a) Hi singulares characteres sumuntur vel collective omnes; vel seorsum singuli: si primum, oportet fateri non omnes libros recensitos in canone sive catholico sive protestantico esse reapse inspiratos, cum evidens sit non in omnibus et singulis Scripturis elucere praefatos characteres; si secundum, oportet fateri inspirationem non paucorum librorum pure humanorum, quippe in quibus non minus eluceant aliqui ex dictis characteribus.

b) Si verum foret singulos quosque libros inspiratos polere illa mirabili virtute excitandi in lectore singularem illum divini gustum, oporteret explicare qua arte fiat, ut multi pii ac devoti Scripturae lectores praefatum gustum nullatenus experiantur; oporteret rursum explicare quomodo sint ortae tot controversiae in determinando canone Scripturarum.

Dices tertio: Singuli fideles possunt discere ex magisterio ecclesiastico quinam sunt omnes et singuli libri inspirati. Ergo nova quaedam revelatio divina non amplius requiritur.

Resp. a) Protestantes, cum quibus controvertimus, non admittunt magisterium ecclesiasticum.

b) Singuli fideles possunt certo scire factum inspirationis biblicae ex magisterio ecclesiastico. Sed ipsum magisterium ecclesiasticum indiget revelatione divina ad cognoscendum quinam sunt omnes et singuli libri inspirati.

Nota bene: Velim diligenter consideres gravitatem et mo-

mentum rei, quam in hoc primo argumento tractavimus. Prima et fundamentalis quaestio solvenda a Protestantibus, qui monopolium biblicum tantopere extollunt, est certo scire *quid est Scriptura*, id est, quinam sunt omnes illi libri quibus Sacra-Scriptura constituitur. Porro Protestantes, pessumdato magisterio ecclesiastico, omnem viam huius quaestionis certo solvendae sibi praecloserunt.

Aliae quoque sunt veritates revelatae, quas sola traditione orali certo pervenimus. Huc spectant valor baptismi pueris collati, validitas baptismi ab haereticis administrati, septenarius numerus sacramentorum, ternarius numerus sacramentorum characterem imprimendum, etc.

Probatum secundo ex persuasione antiquitatis christianae.

Tertullianus loquens de oblationibus quae fiunt pro defunctis scribit: « Harum et aliarum huiusmodi disciplinarum si legem exostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi protenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix ».

Dionysius de Hier. eccl. c. 1 scribit: « Summa illa et supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, iuxta quod sacrae definiunt leges, nobis tradiderunt ».

Basilium in 1. de Spiritu Sancto, c. 27: « Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et praedicationibus, alia quidem habemus ex doctrina scripta, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus; quorum utraque eandem vim habent ».

Origenes in Comment. ad Rom. V, 9: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare ».

Epiphanius adversus haereses, 61, 6: « Traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idecirco alia scripto, alia traditione sanctissimi Apostoli reliquerunt ».

Chrysostomus in II Thessal. homil. 4: « Hinc est perspicuum quod non omnia (apostoli) tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; et ea quoque sunt fide digna ... Est traditio, nihil amplius quaeras ».

Hieronymus in dial. contra Luçif. nn. 8 et 9: « An nescis ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur et ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum

sit? In actibus apostolorum. Etiam si Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret ... Multaque alia scripta non sunt, quae rationabilis observatio vindicavit ».

Augustinus loquens de consuetudine non rebaptizandi eos qui ab haereticis baptizati erant, scribit: « Consuetudinem credo, ex apostolica traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur ».

Tertium argumentum suppeditabit modus agendi Christi, Apostolorum, necnon ipsa indoles scriptorum Novi Testamenti.

a) *Christus ipse* egregie quidem praedicavit, at nihil scripsit — Apostolis vero mandavit praedicare, non scribere — promisit quoque se futurum cum Apostolis docentibus eorumque successoribus usque ad consummationem saeculi. Si scripta inspirata debent substituere orali ac viventi magisterio, ut volunt Protestantes, non apparet quomodo Christus sit cum Apostolis praedicantibus usque in finem saeculi.

b) *Apostoli omnes* mandatum Christi fideliter exequuntur, maior tamen ipsorum nihil scribunt — Illi ipsi qui scribunt, primo quidem remittunt suos lectores ad traditiones tum scriptas tum orales. Sic Paulus II Thessal. 2, 15: « Itaque, fratres, state; et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram ». Deinde vero suos discipulos ac delegatos iubent non tam colligere, reproducere ac diffundere scripta inspirata, quam efformare praedicatores ecclesiasticos, qui ea quae ipsi *audierunt*, debent aliis tradere. Sic ipse Paulus II Tim. 2, 2: « Quae a me audisti per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere ». — Paulus praeterea expresse docet fidem esse concipiendam *ex auditu* (Rom. 10, 17): hinc ad eius unitatem procurandam exhibentur caelitus dati non tam scriptores, quam praedicatores (Ephes. 4, 11 sq.). Patet ergo Apostolos voluisse continuatum suum magisterium orale non mero Scripturarum mortuo instrumento, sed vivo atque insonante praedicatorum ministerio.

c) *Ipsa indoles Scriptorum* Novi Testamenti rem totam

illustrat et confirmat. Historice constat id quod ipsa librorum dispositione manifestum redditur, singulos libros scriptos fuisse oblata occasione, aut aborta aliqua particulari necessitate, ad aliquem specialem scopum; plerosque directos esse ad particulares ecclesias, ad singulares personas; et in modo tractandi esse accommodatos specialibus tunc existentibus adiunctis. Nusquam apparet in scriptoribus propositum proponendi integre, ordinate et didactice totam doctrinam revelatam. Nec libri posteriores dici possunt generatim scripti ad supplendos priores. Merito ait Bainvel libros Novi Testamenti potius scriptos esse ut ore tradita in memoriam revocarentur, ut magistri vivi absentia suppleretur, ut errores ingruentes falsique magistri refellerentur. Iamvero haec talis librorum origo, scopus et destinatio; haec talis scriptorum interna dispositio ac mutua habitudo sat clare ostendunt nec Apostolorum nec ipsius Spiritus Sancti consilium fuisse scripta sic comparata substituere orali ac viventi pastorum ac doctorum magisterio, et integram doctrinam revelatam creditu necessariam scriptis comprehendere.

Scholion I. — *De habitudine Traditionis ad Scripturam.*

Ostendimus duos esse divinae revelationis fontes: utile erit hos duos fontes ad invicem comparare. Haec porro comparatio institui potest in ordine chronologico seu temporis — in ordine logico seu cognitionis — in ordine ontologico seu dignitatis et auctoritatis.

a) *Ordo chronologicus* si spectetur, traditio antecellit Scripturam, idque tum in Antiquo tum in Novo Testamento. Primus Antiqui Testamenti liber inspiratus habuit auctorem Moysen; porro ante Moysen multa oracula divina per traditionem transmittentur iam inde a primo omnium parente per varios divinae veritatis ac iustitiae praecones. In Novo Testamento antequam forent conscripta sive hebraicum Matthaei Evangelium, sive primae epistulae Paulinae multa dogmata christiana transmittentur orali praedicatione eorum quos ipse Christus redivivus dedit Ecclesiae apostolos, prophetas, doctores, evangelistas.

b) *Ordo logicus* si consideratur, traditio rursus ante-

cellit Scripturam. Nequit enim Sacra Scriptura nobis esse fons divinae revelationis, nisi prius constet de librorum sacrorum authentia, integritate, credibilitate, inspiratione. Atqui haec omnia, ut plurimum, nobis non certe constant per ipsam Scripturam, sed per viam traditionis et magisterii. Ergo ...

c) *Extensio obiectiva* si attenditur, traditio partim excedit Scripturam, partim a Scriptura exceditur: traditionem excedere amplitudine Scripturam patet ex his quae diximus de existentia traditionum divinarum constitutivarum: dantur veritates revelatae nobis per traditionem asservatae et transmissae, quae in Sacris Scripturis nullatenus continentur. Traditionem vicissim excedi per Scripturam patet ex eo quod in Scripturis potissimum Antiqui Testamenti non pauca inspirata hinc et nobis revelata continentur sic dicta profana, quae ad ordinem religiosum et soteriologicum minime pertinent, ideoque non sunt obiectum traditionis et magisterii ecclesiastici.

d) *Ordo dignitatis* et auctoritatis si premitur, oportet distinguere: Traditio *obiectiva* et Scriptura *obiectiva*, sunt eiusdem dignitatis et auctoritatis; ideo ait Concilium Tridentinum quod Ecclesia haec utraque suscipit pari pietatis affectu, et pari reverentia veneratur: si vero traditio *subiectiva* seu activa comparetur cum Scriptura *subiectiva* seu activa, Scriptura excedit dignitate traditionem; Scriptura *active* est formaliter verbum Dei; traditio *active* non *est* formaliter verbum Dei, sed *continet* verbum Dei.

e) *Ordo dependentiae* demum venit considerandus: Scriptura dependet a traditione seu magisterio quoad nos; quippe Scriptura est divinitus tradita magisterio ecclesiastico custodienda, authentice interpretanda et tutanda: vicissim traditio et magisterium vivum dependet ab Scriptura *ut fonte revelationis* ex quo haurit doctrinam quam fidelibus praedicat. Inde intelliges quo sensu Scriptura dici consuevit *regula remota* fidei, dum magisterium ecclesiasticum pronuntiatur *regula proxima* fidei: agitur de regula fidei *divinae et catholicae*; at inde minime consequitur Sacram Scripturam non posse esse regulam proximam fidei particularis in his textibus quorum sensum Ecclesiae magisterium hactenus non determinavit, exegeta vero vel theologus in re biblica bene versatus clare perspexit: aliis verbis, ex vulgata passim doctrina de

Ecclesiae magisterio regula proxima fidei divinae *et catholicae* perperam deduxeris omnem fidem divinam debere necessario esse catholicam. Conferas, si placeat, ea quae de hoc argumento scripsimus in Gregorianum, v. XXV, p. 269 sq.

Scholion II. — *De habitudine Traditionis ad Magisterium ecclesiasticum.*

Quaestio de habitudine Traditionis ad magisterium ecclesiasticum nostris diebus est accuratissime examinata opera P. Deneffe S. J., qui a 1931 edidit opus cui titulus: *Der Traditionsbegriff*. Huius operis falsa interpretatio et intelligentia ansam dedit gravi errori, qui recenter vulgatus est sub nomine *Problematis theologici*, et a Sancta Sede condemnatus. Operae ergo pretium erit huius operis contentum paucis exhibere, illudque brevi examini subiicere. Totius operis doctrina in synthesim ab ipso auctore redacta sic habet:

Traditio dogmatica dupliciter dicitur potissimum.

1. Uno modo et *sensu principali* sumpta traditio est ipsa fidei praedicatio infallibilis a magisterio vivo exercita; quae accipitur vel sensu *activo*: ipsum praedicare et docere, vel sensu *obiettivo et passivo*: veritas vel summa veritatum fidei, quatenus a magisterio infallibili proposita et ex ore magisterii a fidelibus accepta est. Distingui potest prout vel ab apostolis personaliter vel ab eorum successoribus proponitur: traditio *constitutiva*, i. e. praedicatio ab apostolis personaliter exercita, qua depositum fidei constitutum est; et traditio *continuativa* per successores apostolorum exercita, sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio. Prior ab altera eo distinguitur, quod apostoli quidem veritates tradendas immediate a Deo, successores autem ab apostolis resp. aliis successoribus acceperunt, praeterea unusquisque apostolorum personaliter infallibilis erat, solus successor Petri personali infallibilitate gaudet. At quoad obiectum et quoad auctoritatem et infallibilitatem magisterii et quoad internam essentiam tradendi sive docendi sive praedicandi, traditio constitutiva et continuativa non differunt. Quare iuste sub uno conceptu univoco subsumuntur et uno vocabulo nominantur, nempe Tradi-

tionis dogmaticae. Utraque sc. constitutiva et continuativa, est etiam traditio apostolica, hoc communi sensu, quod utraque ab apostolis procedit et veritates ab ipsis praedicandas vel praedicatas pro obiecto habet; sed cum differentia, quod traditio constitutiva immediate, continuativa mediate sc. mediantibus successoribus, ab apostolis procedit; traditio constitutiva depositum fidei constituit, continuativa hoc ipsum depositum conservat et fideliter explicat.

Analogice ad principalem traditionis conceptum interdum *ipsum magisterium* vel personae magisterium tenentes vocantur traditio; item interdum scientia vel *conscientia catholica* vel intellectus catholicus in magisterio insidens audit traditionem; item interdum traditio dicitur esse propagatio vel annuntiatio fidei *per totam Ecclesiam*, etiam per laicos facta, quae tamen propriissime traditio, auctoritativa nempe et infallibilis, non est nisi quatenus a magisterio procedit.

2. Alio modo, sc. *sensu derivato et secundo*, traditio sunt *documenta* factae praedicationis ecclesiasticae, seu documenta traditionis priore modo sumptae, ut sunt scripta Patrum et theologorum, inscriptiones, opera artis, fides fidelium, leges orandi vel colendi Deum. In his documentis praedictio prioris magisterii deposita sive integra sive ex parte iacet. Quodsi magisterium posterioris temporis ex his documentis haurit doctrinam prioris magisterii — quae via est possibilis et quoddammodo moraliter necessaria ad praedicationem ecclesiasticam, — haurit tamen ultimatim ex seipso. Nam magisterium posterioris aetatis numero idem est cum magisterio priore, sicut numero una Ecclesia et una Christi sponsa est nunc et prioribus et sequentibus saeculis, licet personae physicae aliae et aliae sint.

3. Traditio principali sensu sumpta est *regula fidei proxima*. Traditio sensu derivato sumpta, sc. monumenta prioris doctrinae, potest vocari vero quodam sensu regula fidei *remota*, sed ita, ut non negetur, aliquam traditionem, nempe sensu principali sumptam, esse regulam fidei proximam.

4. Breviter dici potest: theologia dogmatica ex traditione primaria *directe* haurit doctrinam Ecclesiae, ex traditione sensu derivato *indirecte* doctrinam Ecclesiae invenit.

5. Non convenit traditionem exclusive restringere ad veritates fidei in S. Scriptura non contentas, praesertim quia

hoc modo obscuratur principalis conceptus traditionis, quae est praedicatio cuiusvis veritatis fidei et totius depositi magisterio ecclesiastico concrediti. Praeterea usus theologorum recedit ab hac restrictione, quoties pro una eademque veritate, e. g. pro reali Christi in Eucharistia praesentia, argumenta tum e S. Scriptura tum e traditione afferunt; idem ergo dogma et in S. Scriptura et in traditione contineri potest; immo omne argumentum dogmaticum ex S. Scriptura eatenus est argumentum ex traditione, quatenus ex doctrina magisterii ecclesiastici habemus dogma de inspiratione et normam rectae expositionis sacri textus. Quod si, ut saepe fit, traditio a Scriptura distinguitur, hoc non revocandum est ad diversitatem obiectorum, quasi traditio contineat tantum veritates in S. Scriptura non consignatas; sed ad diversum modum transmissionis et propositionis doctrinae fidei.

Crisis. Exposuimus doctrinam P. Deneffe de traditione eiusque habitudine ad magisterium ecclesiasticum. Reliquum est ut eam examini et crisi subiiciamus: vix opus est notare pleraque, quae in praefata synthesi continentur, nobis probari; quaedam tamen observanda occurrunt.

1. In notione *primaria* traditionis desideratur consideratio traditionis ecclesiasticae authenticae quidem, sed non peremptoriae et infallibilis, ad quam spectant tot documenta magisterii ecclesiastici, quorum continuus est in theologia usus. Responderi forsitan possit auctorem voluisse considerare traditionem tantum *dogmaticam*. At hic latet aequivocatio, quae funesta esse potest. Traditio potest dici dogmatica duplici sensu: primo quidem sensu *obiectivo*, seu ratione obiecti aut veritatis sacrae revelatae quae transmittitur; talis porro veritas potest tradi a magisterio ecclesiastico mere authentico. Traditio dein potest dici dogmatica sensu *subiectivo* seu ratione modi peremptorii quo proponitur, et tunc quoque manet difficultas de omissa consideratione traditionis mere authenticae.

2. In notione *secundaria* traditionis desiderantur principalia ipsius documenta, qualia sunt decreta dogmatica papalia, conciliaria, symbola fidei, confessiones fidei ... Quae omnia ex una quidem parte non pertinent ad sensum traditionis primigenium, cum non sint sive actus tradendi, sive res tra-

dita; ex alia vero parte non possunt trahi ad sensum traditionis secundarium ab auctore determinatum. Vix intelligi potest quare auctor haec nobilissima documenta constanter velit exclusa e censu documentorum traditionis ecclesiasticae.

3. Doctrina auctoris ex qua parte docet vivum Ecclesiae magisterium, utens documentis aetatis praeteritae, ultimam *a seipso dependere*, indiget accuratiori expositione. Ecclesia hodierna eadem certe est numerice cum Ecclesia antiqua; eadem quoque est potestas magisterii hierarchica. At *documenta* traditionis re differunt ab ipso magisterio: quaestio porro erat de magisterii dependentia ab *his documentis*. Nequit ergo simpliciter asserti quod hodiernum vivum magisterium ultimam *a seipso* dependeat.

4. Doctrina auctoris ex qua parte asserit omne argumentum dogmaticum ex S. Scriptura eatenus esse argumentum ex traditione, quatenus ex doctrina magisterii ecclesiastici habemus dogma de inspiratione et normam rectae expositionis sacri textus, indiget rursus accuratiori explicatione. Missa quaestione de necessitate magisterii ecclesiastici ad cognoscendam inspirationem *Antiqui Testamenti*, nequit dici magisterium ecclesiasticum esse normam rectae expositionis *omnis* textus sacri: sunt multi textus sacri quorum sensus rectus est apprime determinatus opera exegetarum et theologorum, de quibus magisterium ecclesiasticum hactenus nihil determinavit. Quin immo, pauci sunt textus biblici, quorum sensus sit ab Ecclesiae auctoritate definitus.

Dignum est quod in hunc locum inseratur aureum monitum Pii Papae XII in magnificis Litteris Encyclicis « Divino afflante Spiritu »: « Illud enim inprimis ante oculos habeant, in normis ac legibus ab Ecclesia datis, de fide morumque doctrina agi; atque inter multa alia quae in sacris libris legalibus, historicis sapientialibus et propheticis proponuntur, *pauca tantum esse quorum sensus ab Ecclesiae auctoritate declaratus est, nec plura esse, de quibus unanimes sanctorum Patrum sit sententia*. Multa igitur remanent, eaque gravissima, in quibus edisserendis et explanandis catholicorum interpretum acumen et ingenium *libere exerceri potest ac debet*, ut ad omnium utilitatem ad maiorem in dies sacrae doctrinae profectum, et ad Ecclesiae defensionem et honorem ex suo viritim quisque conferat. Haec est vera filiorum Dei libertas, quae et Eccle-

siae doctrinam fideliter teneat, et quaecumque profana attulerit cognitio, tamquam Dei donum grato accipiat animo et adhibeat, studio utique omnium elata et sustentata, omnis sinceri fructus *omnisque in scientia catholica solidi profectus condicio est et fons* ».

5. Doctrina de *regula proxima fidei* debet compleri. Traditio *sensu etiam secundario* potest esse regula proxima fidei. Cogita decreta dogmatica Tridentina, Vaticana ... quae evidenter sunt proxima fidei regula pro cunctis fidelibus, nec possunt trahi ad primigenium traditionis sensum; siquidem non sunt nec actus tradendi, nec obiectum traditum.

6. Theologia potest haurire doctrinam Ecclesiae ex traditione *sensu secundario* accepta non tantum indirecte, sed etiam *directe*, idque ob eandem rationem: praesentia Christi eucharistica potest directe demonstrari ex decretis dogmaticis Tridentinis, quae sunt documenta ecclesiasticae praedicationis, ideoque traditio *sensu secundario* accepta.

7. Identitas adaequata traditionis cum magisterio ecclesiastico admitti nequit, idque duplici de causa: primo quidem quia datur traditio *sensu secundario* accepta, quae, etiam secundum placita auctoris, differt a magisterio ecclesiastico. Secundo quia ipsae personae tradentes possunt esse extrahierarchicae: cogita Hieronymum, Damascenum, Iustinum ... qui multa egregie tradunt, nec tamen sunt subiectum magisterii authentici et infallibilis. Verum quidem est valorem *theologicum* vel dogmaticum eorum, quae ab his doctoribus traduntur pendere ab eorum connexionione cum magisterio ecclesiastico, sed verum quoque est has personas tradentes, ideoque traditionem subiective spectatam, realiter differre a magisterio ecclesiastico.

Quaeres num magisterium ecclesiasticum dici recte possit *fons revelationis*. Affirmat Dieckmann, de Ecclesia, n. 858 sq. scribens: « Christus, auctor Ecclesiae totam doctrinam suam apostolis eorumque in munere successoribus, i. e. magisterio vivo et authentico, tradidit custodiendam et exponendam. Iamvero exercitium talis magisterii vivi est in eo ut hanc revelationem ceu depositum sibi commissum inviolatam teneat (in conscientia sua sociali) et praedicet; haec igitur praedicatio Ecclesiae perennis perenniter totum depositum continet. Ergo

magisterium vivum, vi conceptus, est fons veritatis sibi commissae sufficiens. Hanc fuisse *mentem Ecclesiae* inde a primis temporibus antea demonstratum est. Sed etiam postea, teste Ecclesia postapostolica, *magisterium vivum ut principalis fons habetur* ».

Negat Salaverri, de Ecclesia Christi, n. 805 scribens: « Ex demonstrata thesi de Traditione concludimus, distinguendos probe esse revelationis Fontes ab Ecclesiae magisterio. Tamquam revelationis Fontes Traditio et Scriptura auctoritate prorsus aequiparandae sunt, prout eas Concilia Tridentinum et Vaticanum aequiparaverunt. Atqui nemo identificat Scripturam cum Magisterio. Ergo neque cum eo identificanda est traditio prout et quatenus revelationis fons est ... Iuxta Concilium Vaticanum Scriptura et Traditio sunt simpliciter verbum Dei scriptum et traditum, Magisterium vero est mere custos et declarator verbi Dei scripti vel traditi ».

Quaestio solvi non potest sine praemissa notione Fontis revelationis. Notio porro Fontis apud Dieckmann haec est: « *Fons* est id, ex quo notitia vel cognitio alicuius rei hauriatur. Fons ergo doctrinae revelatae ille est, ex quo Ecclesia hauriat veritates depositi fidei ». l. c. n. 857. Notio Fontis apud Salaverri eadem fere est: « Fons revelationis, ad fontis aquae similitudinem, dicitur in genere locus in quo continetur et ex quo hauriri potest divina revelatio » l. c. n. 769. Atqui documenta magisterii ecclesiastici sunt locus in quo continetur et ex quo hauriri potest a fidelibus divina revelatio. Notio ergo fontis revelationis his documentis deneganda non videtur. Ad rem totam illstrandam utilis forte erit analysis et comparatio triplicis notionis: Scripturae — Traditionis — Magisterii.

Notio Scripturae necessario implicat quatuor elementa: personas scribentes duas: unam principalem et divinam, aliam secundariam et humanam (hagiographum) — actum scribendi — obiectum seu veritatem scriptam — terminum scriptio- nis seu librum inspiratum in quo continetur et ex quo hauriri potest veritas revelata. Scriptura ergo potest spectari subiective — active — obiective — terminative.

Notio Traditionis similiter complectitur quatuor elementa: personam tradentem — actum tradendi — obiectum seu veritatem traditam — terminum traditionis seu documenta traditionis in quibus continetur et ex quibus hauriri a fideli-

bus potest veritas revelata. Traditio ergo, sicuti Scriptura, potest spectari subiective — active — obiective — terminative.

Notio Magisterii ecclesiastici similiter complectitur: personam docentem — potestatem magisterialem seu docendi — actum docendi — obiectum edoctum seu praedicatum — terminum perseverantem actionis magisterialis, i. e. documenta magisterii in quibus continetur et ex quibus hauriri potest veritas revelata et a magisterio proposita. Magisterium ergo, sicuti Scriptura et Traditio potest spectari: subiective — active — obiective — terminative. Age iam: Sicuti Scriptura et Traditio terminative spectata recte dicuntur fontes revelationis, sic Magisterium ecclesiasticum terminative consideratum recte dici potest fons revelationis: quin immo *primaria* documenta traditionis sunt praecise documenta Magisterii ecclesiastici, qualia sunt scripta dogmatica papalia et conciliaria, symbola fidei etc., in quibus continetur et ex quibus hauriri potest veritas divinitus revelata. Ex his patet responsio adhibenda ad argumenta proposita a P. Salaverri:

1. Traditio et Scriptura auctoritate aequiparantur. Atqui Magisterium et Scriptura auctoritate non aequiparantur. Ergo Magisterium non est Traditio, nec proinde fons revelationis. — Responsio patet ex dictis: Traditio *obiectiva* auctoritate aequiparatur cum Scriptura *obiectiva*; sed magisterium quoque *obiectivum* auctoritate aequiparatur cum Scriptura *obiectiva*. In utroque casu habetur auctoritas infallibilis: non minus repugnat falsitas in obiecto a magisterio infallibiliter proposito, quam repugnat in obiecto divinus inspirato.

2. Magisterium ecclesiasticum praesupponit fontes revelationis, quos custodit et declarat. Ergo Magisterium nequit proprie dici fons revelationis. — *Resp. a)* Magisterium postapostolicum praesupponit fontes revelationis, Trans.; Magisterium apostolicum praesupponit fontes integre constitutos, N.; partialiter constitutos, C.; Magisterium apostolicum docet tum praedicatione orali, tum praedicatione scripta divinitus inspirata ab his exercita, qui habuerunt charisma inspirationis biblicae; sub utroque respectu complet fontes revelationis: magisterium ergo apostolicum nequit dici merus custos et declarator fontium, sed verus constitutor. — *b)* Nec ipsum magisterium postapostolicum potest dici custos fontium mere passivus, sed vere activus. Etiam magisterium postapostolicum

docet authentice et infallibiliter tum praedicatione orali, tum praedicatione scripta. Haec porro documenta scripta magisterii sunt verus fons revelationis, quippe quae sint locus in quo continetur et ex quo hauriri potest revelatio divina.

3. « Scriptura et Traditio, ut revelationis fontes, sunt verbum Dei scriptum et traditum. Atqui Scriptura non est proprie revelationis fons si *active* consideretur, quatenus nempe est formaliter actio scribendi, sed *obiective* quatenus est verbum Dei scriptum. Ergo a pari Traditio non est proprie revelationis fons si *active* inspiciatur, quatenus nempe formaliter est actio tradendi, sed *obiective* potius quatenus est verbum Dei traditum ». S. I. c. n. 806.

Resp. a) Ex hoc argumento ut summum sequeretur magisterium *active* spectatum non esse fontem revelationis, sed non sequitur magisterium *obiective* et *terminative* spectatum, quatenus est verbum Dei a magisterio traditum, non esse fontem revelationis.

b) Ex eo quod Scriptura *active* spectata non sit fons revelationis non sequitur Traditionem *active* spectatam non posse esse fontem revelationis; datur quippe manifesta disparitas. Actio scribendi sub inspiratione non est actio qua fideles docentur et illustrantur, quippe qui, quamdiu non vident (vel audiunt) ipsum librum inspiratum, nihil percipiunt de veritate revelata; e contra actio tradendi oralis est actio qua fideles edocentur de divina revelatione, est vere locus ex quo haurire possunt praefatam revelationem.

c) Doctrina Salaverri in hac parte est difficilis et obscura, ideoque indiget ulteriore explicatione. Ex una parte asseritur fontem revelationis esse locum in quo continetur et ex quo hauriri potest divina revelatio; ex alia parte asseritur Scripturam fontem esse Scripturam *obiective* spectatam: sed Scriptura *obiective* spectata est obiectum scriptum, est veritas revelata scripta; at veritas revelata scripta non est locus in quo continetur et ex quo hauritur divina revelatio, sed est id quod in loco continetur, quod ex loco hauritur: fit ergo confusio inter continens et contentum. Cum Concilium Tridentinum ait revelationem divinam *contineri* in Sacris Scripturis, non loquitur de Scripturis *obiective* consideratis, sed Scripturas intelligit *terminative*, i. e. ipsos libros inspiratos Antiqui et Novi Testamenti, qui ibi recensentur. Hunc lo-

quendi et intelligendi modum tenet ipse auctor scribens: « Sacra Scriptura, seu verbum Dei scriptum, est complexus veritatum Deo inspirante revelatarum, quae in sacris Veteris et Novi Testamenti *libris continentur* » S. l. c. n. 779. Ubi veritates revelatae Deo inspirante, seu Scriptura *obiective* considerata, apprime distinguuntur a libris inspiratis seu Scriptura *terminative* spectata. Si nomine fontis revelationis intelligatur locus in quo veritas revelata continetur, Scriptura *obiective* considerata nequit dici fons revelationis, quia veritas revelata a Deo inspirata non continetur in obiecto divinitus scripto, sed in libris Deo inspirante scriptis. Quod de Scriptura dixi, id ipsum intelligas de *Traditione* altero revelationis fonte.

Conclusio: Quaestioni ergo propositae num Magisterium ecclesiasticum recte dici possit fons revelationis, respondendum videtur cum distinctione: Si nomine magisterii intelligatur subiectum aut organon docens; vel ipsa potestas magisterialis — sic illud intelligit Salaverri — respondendum est negative; si magisterium intelligatur sensu obiectivo-terminativo, respondendum est affirmative, siquidem documenta magisterii infallibilis sunt locus in quo continetur et ex quo hauriri potest veritas revelata.

THESIS XXI

Unanimis sive Patrum sive Theologorum in rebus fidei et morum consensus certum suppeditat divinae revelationis criterium.

Connexionem materiae dabunt nonnullae observationes introductoriae.

α) Duplex est quaestio principalis de Traditione in nostra cum Protestantibus controversia: una est de traditione *obiective* seu passive spectata: num sint admittendae traditiones divinae sive inhaesivae, sive declarativae, sive constitutivae; de hac egimus in thesi praecedenti. Ubi ostendimus harum traditionum existentiam; unde conclusimus cum Tridentino et Vaticano Scripturam non esse unicum fontem re-

velationis divinae, quippe quae continetur in Scripturis, et sine scripto Traditionibus.

b) Altera quaestio est de Traditione *subiective* seu active spectata: num sit admittendum aliquod organon seu magisterium externum et vivum a Christo institutum cui sit divinitus concreditum munus custodiendi, explicandi et tutandi sacrum revelationis depositum: de hac egimus in tractatu de Magisterio ecclesiastico. Ubi ostendimus huius organi magisterialis divinam institutionem, subiectum, obiectum variamque exercitii formam.

c) Magisterium porro ecclesiasticum subapostolicum in suo custodis et magistrī explendo officio non utitur divina inspiratione, non revelatione, sed divina assistentia; at haec assistentia non dispensat magistros ecclesiasticos ab officio scrutandi seu inquirendi fontes revelationis, qui sunt Scriptura et Traditio. Sicut Scriptura continetur in libris inspiratis Antiqui et Novi Testamenti, sic Traditio continetur in sic dictis *documentis* et *monumentis traditionis*. Quid sibi velint haec documenta facile intelliges si in memoriam revocas notionem traditionis superius explicatam. Traditio hierarchica in suo conceptu necessario includit: personam tradentem — potestatem tradendi — actum tradendi — obiectum traditum. Personae quidem tradentes transeunt; transeunt quoque actus tradendi; at duo manent: manet primo hierarchica tradendi potestas, quae continua successione transmittitur; manet quoque obiectum traditum. Manet porro hoc obiectum quasi insertum et implicatum sive in intellectu catholico Pastorum et Doctorum, sive in conscientia viva et sociali populi christiani, sive demum in variis documentis et monumentis traditionis, qualia sunt symbola fidei, confessiones fidei, scripta dogmatica papalia, decreta dogmatica conciliaria, scripta Patrum, opera Theologorum scholastica, ascetica, mystica, documenta liturgica, opera artis sacrae picta, sculpta, multifariam graphica

d) Documenta traditionis alia sunt primaria, alia secundaria seu indirecta. Priora sunt illa quae directe proveniunt ex ipso magisterio ecclesiastico, ut sunt decreta papalia, conciliaria, symbola fidei, confessiones fidei ... Haec documenta quotiescumque implicant exercitium magisterii authentici et infallibilis, nobis suppeditant criterium primum, omnimode

certum divinae traditionis. Documenta secundaria sunt illa quae directe non proveniunt ab ipso magisterio ecclesiastico authentico, sed ab aliis auctoribus, qui tamen sunt in unione et consensu cum magisterio ecclesiastico. Inter haec porro documenta traditionis secundaria principem locum occupant scripta Patrum et Theologorum. Cum horum documentorum continuus sit in argumentatione theologica usus, merito quaeritur qualiter sit aestimanda ipsorum dignitas et valor theologicus.

Notio Patris est analogica: Pater sensu proprio vocatur is qui alium genuit, a quo hic habet ut vivat et sit; at duplex est in homine vita: una naturalis sita in coniunctione corporis cum anima; alia supernaturalis sita in coniunctione animae cum Spiritu Christi vivificante. Haec porro vita generatur fide et baptismo: pater ergo sensu analogo dici potest quicumque alium ad vitam supernaturalem disposuit per baptismum et institutionem doctrinalem christianam. Patris ergo nomen praeprimis competit *Apostolis*; unde merito Paulus ad Corinthios: « Etsi decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui ». I Cor. 4, 15. Similiter ad Galatas: « filiolos quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis » Gal. 4, 19. Patris nomen simili iure competit *episcopis*, quippe qui triplici, quo pollent, ministerio sacerdotali, magisteriali et regali filios Ecclesiae continuo generant; profecto primis christianitatis saeculis omnes episcopi hoc patris titulo insigniebantur. Vides iam patris nomen et dignitatem ab illo potissimum posse vindicari, qui est episcopus episcoporum, a Romano Pontifice quem Concilium Florentinum definiendo proclamavit « verum Christi vicarium, totius Ecclesiae caput et omnium christianorum *patrem* et doctorem ». Denzinger, n. 694. Vides quoque hoc patris nomen, etsi sensu tenuiori, ad multos alios posse protendi, qui, quamvis dignitate et potestate episcopali careant, opere tamen doctrinali et sacramentali multiformi filios Deo et Ecclesiae iugiter procurant.

Patres Ecclesiae sensu stricto et iamdudum tecnico appellantur viri ecclesiastici antiquitate, doctrina, sanctitate praestantes, quos Ecclesia velut testes et magistros doctrinae

ab apostolis traditae veneratur. Ad huius definitionis normam quatuor conditiones requiruntur ad dignitatem patristicam: temporis antiquitas, doctrinae praestantia, vitae sanctitas, Ecclesiae approbatio. Pauca de singulis:

Antiquitatem requirit ipsa notio Patris: patres quippe censentur illi qui instruxerunt non aliquam particularem, sed universalem Ecclesiam adolescentem; aetas porro adolescentiae ecclesiasticae perdurare censetur toto illo tempore quo praecipua dogmata christiana illustranda atque defendenda erant; hinc aetas patristica clausa communiter aestimatur in Occidenti quidem cum morte sive Gregorii M. (604), sive Isidori Hispalensis (634), inter Graecos vero cum Ioanne Damasceno (754): non desunt tamen qui S. Bernardum (1153) inter Patres recensent; quo posito, nonnullos tentatio apprehendit humana ulterius protendendi tempora patristica ita ut S. Thomas inter Patres Ecclesiae queat computari ...

Doctrinae praestantia iure postulatur in his qui Ecclesiae filios docendo generabant, quosque Ecclesia ipsa inter insigniores magistros merito computabat. Primis quidem Ecclesiae temporibus episcopi omnes Patres appellabantur; at iam inde a saeculo quarto huius nominis significatio vehementer restringebatur: cuius rei ratio inde repetenda videtur, quod hoc potissimum tempore orthodoxia christiana ingentibus procellis doctrinalibus turbari et conquassari caepta est. Unde factum est ut ex una parte illi tantum ex ordine episcopali hoc titulo Patris honestarentur, qui in doctrina orthodoxa exponenda vel tutanda prae ceteris facile eminent. ex alia vero parte hoc nomen Patris ad eos quoque extenderetur, qui, etsi dignitate episcopali carerent, doctrinae tamen laude insignes exstiterent: doctrina ergo requiritur quae sit orthodoxa, eminens, scriptis consignata.

Sanctitas Vitae constituit tesseram doctoratus ecclesiastici: haec quippe sanctitas Patres reddit cum similes Christo, qui caepit facere et docere, tum sollertes in inquirendo, veraces in attestando, strenuos ac intrepidus in defendendo, puros aptosque ad intelligendum secretum Dei Christique mysterium. Profecto vitae sanctitas non confert quidem acumen ingenii,

at subiectum cognoscens mire disponit ad mysticam et quasi experimentalem mysterii divini et christiani perceptionem. Etenim duplex est obiecti theologici cognitio: una per viam speculativam et discursivam, alia per viam affectivam et quasi instinctivam. « Rectitudo iudicii, inquit Aquinas, potest contingere dupliciter: uno modo secundum perfectum usum rationis; alio modo propter *connaturalitatem* quamdam ad ea de quibus est iudicandum. Sicut de his quae ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte iudicat ille qui didicit *scientiam* moralem, sed per quamdam *connaturalitatem* ad ipsa recte iudicat qui habet *habitum castitatis* ». 2-2^o, q. 45, art. 3. Quod de castitate audis, a fortiori intelligas de principe theologiae obiecto, qui est Deus ipse vivens et vivificans, in anima sancti dynamice praesens per multiformia Spiritus dona.

Approbatio Ecclesiae demum requiritur; quae fere innotescit in publicis documentis ecclesiasticis sive pontificiis sive conciliaribus, ubi ad Patres provocatur veluti fides traditionis christianae testes et doctores. Haec porro approbatio debet esse saltem *communis* sive explicita sive implicita; potest vero esse *specialis*, qua alicuius Patris doctrina in certa quadam materia ut excellens laudatur: cuius rei exemplum habes in Augustino doctore gratiae (cf. Denzinger nn. 128 et 3027). Quin immo potest aliquando Ecclesiae approbatio *esse specialissima*, ubi alicuius Patris doctrina proponitur ut lex fidei, id quod reapse contigit cum anathematismis Cyrilli Alexandrini (Denzinger, n. 113 sq.). Quaesitum quandoque est num *episcopatus* ad dignitatem stricte patristicam requiratur: cui quaestioni negative esse respondendum patet exemplo illorum Patrum, qui fuerunt vel mere presbyteri ut Hieronymus et Ioannes Damascenus, vel diaconi, ut s. Ephrem, vel etiam laici, ut Iustinus et Prosper Aquitanus.

Doctores ecclesiastici appellantur viri orthodoxia, eruditione, sanctitate conspicui ab Ecclesia hoc titulo decorati. Differunt ergo a SS. Patribus in eo quod ex una parte non requiritur *antiquitas*, ex alia vero parte postulatur maior quidam *fulgor doctrinae*, necnon expressior et sollemnior Ecclesiae approbatio sive per decretum pontificium sive per liturgicum

Doctoris officium de ipsis recitari praeceptum. Ceterum fulgor doctrinae diversimode manifestatur; sicuti enim stella differt ab stella in claritate, sic et Doctor differt a Doctore in splendore. Sunt qui fulgent in strenua sacri depositi defensione; alii splendent in biblica ipsius illustratione, alii in catechetica doctrinae christianae expositione, alii in ascetica et mystica morum informatione, alii in theologia morali, alii in theologia speculativa, alii aliter, unusquisque secundum propriam virtutem et diversam Spiritus donationem.

En iam catalogum Doctorum quos Ecclesia hoc titulo hactenus decoravit: SS. Hilarius, Athanasius, Ephrem Syrus, Basilii Magnus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Petrus Crisologus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, Isidorus Hispalensis, Ioannes Damascenus, Veda Venerabilis, Petrus Damianus, Anselmus, Bernardus, Bonaventura, Thomas Aquinas, Petrus Canisius, Franciscus Salesius, Alphonsus M. de Ligorio, Ioannes a Cruce, Bellarminus, Albertus Magnus, Antonius a Padua. Universi omnes 29: ex Occidente 21; ex Oriente 8; e clero regulari 15, e clero saeculari 14.

Scriptores ecclesiastici sensu specifico intelliguntur qui olim scriptis suis ecclesiam egregie quidem erudierunt, qui tamen inter Sanctos Patres aut Ecclesiae Doctores non recensentur vel etiam ab Ecclesia defecerunt. Sunt nempe scriptores antiquitate venerandi, eruditione insignes, quibus deest vitae sanctitas et Ecclesiae approbatio. Tales fuere Tatianus, Athenagoras, Lactantius, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Eusebius Caesarensis, Ruffinus, Theodoretus, sic dictus Dionysius Areopagita.

Duplex functio generatim distinguitur in SS. Patribus: testis videlicet et doctoris. Agunt testes cum narrant fidem olim vel suo tempore in Ecclesia explicite creditam. Agunt doctores cum sacras Scripturas interpretantur, cum sensum catholicum exponunt, cum secretas mysteriorum connexiones aperiunt, cum dogma per conclusiones theologicas evolvunt, cum sacrum revelationis depositum contra haereticos tuentur. Verbo: Patres agunt testes cum docent quid sit in Ecclesia

creditum; agunt doctores *publicos* cum docent quid sit a catholico credendum vel tenendum; agunt doctores *privatos* dum aliquid proponunt ut suam privatam opinionem aut persuasionem, id quod non raro contingit maxime cum Sacras Scripturas interpretantur. — *Duplex* quoque *auctoritas* distinguenda est in sanctis Patribus: una mere *historica* quae eis competit ut viris doctis et veracibus; alia *theologica*, quae eisdem convenit ex sua cum Ecclesiae magisterio connexionem et consensu.

Quaeritur iam qualiter sit aestimanda Patrum auctoritas in re theologica:

Peccant per defectum Protestantes et Modernistae, qui cohaerenter cum suis placitis de Magisterio ecclesiastico nullam auctoritatem authenticam et theologicam in Patribus admittunt, sed pure humanam et historicam.

Peccant per excessum Iansenistae, qui unam Augustini auctoritatem ita extollunt, ut ipsis pontificiis definitionibus praeferebant putent. « Ubi quis, aiunt, invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam. Cf. Denzinger, n. 1320.

Media via procedit doctrina catholica secundum quam a) *singuli Patres* non sunt quidem infallibiles, at iure sibi vindicant venerandam quamdam auctoritatem non semper eandem, sed mensurandam ex eorum antiquitate, numero, scientia, Ecclesiae approbatione ... Excipe casum Patris, qui sit Romanus Pontifex ex cathedra loquens; b) *Patres universi* consentientes in rebus fidei et morum sunt infallibiles seu infallibile divinae revelationis criterium praebent. Cum in primo de singulis Patribus asserto nulla sit specialis difficultas, agendum est de altero: cuius primo declarandus est sensus, dein probanda veritas.

Sensus thesis declaratur ac delimitatur:

a) Patres imprimis non dicuntur esse *subiectum infallibilitatis* activae, idque duplici de causa: primo quia non omnes sunt episcopi; dein quia repraesentant minimam partem

episcopatus sui temporis; dicuntur tamen infallibiles, quia sub certis quibusdam conditionibus suppeditant nobis infallibile criterium traditionis divinae, i. e. veritatis revelatae vel cum ea necessario connexae.

b) Hae conditiones non sunt nec possunt esse aliae quam illae ipsae quas requisivimus pro exercitio infallibili magisterii ecclesiastici: aliae ergo requiruntur ex parte *materiae* quae debet esse *sacra* i. e. spectans ad ordinem religiosum vel soteriologicum; aliae ex *modo docendi*, qui debet esse firmus et peremptorius; aliae ex parte *consensus*, qui debet esse moraliter universalis, cui sane obstare non potest unius alteriusve dissensus.

c) Universalitas porro consensus ostendi potest sive directe, prolatis in medium testimoniis patristicis omnium aetatum et regionum; vel indirecte, allatis testimoniis relative paucorum; qui si ad varias regiones aetatesque pertineant, sintque doctrina et auctoritate percelleres, quos ceteri veluti duces et antesignanos sequantur, horum consensus implicitus iure supponitur, ubi signa dissensus nusquam manifestantur. Quin immo si unus alterve Pater in aliqua diuturna et vexata controversia quasi nomine Ecclesiae loquitur, et ab ipsa quasi vox totius christianitatis celebratur, reliquorum Patrum consensus iure merito infertur. Tales fuere Athanasius decertans contra Arianos, Cyrillus A. contra Nestorianos, Augustinus contra Pelagianos, Sophronius contra Monothelitas.

Probatur thesis

Ad capiendam vim argumentorum utile erit notare magisterium patristicum nihil demum esse aliud, quam modum quendam particularem, quo nobis applicatur auctoritas magisterii ecclesiastici authentici et infallibilis. Patres videlicet occupant locum quendam medium inter ecclesiam discentem et docentem cuius infallibilitatem participant; hinc est quod error patristicus ex una parte induceret necessario errorem in ecclesia discente, et ex alia parte necessario praesupponeret similem errorem in ecclesia docente: ad hanc ergo normam et rationem argumenta ordinantur.

1° *Ecclesia discens* universalis nequit deficere a vera fide,

ut alibi ostendimus. Atqui Ecclesia discens universa abiret in errorem dogmaticum, si Patres sub descriptis superius conditionibus possent errare. Profecto hi Patres quum essent testes et insigniores sui aevi doctores ab Ecclesia docente recogniti, merito habebantur ut os auctoritatis ecclesiasticae; hinc error ille patristicus necessario transiret in clerum, et ex clero in plebem christianam universam. Quippe populus christianus non aliter haurit et alit suam fidem orthodoxam, quam audiendo et sequendo parochos ceterosque praecones evangelicos ab auctoritate ecclesiastica approbatos; at parochi alique praecones evangelicis non aliam doctrinam fidelibus proponunt praeter illam quam a Patribus vident praedictam et a magisterio ecclesiastico auctorizatam: fieri ergo non posset quin error patrum transiret in clerum, et inde in populum christianum.

2° *Ecclesia docens* iubet interpretari Sacram Scripturam in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium secundum unanimem Patrum consensum. Sic Concilium Tridentinum (Denzinger, n. 786), sic Vaticanum (Denzinger, n. 1788), sic Leo Papa XIII (Denzinger, nn. 1942 et 1944). Ergo si Patres in consensu docentes errant, et ipsam Ecclesiam docentem errare necesse est.

3° Item docet Ecclesia se tradere doctrinam a Sanctis Patribus acceptam. Sic Concilium Ephesinum actione I statuit: « Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens Sanctorum Patrum tenuerit antiquitas ». Mansi, IV, 1183. Sic Concilium Constantinopolitanum II: « Confitemur fidem tenere et praedicare quam et Sancti Patres confessi sunt et explanaverunt ». Denzinger, n. 212. Sic Concilium Constantinopolitanum IV: « Veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, Sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus ». Denzinger, n. 336. Sic Agatho Papa et Concilium Romanum: « Hoc nos apostolica atque evangelica traditio, sanctorum Patrum magisterium, quos sancta atque catholica Ecclesia et venerabiles synodi recipiunt, instituisse monstratur ». Denzinger, n. 288. Sic Martinus I Papa et Concilium Lateranense, Denzinger, n. 254 sq., ubi undecim priores canones doctrinales contra Monotheletas proponuntur secundum formulam: « Si quis secundum sanctos Patres non confi-

tetur ... » Rursum ergo concludamus oportet: si Patres consentientes in rebus fidei et morum errare contingeret, et ipsam Ecclesiam docentem errare necesse est.

4° Novum argumentum fieri haud difficulter posset attempta vel sola historica Patrum auctoritate. Etenim dotes, quibus ornantur, excludunt imprimis mendacium. Error quoque communis et diu perseverans apparet moraliter impossibilis sive agatur de fide Ecclesiae mere testificanda, sive de evolvendo atque explicando catholico intellectu, cum Patres, ut supponimus, sint multi, docti, diversae formationis philosophicae, pertinentes ad varias aetates et regiones, in rem gravem diu attenti et sedulo invigilantes. Profecto quod tot tantique doctores in re momentosa unanimiter, perseveranter, firmiter proponunt, hoc nequit censi erratum, sed traditum.

Corollarium. Utile erit quasdam conclusiones practicas ex praeiacta doctrina eruere atque ordinate proponere:

a) Fieri numquam potest ut Patres omnes unius aetatis in re theologica dissentiant ab omnibus Patribus alterius aetatis; secus enim Ecclesia in aliqua aetate in rebus fidei et morum errasset. Hinc ad construendum argumentum theologicum ex Patribus sufficit afferre Patres universos unius aetatis sive directe sive indirecte (?).

b) Quod attinet dogmata in *explicita Ecclesiae fide* ab initio habita, ne unus quidem Pater potest vere dissentire; secus non gauderet Ecclesiae approbatione. Hinc effata, si quando in his occurrant duriuscula, minus accurata et castigata, oportet ea benigne interpretari in sensum orthodoxum et catholicum. Talia nonnumquam reperies v. gr. in quaestione de peccato originali originato in nonnullis Patrum effatis, ubi discrimen inter peccatum personae et peccatum naturae nondum clare innotescit.

c) Si agitur de veritatibus implicite aut virtualiter revelatis vel etiam in praxi aliqua implicatis, non raro locus datur triplici stadio: pacificae possessionis — exortae controversiae — quaestionis eliquatae. Porro in secundo stadio i. e. dum formula implicita transit in explicitam, dissensio inter Patres oriri potest, in qua *aliquos* errare possibile, immo primum est.

d) Ergo ex dissensu Patrum unius aetatis nequit concludi rem, de qua agitur, non esse fidei catholicae, siquidem, eli-

quata controversia, res potuit transire in fidem explicitam Ecclesiae universae.

DE AUCTORITATE THEOLOGORUM

Aetatem patristicam proxime excipit aetas scholastica. In qua monachi compilatores, magistri sententiarum et theologi scholastici magnae molis opus sunt aggressi: uberrimas Patrum atque Doctorum divitijs doctrinales colligere, ordinare, systematizare, explicare, complere. Agitur iam de auctoritate horum theologorum rite aestimanda: explicatio procedit eodem prorsus gressu et ordine ac in parte praecedenti.

Notio Theologorum: tria possunt distingui: Theologi — Scholae theologicae — Facultates theologicae.

Theologi hic intelliguntur viri *catholici*, qui sacras disciplinas sive ore in scholis, sive scripto in libris sub vigilantia et ductu ecclesiasticae auctoritatis inde post aevum patristicum docuerunt. Agitur ergo de theologis catholicis sive clericis, sive laicis, non vero de aliis sive haereticis sive schismaticis sive aliis quibuslibet doctoribus, etsi peritissimis, qui res divinas pertractant extra septa et principia catholica: agitur de sacris disciplinis, quo nomine veniunt omnia quae pertinent ad theologiam fundamentalem, dogmaticam, moralem, immo et ius canonicum.

Scholae catholicae intelliguntur non tam illae quae appellari consuevere Dominicana, Franciscana, Augustinensis, Iesuitica ... quam illae omnes quae iam inde a saeculo 12^o vel 13^o a Sancta Sede vel erectae vel approbatae sunt. Multae ex his commemorantur in constitutione apostolica « Deus scientiarum » ut Bononiensis, Parisiensis, Oxoniensis, Lovaniensis, Coloniensis, Salmanticensis, Complutensis, Napolitana, Gregoriana in Urbe ...

Facultates theologicae: Scholis theologis recte aequiparantur modernae Facultates theologicae a Sancta Sede erectae, in quas vigilat Sacra Congregatio de Seminariis et Universitatibus.

Theologi differunt a Patribus ut est manifestum; etenim non requiritur antiquitas, nec sanctitas. Ipsa quoque Ecclesiae

approbatio, ut plurimum, non tam refertur in singulos theologos, quam in scholas theologicas. Non tamen desunt theologo qui speciali gaudent approbatione ecclesiastica, immo et specialissima, ut S. Thomas; accedit quod Patres fere omnes erant episcopi, ideoque fruebantur magisterio authentico, dum maxima pars theologorum caret dignitate episcopali docetque non authentice sed magisterialiter.

Duplex functio distinguitur in Theologis sicut in Patribus: testis et doctoris, quae duae notiones intelliguntur eodem prorsus modo ac in parte praecedenti, nisi quod functio doctoris praevalet apud Theologos, quippe qui sacram doctrinam strictius, uberius, accuratius, ordinatius quam Patres exposuere atque in synthesim redigere. *Duplex* quoque *auctoritas* distinguenda est in Theologis de quibus agimus: una pure historica et scientifica, quae eis competit propter singulares ingenii et eruditionis dotes; alia theologica quae eisdem convenit propter suam cum magisterio ecclesiastico connexionem.

Sensus et limites quaestionis patent ex ipsa fere enuntiatione theseos: Asserimus unanimum et constantem theologorum consensum in rebus fidei et morum esse certum ac infallibile divinae traditionis criterium. Unde conditiones requisitae eadem sunt ac illae quas pro Patribus designavimus: primo ratione materiae, quae non pure historica, aut pure scientifica, vel etiam mere philosophica, sed sacra esse debet i. e. spectans ad ordinem religiosum aut soteriologicum — ratione modi proponendi, qui firmus et peremptorius sit oportet — demum ratione consensus unanimitatis et moraliter universalis, qui feratur in rem quae ut revelata aut cum revelatis necessario connexa proponitur.

Thesi adversantur Protestantes, Iansenistae, Guntheriani, Modernistae: praecesserant Wicleffitae et Humanismi cultores. Theologiae scholasticae nomen quam sit Protestantibus exosum produnt nota Melanchthonis verba: « Theologia scholastica nihil est nisi vana, ficta, diabolica cavillatio et monachorum somnium ». Luther in firma persuasione versabatur veram Ecclesiae reformationem esse impossibilem « nisi funditus canones, decretales, theologia scholastica eradicentur et alia

studia instituantur ». Non minori acrimonia et licentia in Theologiam scholasticam invehuntur Modernistae, praeprimis Tyrrell et Loisy.

Probatur thesis

Argumenta pro hac secunda parte eadem fere sunt ac illa quibus usi sumus pro prima parte stabilienda; vis nempe argumentationis tota quanta pendet ex intima connexionione magisterii theologici cum ecclesia cum discenti tum docenti; sit ergo duplex argumentum:

1° Error theologorum implicaret errorem in ecclesia discente:

Etenim: *a)* Scholae theologicae fuerunt a S. Sede erectae vel approbatae. — *b)* Magistri scholastici veniam docendi a S. Sede directe vel indirecte accipiebant, quae errantes vel non tuto docentes monebat vel etiam deponebat. — *c)* Ex his scholis prodire Summi Pontifices, episcopi, sacerdotes, pastores animarum: qui omnes principiis et doctrinis scholasticis imbuti docebant, praedicabant, sacramenta administrabant. — *d)* Theologi adhibentur ut consultores in Congregationibus romanis, ut cooperatores in Conciliis oecumenicis, ut instrumenta in praeparandis documentis doctrinalibus pontificiis. — *e)* Scripta theologorum, ut plurimum, non eduntur sine licentia et approbatione ecclesiastica; libri porro de heterodoxia plus minus suspecti in indicem librorum prohibitorum mittuntur. — *f)* Ecclesia commendat theologis institutionem doctrinalem dogmaticam et moralem eorum qui munus pastorale penes plebem christianam exercere debent. Age iam: sub his rerum adiunctis fieri non potest quin error theologorum transeat in clerum, et ex clero in universum populum christianum. Brevi: populus christianus haurit suam fidem a clero; clerus haurit suam doctrinam sacram a magisterio theologorum; error ergo magisterii theologici sub conditionibus descriptis necessario implicaret errorem in ecclesia discenti universa.

2° Error theologorum implicaret errorem in ecclesia docenti:

Etenim: *a)* Ecclesia ad doctrinam theologorum appellat: sic Concilium Viennense in quaestione de effectu baptismi pueris collati decernit: « Nos autem ... opinionem secundam

quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutis, tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam ». Denz. n. 483.

b) Ecclesia detractores theologiae scholasticae severe condemnat. Sic Concilium Constantiense contra Wicleffitas, Denzinger, n. 600. — Sic Pius VI contra synodum Pistoriensem: « Insectatio, qua synodus *scholasticam* exagitat, velut eam, quae viam aperit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates maioris pretii ... quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt: falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis ». Denzinger, n. 1576; cf. quoque n. 1579. Sic etiam Pius IX contra Bonnetty et Günther, Denzinger, nn. 1652 et 1657.

c) Ecclesia aperte testatur, sublato vel neglecto communi et constanti theologorum consensu, ipsam Ecclesiae auctoritatem in discrimen vocari. Sic Pius IX in epistula « Tuas libenter » ad archiepisc. Monaco-Frisingensem, Denzinger, n. 1680: « Neque ignorabamus, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione *ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur*, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorundem Doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologiam eorum doctrinam extulit illamque velut fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit ».

d) Ecclesia docet communem et constantem theologorum consensum sequendum esse etiam in conclusionibus cum deposito revelationis necessario connexis. Sic Pius IX: « Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici constringuntur idcirco eiusdem conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut

praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant ... tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opinionēs eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram ». Ibidem, Denzinger, n. 1684.

e) Ecclesia statuit intimam connexionem inter magisterium infallibile episcopatus dispersi et magisterium Theologorum. Sic idem Pius IX in citato documento: « Nam etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea ... sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur *ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur* ».

f) Ecclesia iubet ut « philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant » (Codex Iuris Canonici, c. 1366). Haec porro Angelici Doctoris doctrina, ab Ecclesia praecepta, est doctrina quam scholae catholicae et Doctores catholici communi consensu proponunt. Etenim « inter amatores sancti Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios, qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus *iusta in libertate aemulationem*, unde studia progrediuntur, intercedere, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum ergo unicuique eorum esto, quod in Codice Iuris Canonici praecipitur, ut philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant, atque *ad hanc normam* ita se omnes gerant, ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. *At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant*, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in his rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, *quisquam prohibendus est eam sequi sententiam*,

quae sibi verisimilior videatur ». Pius Papa XI in Encyclica « Studiorum Ducem », Denzinger, n. 2192.

Habes in his authenticam canonis 1366 interpretationem; habes et monitum salubre ad illos Ecclesiae filios directum, qui ab aliis exigebant id quod omnium magistra et mater a nemine exigit. Fit ergo distinctio inter ea, quae ab omnibus sunt sancte tenenda, et ea quae in contrarias partes disputari et libere eligi possunt. Porro sicuti ea, quae libere eligi possunt, sunt illa doctrinae capita de quibus scholae catholicae et bonae notae Doctores catholici dissentiunt, sic ea sunt ab omnibus sancte tenenda, quae ab scholis catholicis et bonae notae Doctoribus catholicis communi consensu proponuntur.

Conclusio: Ex his, quae de intima connexione magisterii ecclesiastici et magisterii theologici notavimus, liquido patet Ecclesiam docentem approbare suamque facere doctrinam sacram quam Theologi communi et constanti consensu proponunt. Si ergo Theologos omnes sub conditionibus designatis errare contingeret, et ipsam Ecclesiam docentem errare necesse est.

Nota: Praecipuas contra auctoritatem theologorum obiectiones propositas et solutas reperies apud Van Laak, *Repetitorium*, Pars altera, 1925, p. 605 sq. Potest etiam conferri Sallaverri, *De Ecclesia Christi*, n. 867 sq.

THESIS XXII

Ecclesia pro fine habet, si comparetur ad Christum, opus redemptionis perenne reddere; si comparetur ad homines, ut hi per exercitium religionis christianae sanctificentur et salutem aeternam consequantur.

Cfr. STRAUB, thes. 9, pag. 247-268; WILMERS, n. 31-35; FRANZELIN, *De Ecclesia Christi*, thes. 20, pag. 339 sq.; VAN LAAK, *Repetitorium* (1911), pag. 209-230; DORSCH, pag. 504-511.

Connexio materiae. Egimus hactenus de causa Ecclesiae *efficiente et formali*. Remanent solvendae quaestiones de cau-

sa Ecclesiae *finali et materiali*. Thesis praesens determinat et explicat finem ab Ecclesia hisce in terris attingendum. Unde sequetur cum supernaturalis *dignitas* ac pulchritudo Ecclesiae competens, quatenus est Christi capitis corpus mysticum, tum absoluta eiusdem *necessitas*, utpote in qua una sanctitas et salus aeterna obtineri possint.

Conspectus generalis. Ecclesia quum sit a Christo hierarchice constituta, potest spectari sub duplici respectu: a) quatenus in suis ministris, magistris, praepositis apparet *activa*: b) quatenus in suis fidelibus, discipulis, subditis apparet *passiva*. Hinc quaeri potest primo: quinam sit finis Ecclesiae active spectatae. At quoniam postremus hic finis potest esse proximus et remotus seu ultimus, hinc tota thesis clauditur triplici parte: I de fine Ecclesiae, quatenus in suis sacerdotibus, magistris et praepositis exhibetur activa: II de fine *proximo* Ecclesiae passive spectatae: III de fine *remoto* seu ultimo Ecclesiae passive consideratae. Aliis verbis: quaeritur finis quem Christus voluit obtinere tum *sibi capiti*, tum *no-bis membris* sive proxime sive remote.

PARS I

De opere Christi redemptoris continuando per Ecclesiam

Status quaestionis. Duplex quasi stadium distingui potest in opere Christi redemptoris: opus videlicet redemptionis *effectivae*, et opus redemptionis *applicativae*. Prius illud continetur iis omnibus, quibus nostra redemptio peracta est, oblato Deo Patri pretio nostrae salutis. Totum hoc opus personaliter praestitit ipse Christus: qui ingrediens mundum se totum Patri devovit, et vitam suam Deo immolavit in ara crucis. Complectitur hoc opus condignam *satisfactionem* Deo oblatam, infinitum *meritum* unde Christi gratiae ac satisfactiones in nos deriventur, et *institutionem mediorum*, quibus haec Christi merita nobis applicantur.

Opus redemptionis applicativae continetur iis omnibus, per quae merita Christi et satisfactiones nobis de facto applicantur. Fit autem haec applicatio tum libera singulorum

cooperatione sub Deo vocante et excitante, tum etiam libera et obsequiosa subiectione praestita iis, quos Christus contituit suos legatos, sacerdotes nempe, magistros et praepositos. Mediante hac applicatione, opus illud a Christo in cruce peractum perenne redditur et continuatur. Porro contendimus hunc esse finem Ecclesiae activae consideratae: opus redemptorium perenne reddere.

Adversantur thesi Protestantes. Qui cum censeant hominem iustificari sola fide hausta ex Scripturis sanctis, ministerio Ecclesiae religioso non utuntur. Contendunt singulos homines *immediate* Christo coniungi, a quo fructus redemptionis *immediate* in singulos fideles derivantur. Consequenter assentunt ad Ecclesiam minime pertinere opus redemptionis perenne reddere. Religio ergo christiana, ad mentem Protestantium, exercetur et opus redemptionis continuatur *praeter Ecclesiam*: — Thesim a fortiori negant *Protestantes liberales et Modernistae*, qui nullam admittunt nec religionem nec sanctitatem supernaturalem. Pro his Christus solummodo est exemplar experientiarum religiosarum.

Qualitas. — Thesis est critica certa: dogmatice vero saltem doctrina catholica ex Vaticano (DB. 1821): quin imò potest dici de fide catholica cum sit clare in Scriptura contenta et a magisterio ordinario proposita.

Probatur thesis

1° Christus communicavit Ecclesiae suam propriam missionem: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (Io. 20, 21 necnon 17, 18). Atqui missio Christi spectabat ut finem opus redemptionis. Ergo missio Ecclesiae ad idem opus referatur oportet. Sed missio Ecclesiae non refertur ad opus redemptionis effectivae. Ergo refertur ad opus redemptionis applicativae.

Prob. minor. Ex Lc. 19, 10: « Venit enim Filius Hominis quaerere et salvum facere quod perierat ». Consonat Ioannes 10, 10: « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant ».

Minor subsumpta constat ex Hebr. 10, 14: « Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos ». Unde pa-

tet opus redemptionis effectivae fuisse a solo Christo in cruce consummatum.

2° Christus communicavit hierarchiae a se constitutae potestatem Redemptoris, i. e. potestatem quae sibi ut Redemptori competeat. Atqui Ecclesia, exercendo hanc potestatem, opus redemptionis continuat seu perenne reddit. Ergo ...

Prob. maior. Christus communicavit apostolis eorumque successoribus:

a) *potestatem docendi*: Mt. 28, 18-20; Mc. 16, 15-16; Io. 17, 19-20;

b) *potestatem regendi*: Mt. 16, 18-19; 18, 18; Io. 21, 15-17;

c) *potestatem sanctificandi*; per *baptismum* Mc. 16, 15-16; per sacramentum *paenitentiae*: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt » (Io. 20, 23): per *sacrificium eucharisticum*: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem » (L. 22, 19).

Atqui hae potestates competunt Christo ut redemptori: sane agitur de potestate quae ei data est in coelo et in terra ob reportatum in cruce insignem triumphum de daemone et peccato; agitur de potestate quae Christo competit ut sacerdoti, doctori et regi. Ergo ...

3° *Tertium argumentum* suppeditat Paulus. Missis multis aliis, sufficiat commemorare quae Apostolus scribit in II ad Cor. 5, 18-20: « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortantē per nos ». Habes in his clare asserta duo: a) opus reconciliationis Deum inter et hominem i. e. opus redemptionis esse effectum et consummatum a Christo; b) fructus redemptionis nobis applicari mediante ministerio apostolico. Unde sequitur finem Ecclesiae in sua hierarchia spectatae esse opus redemptionis applicare illudque sic reddere perenne.

4° Thesis demum facile probatur *via dogmatica* ex doctrina Concilii Vaticani (DB. n. 1821): Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum, ut *salutiferum redemptionis*

opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur ». Ubi assertio nostra expressis verbis continetur.

PARS II

De sanctitate per Ecclesiam obtinenda

Praenotanda. Contendimus probare in hac secunda parte finem proximum Ecclesiae, in suis membris spectatae, consistere in animorum sanctificatione obtinenda per exercitium religionis christianae. Unde termini in primis sunt declarandi, et status quaestionis dein accurate delimitandus.

a) *Sanctitas* supernaturalis consistit in animi munditie et rectitudine, per quam idonea redditur ad edendos actus supernaturales et vitae aeternae meritorios. Implicat ergo duo: carentiam peccati seu aversionem a creaturis: — erectionem seu conversionem ad Deum, ut fontem vitae supernaturalis. Haec autem sive a peccato mundities, sive ad Deum conversio fit in praesenti ordine seu providentia ope gratiae sanctificantis, quae animae in iustificatione infunditur, eamque elevat in consortium divinae naturae.

b) *Exercitium religionis christianae* quod attinet, tria possunt distingui in hac religione: *doctrinae* seu dogmata credenda: — *praecepta* adimplenda, sive quae Christus ipse imposuit et inculcavit, sive quae ab Ecclesia vi propriae iurisdictionis statuta sunt; — *cultus* servandus maxime in sacramentorum administratione et in sacrificii eucharistici celebratione. Religionem ergo christianam exercere nihil aliud est, quam credere ac profiteri doctrinam a Christo revelatam et a magisterio ecclesiastico authentice et infallibiliter propositam, servare praecepta christiana et ecclesiastica, recipere ac celebrare sacramenta et sacrificium eucharisticum secundum ritus a Christo institutos. *Brevi*: exercitium religionis christianae implicat obedientiam praestitam sacerdotibus, magistris, rectoribus a Christo in Ecclesia institutis.

c) His praestitutis, quaeritur iam quisnam sit finis *proximus Ecclesiae*. Quaestioni propositae duplex responsum a doctoribus affertur:

Wilmers, Van Laak, alii multi docent finem illum *proximum* stare in exercitio religionis christianae, quo mediante obtinetur sanctitas animae, qui est finis *remotior*, et demum hac mediante salus aeterna, quae constituit finem *ultimum* Ecclesiae in suis membris consideratae.

Straub contradicit huic conceptioni, et contendit finem *proximum* Ecclesiae consistere in sanctificatione animarum. Addit exercitium religionis christianae non posse recte dici finem adaequatum Ecclesiae. Etenim vel est finis *inadaequatus* (sanctitas actualis), si nempe religio sumatur paulo strictius, prout importat coniunctionem pii hominis cum Deo, vel est *purum medium*, si religio sumatur paulo fusius prout significat summam eorum omnium, quae Deus servanda hominibus instituit.

Contendimus finem Ecclesiae, in suis membris consideratae, consistere in sanctitate obtinenda per exercitium religionis christianae. Num hoc ipsum exercitium dici debeat purum medium, an potius finis proximus Ecclesiae, in medio relinquimus: quae tota quaestio non tanti momenti videtur, quamvis positio *Wilmers* ceteroquin praeferenda omnino videatur.

Qualitas. Tota haec pars est critice certissima: dogmatice vero de fide divina, quum sit clare in s. Scripturis contenta; imo potest dici de fide catholica ex magisterio ordinario.

Probatur thesis

1° *Instar corollarii* ex parte priori: Christus instituit hierarchiam ecclesiasticam in utilitatem fidelium. Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas (I Cor. 3, 22). Iamvero finis proximus propter quem Christus instituit hierarchiam fuit opus redemptionis perenne reddere, i. e. applicare fructus salutiferos redemptionis. Finis ergo Ecclesiae passive consideratae stat in his fructibus recipiendis. Atqui recipere salutiferos redemptionis fructus nihil est aliud quam sanctificari, quum per illos peccata deleantur et gratia divina infundatur. Ergo ...

2° *Idem fere argumentum* paulo aliter sic proponi potest: Finis Ecclesiae in suis membris spectatae est illud bonum

quod ex actione propria Ecclesiae sponte efflorescit. Atqui tale bonum est sanctitas et perfectio animarum. Ergo ...

Prob. minor. Actio ecclesiastica continetur triplici ministerio: docendi, sanctificandi, regendi. Atqui ex hac triplici functione sponte oritur sanctificatio animarum. Sane: a) Functioni *doctrinali* Ecclesiae respondet in fidelibus discipulis *fides*, quae est, docente Tridentino, initium, radix et fundamentum iustificationis; per ipsam quippe inchoatur coniunctio animae cum Deo ope intellectus, estque natura sua ordinata ad provocandam unionem per voluntatem, cui proponit bonum divinum summe appetibile, summe amandum: b) Functioni sacramentariae Ecclesiae respondet infusio gratiae sanctificantis, per quam formaliter iustificamur: c) Functioni ecclesiasticae legiferae respondet in subditis obedientia, per quam actus et mores rectificantur et fiunt sub influxu gratiae meritorii vitae aeternae.

3° *Argumento biblico*: Sacrae litterae aperte docent Christum instituisse Ecclesiam et ministeria varia in ea constituisse ad animos sanctificandos et perficiendos: Huc spectat praecipua doctrina Pauli scribentis ad Ephes. 5, 25-27: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut *illam sanctificaret*, mundans lavacro aquae in verbo vitae. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam ... sed ut sit sancta et immaculata »: — Quibus consonant quae scribit idem Apostolus ad Titum 2, 14: « Qui (Christus) dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et *mundaret sibi populum acceptabilem*, sectatorem honorum operum »: — Ioannes plene concordat scribens (15, 16): « Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et possui vos ut eatis *et fructum afferatis*; et fructus vester maneat ». Similiter in cap. 17, v. 18 sq. « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et ego pro eis sanctifico meipsum, *ut sint et ipsi sanctificati in veritate*. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui creditur sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et *ipsi in nobis unum sint* ».

PARS III

De fine ultimo Ecclesiae.

Haec pars vix indiget probatione. Est enim merum corollarium partis praecedentis. Etenim finis ultimus Ecclesiae est illud bonum, ad quod ex natura sua ordinatur finis eiusdem proximus seu sanctitas animae. Atqui haec animi sanctificatio natura sua ordinatur ad assecutionem *vitae* aeternae seu visionis intuitivae essentiae divinae. Sane sanctitas fit formaliter per gratiam sanctificantem; est autem gratia sanctificans semen quoddam divinum nobis in regeneratione inditum (I Io. 3, 9) per quod renascimur in novam vitam filiorum Dei, in consortium divinae naturae (II Petri, 1, 4). Hoc vero semen, finito probationis stadio, mire evolvetur et efflorescet in lumen gloriae beatificans: « Carissimi, *nunc filii Dei sumus*: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit (quid erimus), similes ei erimus: quoniam *videbitur eum sicuti est* » (I Io. 3, 2).

SCHOLIUM I. *Gloria Christi et Dei est ultimus finis Ecclesiae.*

Vidimus finem proximum quem Christus *sibi* intendit in fundanda Ecclesiae esse opus redemptionis perenne reddere. At finis ultimus Ecclesiae sive in stadio militiae sive in stadio triumphu merito reponitur *in gloria Christi et Dei*:

a) *Gloriam Christi* quod attinet, Deus et Christus sine dubio intendunt id quod naturaliter sequitur ex multiplici ministerio ecclesiastico. Atqui ex hoc ministerio sponte sequitur insignis exaltatio Christi. Apostoli namque et eorum successores non aliter exercent ministerium ecclesiasticum, quam evangelizando investigabiles divitias Christi (Ephes. 3, 8): etenim vel praedicant doctrinam evangelicam, unde splendet gloria Christi *doctoris*, vel administrant sacramenta christiana, unde efflorescit gloria Christi *sacerdotis*, vel argunt praecepta sive christiana sive ecclesiastica unde sequitur gloria Christi *regis*. Videlicet:

Gloriam Christi Doctoris effert sublimis philosophia et theologia, quam protulit ac evulgavit propheta Nazarethanus: cuius doctrinae merito celebratur *ubertas*, quippe qua ample, limpide, secure erudimur de Deo, de homine, de mundo, de omnibus quae nosse nostra maximi refert; *harmonia* quae mysteria cohaerent cum inter se, tum cum veritatibus ordinis naturalis, quas hinc inde tangunt

et illustrant; *sanctitas et efficacia* qua peccata arcentur, et virtutes promoventur.

Gloriam Christi Sacerdotis canunt: — *sacramenta* sanguine Redemptoris rubentia, et mira ac multiformi efficacitate praedita: — *sacrificium* eucharisticum, in quo cruentata olim in cruce victima divina, et gloria resurrectionis clarificata, Numini divino iterum offertur ab ortu solis usque ad occasum ministerio quotidiano sacerdotum: — *vita divina* e Christo capite descendens in membra sibi incorporata, eaque exaltans in consortium divinae naturae.

Gloriam Christi Regis celebrat Historia ecclesiastica tota. Etenim nihil est Ecclesiae par, sive spectetur celerrima ipsius diffusio prima, sive subsequens transsaecularis ac imperturbata conservatio, sive catholica unitas tot gentes et populos fraterna caritate deviciens, sive demum inexhausta fecunditas omnia transformans ac sanctificans in quae inciderit. Habes in his gloriam Christi *obiectivam* in Ecclesia splendentem.

Gloriam formalem Christi continent tot gratiarum actiones, tot mysticae elationes et contemplationes, tot actus tenerrimi amoris, quibus Christicolae per universum orbem disseminati suum laudant ducem et pastorem in hymnis et canticis.

Quod si Ecclesia etiamnum militans et ingemiscens, quum adhuc velatam gestat faciem et expectat revelationem filiorum Dei, adeo splendide refert gloriam sui sponsi, quid putas erit, cum venerint *nuptiae agni* et uxor se praeparaverit (Apoc. 15, 7), quum novissima inimica destruetur mors, et mortale hoc induerit immortalitatem (I Cor. 15, 26), quum corpora sanctorum e sepulchris excitata et mire immutata fulgebunt ut sol in perpetuas aeternitates, quum licebit contemplari « civitatem sanctam Ierusalem descendentem de coelo a Deo, habentem claritatem Dei, (quae ideo) non eget sole, neque luna ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est Agnus? ». Legas duo capita postrema Apocalypsis, ubi Ioannes splendide describit *caelum novum, et terram novam*.

b) At finis *absolute ultimus* totius Ecclesiae sive militantis, sive triumphantis consistit in *gloria Dei*. Etenim « omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia enim vestra sunt; *Vos autem Christi; Christus autem Dei* ». (I Cor. 3, 22-32). Hinc cum finis erit omnium, Christus tradet regnum Deo et Patri. Interea oportet illum, Christum nempe, regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. « Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, *ut sit Deus omnia in omnibus* » (I Cor. 15, 28).

SCHOLION II. Ex thesi sequitur Ecclesiam esse societatem *super-naturalem*. Siquidem societates specificantur ex fine. Atqui finis Ec-

clesiae sive proximus, sive ultimus, est stricte supernaturalis. « Ergo Ecclesia societas est ortu *divina*: fine rebusque fini proxime admoventibus *supernaturalis*: quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est ». Leo XIII in Encyclica « Satis cognitum » (DB. n. 1959).

SCHOLION III. Ex thesi demum sequitur Ecclesiam esse *societatem perfectam*. Habet enim finem proprium completum (non partem finis alterius societatis) et in suo genere supremum (nulli alii subordinatum). Habet praeterea omnia media necessaria ad finem suum cumulate obtinendum, idque sive actu, sive virtute, quatenus potest iure ab alia societate requirere media materialia...: sed de Ecclesia, ut societate perfecta et independenti, quaestio ex professo proponitur et solvitur in *Institutionibus Iuris Canonici*.

THESIS XXIII

Ex institutione Christi Ecclesia est medium ad singulorum salutem necessarium.

Praenotanda

Statuitur in thesi aliqua necessitas pertinendi ad veram Christi Ecclesiam, ut quis possit salutem aeternam consequi. Porro vera Christi Ecclesia nulla est alia praeter Romanam-catholicam, ut demonstravimus in parte apologetica nostri tractatus. Agitur ergo de necessitate pertinendi ad Ecclesiam Romanam. Haec autem necessitas non est tantum praecepti, sed veri medii. Unde termini in primis declarandi sunt, et status quaestionis dein accurate determinandus.

1. Necessarium in ordine ad finem est omne id sine quo finis seu salus aeterna obtineri nequit. Necessitas alia est praecepti; alia medii. Necessarium necessitate *praecepti* est illud, quod observare oportet *ideo tantum* quia praeceptum est. Unde requiritur titulo non positive conducentis ad salutem, sed *removentis prohibens*: videlicet quia si non servatur, committitur peccatum grave, quod est obstaculum salutis. Hinc sequitur: *a*) Quod necessitas praecepti solummodo potest afficere *adultos*, quum pueri (sive aetate, sive psychologicè tales) sint incapaces praecepti: *b*) Sequitur etiam quod talis necessitas seu obligatio *cessat*, ubicumque adest causa excusans a

lege, v. gr. ignorantia invincibilis, vel impotentia moralis: c) Demum sequitur quod *omissio inculpabilis* rei necessariae necessitate praecepti non obstat assecutioni finis.

2. *Necessarium necessitate medii* est illud quod *positive influit* seu conducit ad finem, et sine cuius positiva conducen-
tia finis obtineri non potest: unde requiritur titulo non tan-
tum removentis prohibens seu peccatum, sed etiam positive
influentis seu conducentis ad finem. Hinc sequitur: a) Quod
haec necessitas medii potest afficere tam adultos quam pueros:
b) Quod in adultis nullam admittit exceptionem aut excusa-
tionem proveniente ex ignorantia vel impotentia: c) Patet
demum quod *omissio etiam inculpabilis* huius medii obstat
assecutioni finis. — Caeterum alia possunt esse necessaria ad
salutem *inchoandam*, alia ad *conservandam*, alia ad *reparan-*
dam. Sic in ordine naturali generatio requiritur ad vitam in-
choandam, cibus ad eam conservandam, medicina ad eam re-
cuperandam vel reparandam. — Ad necessitatem medii *redu-*
citur id omne quod requiritur titulo *conditionis* necessario ad-
hibendae, cuius proin *etiam inculpabilis omissio* obstaret as-
secutioni finis.

3. Necessitas medii alia est *ex natura rei*, alia *ex positiva institutione*, prout relatio necessaria inter medium et finem
oriatur ex ipsis rerum essentiis: sic oculus ad videndum, in-
tellectus ad intelligendum; vel potius ex positiva et libera vo-
luntate institutoris: sic baptismus ad remissionem peccati ori-
ginalis. — Necessitas medii ex positiva institutione alia est in-
supplebilis, alia supplebilis, prout medium illud possit aut non
possit suppleri alia re, quae sit prioris vicaria, eiusque votum
continens. In priori casu medium dicitur *necessarium in re*;
in altero casu medium dicitur *necessarium in re vel in voto*.

4. *Nomine voti* (salutiferi) venit sincera voluntas adhiben-
di medium de quo agitur v. gr. baptismum, prout est implicata
in actu caritatis vel contritionis perfectae. Ceterum votum hoc
potest esse *explicitum* vel *implicitum*, qualis foret voluntas ad-
hibendi *omnia media* a Deo instituta ad salutem in eo qui in-
culpabiliter ignorat necessitatem baptismi vel ingressus in Ec-
clesiam romanam. Non ergo sufficit mera voluntas adhibendi
media salutis; sed requiritur caritas vel actus contritionis per-

fectae simul cum illo desiderio sincero adhibendi media omnia salutifera. Ceteroquin *id quod* iustificat est ipse actus caritatis vel contritionis; sed *id quo* actus caritatis iustificat, est illud votum. Ergo *votum in concreto* est ipse actus caritatis vel contritionis perfectae quatenus vices gerit baptismi, et continet desiderium ipsius medii re adhibendi, cum possibilitas vel opportunitas adsit. Supposita ergo contritione cum voto sacramenti, actualis huius susceptio est necessaria tantum necessitate praecepti.

5. Quum *Ecclesia* dicitur medium necessarium ad singulorum salutem, non agitur vel de sola *anima* Ecclesiae, vel de solo *corpore* Ecclesiae, sed agitur de toto composito ecclesiastico, i. e. de corpore vivificato ab anima quae est Spiritus Sanctus. Ecclesia ergo eatenus dicitur medium ad singulorum salutem necessarium, quatenus coniunctio cum corpore vivo ecclesiastico est necessaria ad salutem aeternam obtinendam: coniungi vero cum corpore ecclesiastico est idem ac esse *membrum Ecclesiae*. Ut vero aliquis sit verum membrum Ecclesiae tria requiruntur: verae fidei professio — lavacri baptismalis susceptio — organica connexio sive cum corpore ecclesiastico, sive cum collegio apostolico-episcopali Papae subordinato.

Status quaestionis

Ad determinandum statum et limites quaestionis nota:

a) Non quaeritur quinam reapse salventur; quaeritur num ad salutem aeternam obtinendam requiratur pertinere ad Ecclesiam, et qualiter sit intelligenda haec pertinentia. — b) Defenditur duplex necessitas pertinendi ad Ecclesiam veram i. e. romanam-catholicam: una *praecepti* et quidem divini; altera *medii*: haec necessitas medii intelligitur non ex ipsa rei naturae proveniens, sed ex positiva Christi institutione; nec agitur de necessitate Ecclesiae praecise *in re*, sed de necessitate *vel in re, vel in voto*. — c) Agitur de necessitate Ecclesiae pro hominibus *in Novo Testamento*, et quidem post promulgatum Evangelium. Pro fidelibus Antiqui Testamenti nulla erat necessitas nec *in re* nec *in voto*. — Thesis sic intellecta unicam habet exceptionem: *infans*, enim, *si martyr occumbat*, etiamsi ad Ecclesiam non pertineat re quia non est baptizatus,

nec ullum habeat votum, cuius est incapax, salvabitur. Idem videtur dicendum de martyre *adulto* non baptizato, quum eadem sit vis intrinseca martyrii. Pro adulto tamen manet vera necessitas praecepti; hinc requiritur in eo votum implendi hoc praeceptum.

Positio adversaria

In statuenda necessitate Ecclesiae dupliciter errare contingit: per defectum et per excessum.

Errant per defectum sic dicti Indifferentistae, quorum triplex est gradus: Etenim *rigidiores* tenent indifferens esse quamlibet religionem profiteri, vel nullam. — Alii *minus* rigidi admittunt aliquam religionem esse necessariam, sed non praecise *christianam*. — Alii demum *mitigati* docent aliquam religionem christianam esse necessariam, sed non praecise *catholicam*.

Errant per excessum quidam recentes theologi. Horum aliqui requirunt necessitatem *in re* pertinenti ad Ecclesiam romanam-catholicam, negantque sufficere *votum*: omnes ergo non tantum pagani seu infideles, sed etiam fideles christiani extra confinia Ecclesiae romanae bona fide degentes versantur extra viam salutis. Sic *Feenley* exjesuita (cum suis discipulis) a S. Sede primum commonitus, dein condemnatus. — Alii requirunt necessitatem Ecclesiae romano-catholicae (in voto) etiam pro fidelibus *Antiqui Testamenti*. Sic *Favara* S. J. qui hanc sententiam attribuit S. *Augustino*, eamque probare suamque facere videtur in « Pubblicazioni dell'Ignatianum-Messina ». « La necessità della Chiesa secondo Agostino », 1949: Ubi legitur: « La necessità della Chiesa prima della Chiesa: Perché l'esclusività cattolica in ordine alla fede salutare ci si manifesti veramente assoluta, è necessario che ci proponiamo un'altra questione. E' certo infatti che anche prima di Cristo nessuno si è salvato se non per la fede in Lui aspettato Messia. Sorge quindi spontanea la domanda se anche allora la fede salutare sia stata un vincolo di unione con la Chiesa e se anche i veri fedeli che precedettero la venuta di Cristo siano appartenuti alla Chiesa. *La risposta di S. Agostino è affermativa*. Non

solo i fedeli che sono al presente, ma anche quelli che furono prima di noi e che saranno dopo di noi fino alla fine del mondo tutti appartengono al Corpo di Cristo che è la Chiesa diffusa per ogni parte » (En. in Ps. 62, n. 2. P. L. 41, 36, 749), p. 69 o. c. Quomodo sit intelligenda haec pertinentia, explicatur inferius hisce verbis: « In virtù di questa fede esisteva già in essi l'unione di mente e di cuore con la Chiesa futura *da cui venivano rigenerati*. Potrebbe quindi anche dirsi che siano stati suoi membri *in voto*, se non ugualmente, almeno analogamente a tutti coloro che attualmente credono in Cristo e lo amano con cuore sincero, ma in buona fede si trovano fuori dell'unione visibile della Chiesa. In questo senso la Chiesa ha potuto aver membri anche prima di Cristo e della sua istituzione. Ha così in certo modo preceduto se stessa in quanto che tutti i veri fedeli che l'hanno preceduta le *dovevano essere intimamente e necessariamente congiunti* » p. 74. Defenditur ergo necessitas Ecclesiae Romanae *in voto* pro fidelibus Antiqui Testamenti.

Nota theologica: a) Si sermo sit de necessitate *praecepti* thesis est de fide catholica. — b) Si vero agatur de necessitate *medii*, videtur etiam esse de fide catholica implicite definita in documentis ecclesiasticis mox afferendis: etenim in his statuitur necessitas Ecclesiae pro quocumque homine; hinc etiam pro pueris, qui sunt incapaces *praecepti*. — c) Sufficere votum ingrediendi in Ecclesiam (sensu explicato) est doctrina communis et theologice certa; sententia contraria recenter est explicite condemnata occasione erroris Feenley a S. Officio.

Probatur thesis

Thesis probari potest primum ex verbo Dei scripto — dein ex verbo Dei tradito — demum ex ratione theologica. Praecedat ergo

Argumentum biblicum: Nemo potest in Novo Testamento salvari sine baptismo re vel voto suscepto. Atqui nemo potest fructuose suscipere baptismum sine vera Christi Ecclesia re vel voto occupata. Ergo Ecclesia est necessaria ad salutem necessitate *medii* in re vel in voto.

Maior probatur ex verbis Christi apud Io. 3, 5: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ». Hic agitur: a) de *baptismo*: quia agitur de ritu regenerante, qui constat duplici elemento: terreno et pneumatico. Atqui talis ritus nullus est praeter baptismum. — b) Agitur de ritu qui est *medium* salutis: quia agitur de ritu praedito virtute regenerativa: sicut generatio est verum medium vitae naturalis acquirendae, sic regeneratio est verum medium vitae supernaturalis. — c) Agitur de medio *necessario* ad salutem; etenim nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum caelorum, inchoatum in terris, consummandum in coelis.

Minor probatur: Baptismus vel administratur in Ecclesia catholica, vel extra eam. In primo casu baptizatus fit membrum actuale huius Ecclesiae. Haec est doctrina explicite proposita a *Concilio Florentino*: « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quae vitae spiritualis ianua est: *per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae*. Et cum per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire ». Denzinger, n. 696. — Idem docet *C. Tridentinum*: « Constat baptismi ministrum iudicem esse non oportere cum Ecclesia iudicium in neminem exercent, qui non prius *in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus ... Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel efficit* ». Denzinger, n. 895. — Eadem doctrina proponitur in S. Scriptura. « Etenim in uno Spiritu omnes nos *in unum corpus baptizati sumus*, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi ». I Cor. 12, 13. — Item in Act. 2, 41: « Qui ergo receperunt sermonem (Petri) baptizati sunt, et *appositae sunt* in die illa animae circiter tria millia ». Ubi appositio seu aggregatio ad Ecclesiam exhibetur ut effectus immediate consequens receptionem ritus baptismalis. Constat ergo baptizatum in Ecclesia catholica eo ipso fieri membrum actuale ipsius.

In altero casu, i. e. si baptisma administratur extra Ecclesiam catholicam, vel agitur de puero, vel de homine adulto: si prius, ille puer fit membrum Ecclesiae catholicae; siquidem

baptismus per se aggregat baptizatum Ecclesiae verae, quae catholica est; si alterum, baptizatus (fructuose) fit membrum *voto* Ecclesiae catholicae; etenim baptizatus debet se conformare voluntati Christi institutoris. Atqui baptismus secundum voluntatem Christi aggregat baptizatum Ecclesiae verae. Ergo ...

Argumentum traditionis subsequitur. Traditio christiana manifestatur multifariam, multisque modis. Primo quidem

Professiones Fidei nostrum dogma clare testantur. Sic Professio fidei *Waldensibus* proposita ab Innocentio III: « Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non haereticorum, sed sanctam Romanam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus ». Denzinger, n. 423. Similiter Professio fidei *Orientalibus* a Benedicto XIV praescripta: « Cetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur sancta Romana Ecclesia ... Hanc fidem Ecclesiae catholicae, extra quam nemo salvus esse potest ... spondeo, voveo ac iuro ». Denzinger, n. 1473.

Concilia oecumenica eandem doctrinam sollemniter proponunt: Concilium Lateranense IV: « Una vero est fidelium universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium ... ». Denzinger, n. 430. — Concilium Florentinum: « Firmiter credit, profitetur et praedicat, nullos intra catholicam Ecclesiam non existentes non solum paganos, sed nec iudeos aut haereticos atque schismaticos, aeternae vitae fieri posse participes; sed in ignem aeternum ituros ... nisi ante finem vitae eidem fuerint aggregati: tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant ... neminemque, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christo nomine sanguinem fuderit, posse salvari, nisi in catholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit ». Denzinger, n. 714.

Documenta Papalia eandem fidem invariabiliter profitentur et docent: *Bonifatius VIII* in Bulla « Unam Sanctam » Denzinger, n. 468: « Unam Sanctam Ecclesiam catholicam et


ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum ». *Pius IX* in allocutione « Singularem quadam »: Quod vero apostolici Nostri muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus ut, quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aequae ac funestae ab hominibus propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam ... *Tenendum quippe ex fide est*, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hancque esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum ». Denzinger, n. 1647. — Idem Pontifex in « Syllabo » proscripsit sequentes propositiones Indifferentistarum: « Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt ». — « Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur ». — « Protestantismus non est aliud quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aequae ac in religione catholica Deo placere datum est ». Denzinger, nn. 1716-1718.

Traditio Patristica a principio rei christianae sat clare manifestatur cum in Oriente, tum in Occidente.

Ignatius Antiochenus: « Quotquot Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot paenitentia ducti, redierint ad unitatem Ecclesiae, et hi Dei erunt ut secundum Iesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei: si quis schisma facientem sectatur, regni divini hereditatem non consequetur; si quis ambulat in aliena doctrina, cum Passione non communicat ». Ad Philadelph. 3, 2-3.

Irenaeus: « Spiritus Sancti non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam (haeretici) et operationem pessimam (schismatici). Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, ibi et Ecclesia et omnis gratia. Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant Eum, neque a matris nutriuntur, neque percipiunt de corpore Christi nitidissimum fontem ». Adv. Haer. 3, 24.

Cyprianus: « Adulterari non potest sponsa Christi haec filios regno quos regeneravit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem ». De cath. Eccl. unitate, c. 6.

Origenes:  Nemo semetipsum decipiat; extra hanc domum: i. e. extra Ecclesiam nemo salvatur; nam si quis foras exierit, mortis suae ipse fit reus ». In 1. Iosue, homil. 3.

Lactantius: « Sola igitur catholica est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum fidei: quo si quis non intraverit; vel a qua si quis exierit, spe vitae ac salutis alienus est ». Divin. Inst. l. 4, c. 30.

Augustinus: « Quisquis ergo ab hac Ecclesia catholica sit separatus, quantumlibet se laudabiliter vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum ». Epist. 141. — « Ecclesia catholica est corpus Christi, cuius ille caput, salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus non est particeps caritatis qui hostis est unitatis. Non habent itaque Spiritum Sanctum qui sunt extra Ecclesiam. Qui ergo vult habere Spiritum Sanctum caveat foris ab Ecclesia remanere ». Epist. 185. — « Christum toto corde diligas et eius Ecclesiam ... Si enim de isto saeculo exires separata ab unitate Corporis Christi, nihil tibi prodesset servata integritas corporis tui ». Epist. 208. — « Salus, inquit, extra Ecclesiam non est. Quis negat? Et ideo quaecumque ipsius Ecclesiae habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem ». l. VII, c. 44.

Fulgentius: « Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem extra catholicam baptizatum participem fieri non posse vitae aeternae, si ante finem vitae huius, catholicae non fuerit reditus atque incorporatus Ecclesiae ». De fide ad Petrum, 37, 38.

Ipsa fides Protestantica rem nostram suo modo confirmat: *Catechismus ecclesiae Genevensis*: « Cur remissionem peccatorum subnectis Ecclesiae? Quia eam nemo consequitur, quin et adunatus fuerit ante populo Dei, et unitatem cum Christi corpore perseveranter ad finem usque colat; eoque modo testatum faciat, verum se esse Ecclesiae membrum ». — *Confessio Peregrinorum Francofordiae*: « Omnibus in hanc societatem (Ecclesiam) collectis, ac nulli extra eam communia sunt dona Dei omnia, quae sua morte nobis Christus acquisivit ». — *Confessio Helvetica posterior*: « Communionem vero cum Ecclesia Christi vera facimus, ut negemus eos coram Deo vivere posse qui cum vera Dei Ecclesia non communicant, sed ab ea se separant. Nam extra arcam Noe non erat salus pereunti mundo in diluvio, ita credimus extra Christum qui se electis in Ecclesia fruendum praebet, nullam esse salutem certam ». — *Confessio Belgica*: « Credimus quod, cum sanctus hic coetus et congregatio servandorum sit coetus, atque extra eam nulla sit salus neminem ... ab ea sese subducere debere, ut seipso separatus contentus degat; sed omnes pariter teneri huic se adiungere eique uniri, Ecclesiae unitatem conservare, seseque illius doctrinae et disciplinae subiicere ». — *Confessio Scotica*: « Extra hanc Ecclesiam nulla est vita, nulla aeterna felicitas; idcirco plane ex diametro abhorremus ab eorum blasphemiis qui asserunt, cuiusvis sectae aut religionis professores fore salvos, modo vitae suae actiones ad iustitiae et aequitatis normam conformaverint ».

Argumentum rationis theologicae rem totam illustrat atque confirmat. Profecto influxus Christi capitalis est necessarius necessitate medii ad aeternam salutem acquirendam. Atqui hic talis influxus nequit participari extra veram Christi Ecclesiam re vel voto occupatam. Ergo vera Christi Ecclesia est necessaria ad salutem necessitate medii in re vel in voto.

Maior est indubia: etenim non est aliud nomen sub caelo hominibus datum. in quo oporteat nos salvos fieri praeter nomen Christi capitatis et lapidis angularis.

Minor probatur: a) Caput, qua tale, nequit influxum capitalem in corpore exercere sine organica cum eo connexione,

qua truncata, illico cessat vitalis eius influxus. Atqui corpus, cuius Christus est caput, est vera ipsius Ecclesia, ut explicitè attestatur Paulus scribens ad Ephes. 1, 22-23: « Et omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur ». — *b)* Christus, caput Ecclesiae, est Christus sacerdos, propheta et rex; hinc Christus influxum suum capitalem exercet in suo corpore ecclesiastico mediante sacerdotio, magisterio et imperio Ecclesiae: hae sunt iuncturae subministrationis de quibus Paulus agit in praefata ad Ephesios epistula (4, 16). Atqui verum ac legitimum sacerdotium, magisterium et imperium non reperiuntur nisi in vera Christi Ecclesia. Sacerdotium equidem potest valide exerceri in falsa ecclesia, sed ut fructuose operetur requiritur ex parte ministrantis intentio faciendi quod facit vera Ecclesia, ex parte vero suscipientis intentio se conformandi cum voluntate Christi, hinc votum ingrediendi in veram Ecclesiam.

II. *Sufficit votum* pertinendi ad Ecclesiam, quando quis inculpabiliter prohibetur ingredi in eam. Agitur de voto implicato in actu caritatis seu contritionis perfectae, ut superius explicavimus. Huius doctrinae veritas plene constat.

a) Ex doctrina Ecclesiae, quam clare promulgavit Pius IX: « Tenendum ex fide est extra apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse ... Sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini ». Allocutio « Singulari quadam » Denzinger, n. 1647. Huc etiam spectant quae idem Pontifex scribit in Encyclica « Quanto conficiamur moerore: « Notum nobis vobisque est eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo sculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati honestam rectamque vitam agunt, *posse* divinae lucis ac gratia operante virtute, *aeternam consequi vitam* ». Denzinger, n. 1677. — Accedit nova et eloquens ecclesiastici magisterii declaratio ex recenti condemnatione doctrinae contrariae, qualis proponitur a *Feenley* eiusque sequacibus. In apposito scholio dabimus praeclarum Sancti Officii documentum.

b) *Ex doctrina Patrum*: Qui omnes admittunt vim iustificativam baptismi flaminis seu actus caritatis, necnon baptismi sanguinis seu martyrii. Sic *Augustinus*: « Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit ». De civ. Dei, l. 8. Similiter in epistula 265: « Quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad Regnum caelorum, *nonnisi baptizatos* intelligere debemus; nisi forte quos angustia passionis invenit, et nolentes negare Christum, antequam baptizentur occisi sunt, quibus *ipsa passio pro baptismo deputata est* ». — Eadem est doctrina *Ambrosii* scribentis de Valentino, qui catechumenus occisus fuerat: « Hunc — inquit — *sua pietas abluit* et voluntas ». De obitu Valent. — Idem docet *Innocentius II* in epistula « Apostolicam Sedem » ad episcopum Cremonensem: « Inquisitioni tuae taliter respondemus: Presbyterum, quem sine unda baptismi extremum diem clausisse litteris tuis significasti, quia in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et caelestis patriae gaudium esse adeptum (ex auctoritate sanctorum Patrum Augustini atque Ambrosii asserimus incunctanter ... Sopitis igitur quaestionibus, doctorum Patrum sententias teneas, et in ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato ». Denzinger, n. 388. — *S. Thomas* in eadem doctrina abundat: « Aliquis per virtutem Spiritus Sancti consequitur *effectum baptismi* ... in quantum cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum et paenitendum de peccatis » (III, q. 66, a. 11). — Doctorem communem sequuntur omnes alii doctores et theologi omnium scholarum.

c) *Ex voluntate Dei salvifica*: Supponimus ex theologia dogmatica Deum serio et sincere velle salutem aeternam omnium hominum. Atqui multi homines inculpabiliter laborant vera impotentia ingrediendi in Ecclesiam catholicam. Ergo pro his omnibus sufficit pertinere ad eam *voto* sive explicito sive implicito implicato in actu caritatis vel contritionis perfectae.

III. *Necessitas praecepti* pertinendi ad Ecclesiam veram i. e. Romanam catholicam non indiget nova demonstratione. Fluit quippe instar corollarii ex his quae ostendimus in prima

parte. Profecto quod est necessarium necessitate medii ad aliquem finem obtinendum, est quoque necessarium necessitate praecepti, *quum finis est praeceptus*. Atqui in nostro casu finis seu salus aeterna est omnibus gravissime praeceptus. Ergo ... — Accedit quod Christus non solum docuit necessitatem regenerationis baptismalis ad captandum Regnum caelorum (Io. 3, 5), sed iussit etiam hoc sacramentum ministrare et recipere (Mt. 28, 19, Mc. 16, 16). Atqui praeceptum recipiendi baptisma includit praeceptum ingrediendi in veram Ecclesiam, quum baptisma sit ianua per quam patet ingressus in hanc Ecclesiam. Ergo ...

Scholium I. — *Recens Documentum S. Officii.*

Periodica Ephemeris americana « The American Ecclesiastical Review » 127 (1952, 2) 307-311 publici iuris fecit Litteras quas S. Congregatio S. Officii misit ad Excemum ac Revmum D. D. Richardum Iacobum Cushing, Archiepiscopum Bostoniensem die 8, mense augusto, anno 1940. In his Litteris continetur brevis et limpida explicatio dogmatis quod in nostra thesi exponere ac demonstrare satagemus. Operae pretium duximus nostram thesim hoc egregio et authentico Documento complere ac illustrare. Praefatae Litterae sic habent:

” Excellentissime ac Revme Domine, — Suprema haec Sacra Congregatio perattente ortum ac progressum prosecuta est gravis controversiae quae a nonnullis sociis institutorum « St. Benedict Center » et « Boston College » excitata est circa interpretationem illius effati « *extra Ecclesiam nulla salus* ». Quum autem omnia documenta ad rem necessaria vel utilia perspecta fuerint, inter quae sive notitiae ab ista Curia receptae, sive recursus et relationes, quibus socii instituti « St. Benedict Center » suas opiniones querelasque exponunt, sive etiam plura alia ad controversiam spectantia ex officio collecta, eadem Sacra Congregatio sibi persuasum habet, deploratam controversiam ortam esse ex eo quod effatum illud « *extra Ecclesiam nulla salus* » non recte comprehensum ponderatumque fuerit, eandemque exacerbata ex gravi disciplinae perturbatione, qua nonnulli sodales institutorum quae

supra memorata sunt, obsequium et oboedientiam erga legitimas auctoritates detrectaverint.

Itaque Eminentissimi ac Rvmi. Patres Cardinales Supremae huius S. Congregationis, in conventu plenario, Feria IV, die 27 Iulii 1949 habito, decreverunt et Augustus Pontifex in Audientia sequentis Feriae V, diei 28 Iulii 1949, approbare dignatus est, ut dentur explanationes quae sequuntur ad doctrinam pertinentes, itemque invitamenta atque exhortationes, quae ad disciplinam spectant, tradantur.

Fide divina et catholica ea omnia credere tenemur, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia non tantum solemnium iudicio, sed etiam ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur (Denzinger, n. 1792). Inter ea autem, quae semper Ecclesia praedicavit et praedicare numquam desinet, illud quoque infallibile effatum continetur, quo edocemur *extra Ecclesiam nullam esse salutem*. Est tamen hoc dogma intelligendum eo sensu, quo id intelligit Ecclesia ipsa. Non enim privatis iudiciis explicanda dedit Salvator Noster ea, quae in fidei deposito continentur, sed ecclesiastico magisterio.

Et primum quidem Ecclesia docet, hac in re agi de severissimo praecepto Iesu Christi. Ipse enim expressis verbis Apostolis suis imposuit ut docerent omnes gentes servare omnia quaecumque Ipse mandaverat (Matth. XXVIII, 19-20). Inter mandata autem Christi non minimum locum illud occupat quo baptismo iubemur incorporari in Corpus Mysticum Christi, quod est Ecclesia, et adhaerere Christo eiusque Vicario, per quem Ipse in terra modo visibili gubernat Ecclesiam. Quare nemo salvabitur qui, sciens Ecclesiam a Christo divinitus fuisse institutam, tamen Ecclesiae sese subiicere renuit vel Romano Pontifici, Christi in terris Vicario, denegat oboedientiam.

Neque enim in praecepto tantummodo dedit Salvator ut omnes gentes intrarent Ecclesiam, sed statuit quoque Ecclesiam medium esse salutis, sine quo nemo intrare valeat regnum gloriae caelestis. Infinita sua misericordia Deus voluit ut illorum auxiliorum salutis, quae divina solum institutione, non vero intrinseca necessitate, ad finem ultimum ordinantur, tunc quoque certis in adiunctis effectus ad salutem necessarij obtineri valeant, ubi *voto* solummodo vel *desiderio* adhibeantur. Quod in sacrosancto Tridentino Concilio claris ver-

bis enuntiatum videmus tum de Sacramento Regenerationis tum de Sacramento Poenitentiae (Denzinger, nn. 797, 807). Id autem suo modo dici debet de Ecclesia, quatenus generale Ipsa auxilium salutis est. Quandoquidem ut quis aeternam obtineat salutem, non semper exigitur ut *reapse* Ecclesiae tamquam membrum incorporetur, sed id saltem requiritur, ut eadem *voto et desiderio* adhaereat. Hoc tamen votum non semper explicitum sit oportet, prout accidit in catechumenis: sed ubi homo invincibili ignorantia laborat. Deus quoque *implicitum votum* acceptat, tali nomine nuncupatum, quia illud in ea bona animi dispositione continetur, qua homo voluntatem suam, Dei voluntati conformem velit.

Quae clare docentur in dogmaticis illis Litteris a Summo Pontifice Pio Papa XII, die 29 iunii 1943 editis « De Mystico Iesu Christi Corpore » (A. A. S., vol. XXXV, a. 1943, p. 193 ss.). In iisdem enim Summus Pontifex nitide distinguit inter eos qui *re* Ecclesiae tamquam membra incorporantur, atque eos qui *voto* tantummodo Ecclesiae adhaerent. Agens enim de membris, quibus Corpus Mysticum hisce in terris componitur (A. A. Sedis, l. cit., pag. 202) idem Augustus Pontifex dicit: « In Ecclesiae autem membris *reapse* ii soli commemorandi sunt qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur neque a Corporis compage semet ipsos misere separaverunt vel, ob gravissima admissa, a legitima auctoritate seiuncti sunt ». Circa finem vero earundem Litterarum Encyclicarum, amantissimo animo eos ad unitatem invitans, qui ad Ecclesiae catholicae compagem non pertinent, illos commemorat « qui inscio quodam *desiderio* ac *voto* ad Mysticum Redemptoris Corpus ordinentur » quos minime a salute aeterna excludit, ex altera tamen parte in tali statu versari asserit « in quo sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt ... quandoquidem tot tantis caelestibus adiuventis carent, quibus in Catholica solummodo Ecclesia frui licet » (A. A. Sedis, l. c., pag. 243).

Quibus verbis providentibus tam eos reprobat, qui omnes *solo voto implicito* Ecclesiae adhaerentes a salute aeterna excludunt, quam eos qui falso asserunt homines in omni religione aequaliter salvari posse. (Cfr. Pii Pp. IX Allocut. « Singulari quadam » apud Denzinger, n. 1646. — Item eiusdem

Pii Pp. IX Litt. Encycl. « Quanto conficiamur moerore » apud Denzinger, n. 1677). Neque etiam nutandum est quodcumque votum Ecclesiae ingrediendae sufficere ut homo solvetur. Requiritur enim ut votum quo quis ad Ecclesiam ordinetur, perfecta caritate informetur: nec *votum implicitum* effectum habere potest, nisi homo fidem habeat supernaturalem: « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus in se remunerator sit » (Hebr. XI, 6). Ait enim Conc. Trident. (Sess. VI, cap. 8): « Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum Eius consortium pervenire » (Denz., n. 801).

Ex praedictis clarum igitur est, ea quae in commentario « From the Housetops » fasc. III, tamquam genuina Ecclesiae catholicae doctrina proponuntur, ab eadem longe distare et esse valde nociva tam iis qui intra quam iis qui foris sunt. Ex hisce declarationibus, quae ad doctrinam attinent, nonnulla consequuntur, quae ad disciplinam et modum sese gerendi spectant, quaeque ignorari nequeunt ab iis qui strenue defendunt necessitatem, qua homines adstringuntur, Ecclesiam veram participandi et sese subiiciendi auctoritati Romani Pontificis et Episcoporum « quos Spiritus Sanctus ... posuit regere Ecclesiam » (Act. XX, 28) Sedulo igitur animadvertant illi qui in gravi discrimine adversus Ecclesiam versantur, semetipsos, postquam « *Roma locuta est* » ne excusari quidem posse bonae fidei rationibus ... Quae dum Tecum communico impensam meam observantiam Tibi obtestor, permanens — Excellentiae Tuae Reverendissimae — addictissimus — † F. Card. Marchetti-Selvaggiani, Secret. — A. Ottaviani, Adessor — Excmo ac Revmo Domino Dno Richardo Iacobo Cushing, Archiepiscopo Bostoniensi — Bostoniam ».

Quum paternis hisce commonitionibus atque exhortationibus Auctor minime acquiesceret, sequebatur publica excommunicatio:

« Cum sacerdos Leonardus Feenley, Bostonii (Saint Benedict Center) residens, qui propter graviter denegatam oboedientiam Auctoritati Ecclesiasticae a divinis

iamdudum suspensus fuerat, non obstantibus iteratis monitionibus et excommunicationis ipso facto incurrendae comminatione, non resipuerit, Emi ac Revmi Patres rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in Plenario Conventu Ferae IV, habito die 4 Februarii 1953, eundem excommunicatum cum omnibus iuris effectibus declaraverunt.

Feria autem V, die 12 Februarii 1953 Ssmus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XII Emorum Patrum decretum adprobavit, confirmavit atque publici iuris fieri iussit. — Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die XIII Februarii a. MCLIII ».

Scholion. II. — *Extra Ecclesiam non datur salus.*

Demonstrata duplici necessitate pertinendi ad veram Christi Ecclesiam, haud est difficile determinare verum sensum formulae dogmaticae: « extra Ecclesiam non datur salus ». In explicatione ita procedimus, ut primo falsas interpretationes excludamus, dein verum sensum stabiliamus.

1. Falsa in primis est explicatio proposita a M. F. Verhelst (Dogmatique, Bruxelles, 1918, p. 44). Apud quem necessitas pertinendi ad Ecclesiam non est *absoluta et universalis*, sed conditionata et ad eos exclusive restricta, quibus patet accessus ad Ecclesiam. Verus ergo sensus christiani axiomatis est: nulla salus datur pro his qui voluntarie et *culpabiliter* versantur extra Ecclesiam romanam: « Donc celle-ci n'est pas l'unique moyen de salut pour tous, et l'on aura le sens précise de l'axiome en disant: Point de salut pour quiconque se trouve hors de l'Église par sa faute ». — Duplex ratio affertur ad iustificandam restrictionem praefati axiomatis: primo quidem quia Deus neminem punit qui non sit reus culpae gravis personalis; deinde vero quia multi reapse homines salvati sunt extra Ecclesiam, ut apparet sive ex his qui iustificati et mortui sunt antequam Ecclesia Christi fuisset instituta, sive ex his qui vixerunt quidem post institutionem Ecclesiae, sed eam invincibiliter ignoraverunt. « Dieu ne punit personne qui ne soit coupable d'une faute volontaire; voulant le salut de tous, il offre a tous les moyens suffisants du salut. Or, un grand nom-

bre d'hommes n'ont pu et ne peuvent demander ces moyens à l'Église: ceux qui moururent avant l'institution de l'Église et ceux qui depuis qu'elle existe, l'ignorent invinciblement. Il est cependant hors de doute que Dieu ne repuse pas inexoreblement ces brevis errants. *Elles peuvent donc se sauver hors de l'Église. Donc celle-ci n'est pas l'unique moyen de salut por tous* ».

Crisis: Haec prima interpretatio nostri axiomatis est incompleta atque insufficiens, quippe quae peccat per defectum. Allatae rationes non sufficiunt ad excludendum sensum universalem, quem nostrum axioma obtinuit in traditione christiana. a) Ex eo quod Deus neminem (adultum) puniat, qui non sit reus culpae gravis personalis non sequitur Ecclesiam non esse unicum salutis medium. Deus excludit a salute aeterna omnes infantes non baptizatos, qui sine ulla culpa personali moriuntur extra Ecclesiam: superius notavimus puerum baptizatum sive intra sive extra Ecclesiam veram fieri membrum actuale Ecclesiae verae i. e. romanae-catholicae. — b) Ex eo quod multi homines in Antiquo Testamento sint salvati extra Ecclesiam Christi, minime sequitur id fieri posse in Novo Testamento post promulgatum evangelium: — c) Ex eo quod multi homines, invincibili ignorantia laborantes, salventur in N. T. extra Ecclesiam romanam non sequitur hanc non esse eis necessariam necessitate praecepti et medii *in voto*. Iure ergo merito *Philips* proscribit hanc interpretationem doctoris Verhelst scribens: « D'après la sentence relatée ci-dessus, l'adage: Hors de l'Église *point de salut*, pourrait se transcrire par ces mots: Hors de l'Église *un grand nombre d'hommes peuvent se sauver. Curieuse exégèse!* » Rev. Ecclés. de Liège, 1929-1930, p. 152.

2. Falsa dein est explicatio recenter proposita a *Feenley*. Apud quem nemo potest salvari extra Ecclesiam romanam catholicam *actu et re* occupatam; negatur ergo sufficientia voti implicati in actu caritatis aut contritionis perfectae. a) In hac interpretatione axiomatis non apparet quomodo possit salvari doctrina revelata de voluntate Dei salvifica universali. — b) Accedit quod praefata explicatio longe recedit ab antiqua traditione christiana, necnon ab explicitis Ecclesiae declaratio-

nibus, unde intelligitur gravis et explicita huius doctrinae condemnatio a S. Officio de qua egimus in primo scholio.

3. Falsa quoque est sententia quam Favara tribuit S. Augustino. Secundum placita huius sententiae necessitas pertinenti ad Ecclesiam Romanam catholicam extenditur ad illos quoque fideles qui in Antiquo Testamento vixere et in eo iustificati sunt. De his omnibus asseritur quod necessaria illis erat coniunctio cum Ecclesia Romana catholica, quippe cuius membra *in voto* esse debebant. Haec porro coniunctio intelligitur *causalis et vitalis*. « Ha cosi (la Chiesa) in certo senso preceduto se stessa in quanto che tutti i veri fedeli che l'hanno preceduta le *dovevano essere* intimamente e *necessariamente congiunti* ... In virtù di questa fede esisteva già in essi l'unione di mente e di cuore con la Chiesa futura *da cui venivano rigenerati* ».

Crisis: Haec sententia nequit ullatenus admitti, quippe quae, sicuti proxime antecedens, peccat per excessum. Profecto: a) Eadem est necessitas ingrediendi in veram Christi Ecclesiam, ac est necessitas recipiendi baptismum, quippe qui sit ianua per quam fit ingressus in eam, ut loquitur Florentinum. Atqui pro iustis Antiqui Testamenti nulla erat necessitas recipiendi baptismum nec re nec voto. Haec est doctrina unanimi theologorum consensu recepta, et a Concilio Tridentino sancita in sessione VI, Cap. 4: « quae quidem translatio (in statum gratiae) *post evangelium promulgatum* sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest ». Denzinger n. 796. — b) Ipsa ratio clare perspicit optimum Deum non potuisse imponere fidelibus Antiqui Testamenti obligationem eliciendi votum recipiendi baptismum et ingrediendi in Ecclesiam catholicam, quum huius voti adimpletio et realizatio sit quid omnino impossibile, idque per se seu *ex ipsa Dei dispositione*. — c) Nec apparet qualiter fideles Antiqui Testamenti potuerint *regenerari* ab Ecclesia catholica cuius sacerdotium, magisterium et imperium nonnisi post longum saeculorum decursum in existentiam venire debuerint. Unde facile intelliges et vehementer probabis verba laudati *Philips*: « Il ne viendra à l'idée de personne de prétendre que l'Église est nécessaire à ceux qui moururent avant son institution. *Ce serait une parfaite absur-*

dité. L'Église, faut-il le dire? ne peut sauver les hommes que depuis qu'elle existe ». o. et l. c. — Advertas hanc doctrinam de necessitate (in voto) Ecclesiae catholicae pro fidelibus Antiqui Testamenti nullibi ab Augustino explicite proponi; agitur de nova et singulari interpretatione Auctoris.

4. Specialem attentionem meretur explicatio innixa distinctioni inter corpus et animam Ecclesiae. Non pauci auctores notant posse homines ad Ecclesiam pertinere duplici modo: perfecte nempe et imperfecte. Perfecte pertinent ad Ecclesiam qui ad animam et corpus ipsius pertinent. Imperfecte ad Ecclesiam pertinent qui vel ad solam animam vel ad solum corpus eius pertinent. Ad animam et corpus pertinent omnes et soli catholici romani qui in statu gratiae versantur. — Ad solam animam pertinent qui sunt in caritate, sed extra septa Ecclesiae catholicae bona fide degunt. — Ad solum corpus pertinent omnes catholici romani qui in statu peccati versantur. Hisce praestabilitis, sic demum decernunt: Pertinere ad animam Ecclesiae et necessarium medii *in re*. — Pertinere ad corpus Ecclesiae est necessarium in re *vel in voto*. — Pertinere *actu* seu re ad corpus est necessarium tantum necessitate praecepti, a qua excusat ignorantia invincibilis vel impotentia moralis.

Crisis: Hanc quoque adagii nostri interpretationem falsam, imo periculosam arbitramur. a) Tota haec explicatio est innixa falso cuidam praesupposito de anima Ecclesiae repouenda in caritate creata. In tractatu de Ecclesia corpore Christi mystico ostendemus animam Ecclesiae non posse constitui caritate vel ullo alio dono creato, quippe quod non possit esse principium *ultimum et adaequatum* totius vitae in corpore mystico et ecclesiastico. Ad normam germanae theologiae Paulinae a Pio XII sancitae in Encyclica mystici Corporis, animae locum tenet in Ecclesia Spiritus Sanctus a quo demum procedit tota vita, tota unitas et varietas charismatica in corpore mystico. — b) Nec probari ullatenus potest ista cruenta vivisectio inter animam et corpus Ecclesiae. Sicut in corpore organico humano, sic etiam in corpore mystico et ecclesiastico quicumque pertinet ad corpus, eo ipso pertinet ad animam; quia corpus sive naturale sive mysticum ab anima habet quod sit unum, varium, organicum, vivum; ideo non recte dicitur

quod peccatores in Ecclesia Romana pertinent ad solum corpus Ecclesiae. Similiter quicumque pertinet ad animam Ecclesiae, *qua animam*, eo ipso pertinet ad corpus. Etenim anima quum sit actus *corporis organici*, nonnisi in corpore influxum *animicum* exercere potest. Cave ne confundas in influxum *animicum* cum influxu mere vitali. Deus exercet multiplicem influxum vitalem quidem, at non animicum in plantis, in brutis. .
 c) Inde consequitur eandem esse necessitatem pertinendi ad animam et ad corpus Ecclesiae. Peccatores in Ecclesia Romana pertinent *re* et ad corpus et ad animam, a qua recipiunt characterem baptismalem, fidem, spem, continuos gratiae actualis impulsus. Iusti N. 7. qui extra confinia Ecclesiae Romanae versantur, pertinent *voto* tum ad corpus tum ad animam corporis mystici: aliis verbis, pertinent voto ad corpus ecclesiasticum ab Spiritu Sancto animatum. Quae omnia clarescent magis quum de mystico Christi Corpore sermonem instituamus.

5. In adagio « extra Ecclesiam non datur salus », si nomine *Ecclesiae* intelligatur Ecclesia *universalis* secundum notionem amplissimam *communions Sanctorum*, i. e. quatenus est supernaturalis societas seu civitas eorum omnium, qui sive angeli, sive homines ab Adam usque ad consummationem sub Christo capite fide in via, visione beatifica in termino Deo adhaerent, admitti necessario debet neminem umquam sive in Antiquo sive in Novo Testamento extra eam esse salvatum. Recte ergo *Franzelin*: « Ex distinctione ista inter notionem generalem Ecclesiae Dei in terris, cuius formam fidem esse diximus, et inter statum specialem Ecclesiae in Novo Testamento intelligitur, neminem umquam esse salvatum aut salvari posse qui non *actu ipso* pertinuerit aut pertineat ad Ecclesiam secundum notionem illam generalem. Salvati tamen sunt in veteri Testamento iuxta fidem defuncti et testimonio fidei probati, *quin pertinerent* ad statum specialem Ecclesiae a Christo determinatum ». De Ecclesia Christi, 1887, p. 19. Haec quidem verissima sunt sed pro certo retinendum est in formula dogmatica « extra Ecclesiam nulla salus » nomine Ecclesiae intelligi Ecclesiam Novi Testamenti super Petrum a Christo fundatam.

6. Falsis ergo explicationibus reiectis atque eliminatis, remanet unicus verus axiomatis sensus quem in thesi demons-

travimus atque explicavimus. Videlicet: Duplex est verae Ecclesiae necessitas ad salutem aeternam: una praecepti divini; altera medii: necessitas medii intelligitur non ex ipsa rei natura proveniens, sed ex positiva Christi dispositione, ita quidem ut Ecclesia dicatur necessaria necessitate medii *in re vel in voto*. In Novo ergo Testamento post promulgatum evangelium nemo salvari potest extra Ecclesiam Romanam re vel voto occupatam, voto inquam implicato in actu caritatis aut contritionis perfectae. Haec est vera dogmatis explicatio quam optimi quique theologi proponunt, quam S. Officium recenter sua auctoritate confirmavit atque illustravit.

TRACTATUS DOGMATICUS
DE
ECCLESIA CORPORE CHRISTI MYSTICO

INTRODUCTIO

Praeclara Christi Ecclesia, ad imaginem sui conditoris expressa et coagmentata, duplici constat elemento: uno externo et somatico, altero interno et pneumatico. Unum corpus et unus Spiritus. Quae duo elementa si ad invicem conferantur, asseri fidenter potest elementum internum et pneumaticum illum tenere in compagine ecclesiastica locum, quem anima occupat in organismo humano, vel divinitati assignari consuevit in composito theandrico. Excelsam hanc pneumatici elementi *praecellentiam* frustra quaesieris in libris de Ecclesia saeculo XIX et XX editis et multiplicatis. In quibus omnibus, etiam optimis, elementum externum ac iuridicum talem tantamque praevalentiam obtinuit, quae ad verum monopolium accedere non raro videatur.

Huius singularis phaenomeni causa duplex assignari potest: quarum prior externa est atque historica. Norunt omnes separatim de Ecclesia tractatum esse fructum sequioris aetatis, illumque esse natum, evolutum et coagmentatum sub signo fere polemico et apologetico. Unde est factitatum, ut, ipso rerum factorumque impellente cursu naturali, illae Ecclesiologiae partes, quae in discrimen et controversiam vocatae sunt, longius tractarentur, accuratius examinarentur, potiori ac distinctiori in luce collocarentur; dum alia secretiora, profundiora, multifariam nobiliora, pacifice tamen possessa atque retenta, negligenter nimis, ideoque sensim sine sensu obscurarentur, et in alterum paene locum relegarentur.

At causa interna phaenomeni, de quo agimus, profundior est atque in ipsis rei visceribus posita. Obiectum quippe ecclesiologicum, integre spectatum, amplissimum est atque complexum nimis. Est enim Ecclesia Christi institutio quaedam socialis, iuridica, hierarchica, monarchica, doctrinalis, cultualis, salutifera, sacramentaria, eschatologica. Elementa ergo ecclesiologica limites apologeticos facile exorbitant, atque invadunt confinia theologica fere universa: trinitaria, inquam, christologica, soteriologica, anthropologica et sacramentaria.

Vides iam Ecclesiologiam *integrale* esse opus immensae molis, cuius apta quaedam ordinatio seu systematizatio nonnemi visa est adeo complicata et difficilis, ut desperandum ferre videatur de possibilitate, imo et de convenientia construendi aliquem tractatum separatum de Ecclesia Christi. Accedit mos iam ubique receptus atque retentus inserendi Ecclesiologiam in eam cursus theologici partem, quae audit Theologia fundamentalis. Princeps porro obiectum Theologiae fundamentalis merito reponitur in facto revelationis christianae demonstrando, custodiendo, explicando. Hinc rursus fit, ut ea Ecclesiologiae pars, quae finem doctrinalem respicit, sin minus monopolium, at certe verum quendam primatum iure quasi nativo obtineat.

Rerum omnium, quas descripsimus, consecrarium est inevitabile, ut *vera Ecclesiae imago* dehonestetur, deturpetur, in particulas fragmentarias ac dispersas scindatur. Haec quum ita sint, nemo iure mirabitur quod querelae hinc inde iam erumpant, crescant, ardensque in multis desiderium manifestetur promptae cuiusdam ac profundae *reformationis ecclesiologicae*, in qua iura primatialia interno ac vivificanti elemento restituantur, atque *integra Ecclesiae imago* in sua vera luce ac venustate exhibeatur.

Prima et sollemnia huius praeoccupationis signa manifestabantur apud Patres in Synodo Vaticana congregatos. Digna sunt quae notentur verba quibus Theologi in schemate de Ecclesia, Patribus proposito, primatum pro interno et mystico Ecclesiae elemento, id est, pro Ecclesia mystico Christi corpore vindicare ac iustificare satagebant: « In Sacris Litteris — inquit — Ecclesia Christi nullo alio schemate frequentius, accuratius et disertius proponitur — Eodem schemate continetur ipsa intima Ecclesiae essentia, et praestantissima i. e. divina eius species ac vis, a qua veluti a parte potiori ac nobiliori descriptionis ducitur initium — Accedit ratio polemica, scilicet ut statim ab initio excludatur vulgata apud Novatores tam recentiores quam vetustiores exceptio, quasi per Catholicos tota Ecclesiae veritas revocaretur ad externa ac visibilia tantum. — Apparet insuper nisi illa interna Ecclesiae species habeatur ob oculos, constitui aestimarique, ut par est, de his non posse quae ad ipsam externam eius faciem spectant. — Et notum est omnibus ipsam imprimis esse mystici corpo-

ris speciem, quae nunc inter homines adeo carnales ac mundanos aut penitus ignoratur, aut, ut oportet, non attenditur; quare illa videbatur ante omnia in animo fidelium excitanda ». Notae sunt vicissitudines historicae huius schematis quod in ipso Concilio immature suspenso nec definiri, nec examinari sufficienter potuit.

Mirum iure videri possit, quod ecclesiologi in universum, non obstante hoc praeclaro ac conciliari exemplo, morosiores, ut plurimum, extiterint in ineunda ac frequentanda hac regia via. At non defuerunt gloriosa quaedam, licet rariora, ecclesiologicae renovationis tentamina. En praeclara quaedam specimina, quae intra septa catholica post Synodum Vaticanam orta sunt, atque his ultimis decenniis hinc inde continuata fuere.

Franzelin, prout exspectare licebat ab egregio Concilii Vaticani theologo, sollicitum se praebet de interna Ecclesiae praestantia ac dignitate extollenda in suo praeclaro, utut incompleto, tractatu de Ecclesia Christi. Huc spectat integra *sectio tertia* totius operis, cui titulus generalis est: « Ecclesia Christi considerata secundum habitudines ad divinum suum fundatorem ». Structuram ac tendentiam integrae sectionis clare exhibent verba praeliminaria, quae sic habent: « Ecclesiae, ut a Verbo incarnato divinis factis et sanctionibus, charismatis et promissis, rebus et verbis instituta et constituta est, notionem pleniorum magnitudini rei et veritati congruentem informare non possumus, nisi praeprimis penetrare conemur eiusdem ad Christum et Christi ad ipsam mirabiles habitudines *fundatoris et sanctificatoris, sponsi et capitis, archetypi et finis* suae Ecclesiae, ut illae in divina revelatione expressae nobisque manifestatae sunt. Hoc igitur, quantum a nobis fieri potest, in praesenti sectione assequi studebimus ».

Dieckmann methodo critico-historica eruditissime describit externum et iuridicum Ecclesiae aspectum: At clare vidit egregius theologus nobilissimam Ecclesiae speciem deformari ac obscurari sine addito conspectu dogmatico, in quo interna ipsius dignitas atque praestantia summario saltem modo exhibeatur. En modum quo hunc dogmaticum conspectum iustificare satagit:

« Ecclesia non est solummodo via et dux viae ad vitam, sed ipsam vitam praebet hominibus; neque dumtaxat vestibulum sanctuarii est, sed ipsum templum Dei vivi in terris; neque est tantummodo praeambulum fidei, sed ipsa est etiam obiectum fidei, dogma fidei, articulus fidei. Credo « Sanctam Ecclesiam catholicam » profiteamur in Symbolo apostolico quod vocatur; « unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam » in Symbolo Nycaeno-Constantinopolitano. Hinc pronum est, ut brevi saltem conspectu ea videamus, et ex fontibus exhibeamus quae de Ecclesia dogmaticae, de Ecclesia igitur quae est obiectum fidei, dicenda sunt. Arcitissime cum ratione modo exposita cohaeret alia. Tractatus videlicet theologiae fundamentalis considerat Ecclesiae constitutionem et organisationem, atque fere unice finem eius doctrinalem respicit. At hic finis doctrinalis, utut est Ecclesiae essentialis, non est unicus neque principalis, quem ex voluntate Christi prosequi debet. Christus enim Ecclesiam suam primarie instituit, ut per eam fructus redemptionis omnibus hominibus communicaret atque homines omnes sanctificaret. Consentaneum proinde est, ut, peracta inquisitione historica in finem secundarium, etiam finem Ecclesiae primarium, vel potius utrumque simul eorumque inter se relationem, itaque *Ecclesiam integram*, omnes eius dignitates, divitias, glorias, gratias, totamque eius indolem supernaturalem explanemus ». Synthesis porro dogmatica tribus capitibus concluditur: I. De Ecclesiae habitudine ad Christum - II. De Ecclesiae habitudine ad caeteras personas divinas atque ad ipsam sanctissimam Trinitatem - III. De indole et proprietatibus Ecclesiae.

Koester W. (Die Idee der Kirche beim Apostel Paulus, 1928) cohaeret quidem cum Dieckmann, viam tamen e diametro oppositam ingreditur. Dieckmann externum et historicum Ecclesiae conspectum uberrime evolvit, sed internum et mysticum ipsius aspectum non nisi per modum appendicis, ideoque forma brevissima, quae scilicet singulas quaestiones indicat potius quam late exponit. Koester e contrario, iuridico et doctrinali Ecclesiae aspectu brevissime exhibito, internum atque mysticum eius respectum, id est, Ecclesiam ut mysticum Christi corpus late et accurate pertractat ad mentem et doctrinam Pauli. Koester ergo tractatum Dieckmann optime complet

et perficit, ita quidem ut in utroque simul auctore integer et completus Ecclesiae tractatus reperiri queat.

Lippert P. (*Die Kirche Christi* 1931) novam viam inauguravit, quae ingeniosa est ac singulari attentione digna. Principio notatur Ecclesiam romano-catholicam prae se ferre miram quamdam realitatem ditissimam simul et complexam quam possit quilibet homo excultus experiri, scientificae considerationi et analysi subiicere, fide demum et amore captare atque comprehendere. Hinc tripartita totius operis divisio: in prima parte agitur de Ecclesia, prout est obiectum experientiae. Altera pars considerat Ecclesiam, prouti est obiectum scientificae inquisitionis. Tertia demum pars exhibet Ecclesiam, prout est obiectum fidei, adorationis, amoris. Tres operis partes ita sunt consertae atque connexae, ut prima praeparet secundam, haec vero altera manuducat ad tertiam, quae praecipua est magisque momentosa. Indoles operis prae speciali Auctoris scopo, non tam est technica et scientifica, quam psychologica et vitalis, styli venustate ornata atque condita, zelo apostolico informata et vivificata.

Feckes (*Das Mysterium der heiligen Kirche*, 1934) egregium locum occupat inter recentiores Ecclesiologiae renovatores. Principio iam notatur atque premitur obortum iam apud plurimos catholicos et in dies crescens desiderium intimius cognoscendi arcanum Ecclesiae mysterium. Hinc necessitas alicuius tractatus dogmatici de Ecclesia in quo vera ipsius natura, dignitas atque maiestas apta in luce collocetur. Locus porro proprius tractatus dogmatici de Ecclesia, in logica atque hierarchica scientiae sacrae systematizatione, est immediate post tractatum de Verbo Incarnato. Profecto Ecclesia, quum sit, teste Vaticano; aedificata ad salutiferum Redemptoris opus perenne reddendum, praesupponit doctrinam christologicam et soteriologicam. Apparet iam structura operis et bipartita ipsius divisio. Constat videlicet totum opus duplici parte: pars prior, quae introductoria fere et praeliminaris dici potest, colligit et in aptum ordinem redigit principia christologica et soteriologica quae dogmatico tractatui de Ecclesia logicam basim suppeditant. Huc spectant quatuor capita in quibus explicatur doctrina de Christo capite generis humani — de Christo me-

diatore Deum inter et homines — de triplici forma mediatio-
nis Christi — prophetica, sacerdotali, regali. — Unde elucet
iam necessitas alicuius organismi supernaturalis, in quo ho-
mines Christo incorporentur, eiusque vitae fiant participes.
Sequitur altera pars quae proprie ecclesiologica est. Primum
caput exhibet Ecclesiam primo ut institutionem salutiferam,
dein ut mysticum Christi corpus. Succedit explicatio relationis
Christi ad Ecclesiam. In capite altero instituitur nobile quo-
dam atque difficile tentamen definiendi integram ac genuinam
Ecclesiae essentiam.

Stolz A. recenter edidit brevissimum tractatum dogmati-
cum de Ecclesia (1939). Auctor imprimis conqueritur de con-
fusionem a quibusdam ecclesiologis inducta: « Inspecienti ma-
nualia theologica apparet apud quosdam auctores in hac ma-
teria confusionem quandam adesse, eo quod in uno eodemque
tractatu tum apologetice tum dogmatice de Ecclesia agunt.
Quod inconueniens etiam tunc non satis evitatur, si thesibus
apologeticis scholia dogmatica adduntur; sic enim veritates
dogmaticae vix in suo valore vero proponi possunt ». Inde con-
sequitur venientia separandi tractatum dogmaticum de Ec-
clesia a tractatu apologetico.

Obiectum porro huius tractatus dogmatici sic definitur:
« Ad Apologeticam igitur pertinet omne id de Ecclesia, quod
de *credibilitate* eius dici potest (seu de institutione eius); pro-
bandum enim est, post sic dictam demonstrationem christia-
nam, Christum instituisse Ecclesiam aliquam, eamque certis
praerogativis ac notis ornatam, quibus distingui possit; et so-
lam Ecclesiam romano-catholicam notas istas possidere. — Ad
partem dogmaticam pertinent ea, quae *fidem* Ecclesiae (Ecce-
lesia ut obiectum fidei) constituunt, aliis verbis, ea quae de se
ipsa affirmat Ecclesia de constitutione Ecclesiae tum interna,
tum externa, de membris et potestatibus eius). Breviter: de
Ecclesia, prout in fontibus revelationis, non in quantum sunt
fontes mere historici, sed prout depositum fidei continent, ap-
paret.

Locus proprius tractatus dogmatici de Ecclesia sic stabi-
litur: « Aliqui tractatum dogmaticum post tractatum de Ver-
bo Incarnato ponendum esse affirmant. Alii ponunt eum post
tractatum de Gratia. Positio prior omnino recta esse videtur,

cum insuper respondeat ordini symboli, quod post divinas personas earumque munera articulum de Ecclesia inducit ».

Divisionem tractatus quod attinet, reiectis aliis quibusdam modis, suam sententiam sic effert: « Conveniens divisio tractatus *ex historia* eruenda est, videndo quaenam doctrinae revelatae de Ecclesia decursu temporum in fidem explicitam fidelium transierint et in ea praevaluerint. Sic et nullam partem maioris momenti omittimus, nec aspectu alicuius temporis seducti, alios aspectus illegitime subordinamus. Hoc modo in tractatu nostro geneticam penetrationem mysterii Ecclesiae proponere possumus, prout in ipsis fidelium mentibus sub moderamine Spiritus Sancti locum habuit ». — Ad hanc normam tota materia dividitur quinque capitibus, et ordinatur modo sequenti: I. Regnum Dei et Ecclesia — II. De natura Ecclesiae. III. De membris Ecclesiae. — IV. Ecclesia magistra fidei. — V. Civitas Dei.

Lercher L. eiusque recentes editores Oenipontani practice ostendunt quam sit arduum et operosum integram Ecclesiae ubertatem uno loco et tractu exhibere; hinc est quod tractatui de Ecclesia multiplicem locum assignant. Primo quidem in Theologia Fundamentali (vol. I): ubi non expedit in ipso tractatu apologetico omnem de corpore mystico tractionem praetermittere. Etenim « conservare et propagare doctrinam revelatam certe est aliquis finis Ecclesiae, sed non adaequatus. Hic plura comprehendit, quorum tractatio proprie ad Dogmaticam specialem pertinet. Nihilominus etiam hic *summam* de fine Ecclesiae agendum est, non solum quia usus sic fert, ut quaestiones dogmaticae de Ecclesia Theologiae Fundamentali inserantur, sed etiam quia ex fine et dignitate supernaturali Ecclesiae egregie collustratur institutum doctrinale ecclesiasticum ita innotescit quoque melius quae sit habitudo functionis docendi ad alias sacras functiones Ecclesiae ». Sequitur thesis 26a in qua de mystico Ecclesiae corpore sobrie disseritur.

Nova tractatio recurrit in Theologia Dogmatica, vol. VI De Verbo Incarnato, thesi 18a, quae sic effertur: « Vi incarnationis genus humanum Christo capiti organice coniunctum exigentiam remotam accepit participandi dignitatem et vitam Christi capitis ».

Accedit tertia et ampla tractatio de Corpore mystico in vol. IV^o instar capitis prodromi ad tractatum de Gratia. « Vita supernaturalis minime evolvitur et absolvitur in singulis hominibus tamquam personis solitariis, sed potius in hominibus ut membris unius corporis Christi mystici coniunctis cum capite et inter se; ita scilicet ut ipse Christus Iesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos iustificatos virtutem influat... Quapropter convenit, ut in huius tertiae partis initio conspectus doctrinae de Corpore Christi mystico ponatur tamquam caput prodromum, quo adumbretur intima structura integrae oeconomiae salutis christianae ».

Journet Ch. recenter felicissimo consilio decrevit edere magnum de Ecclesia opus, in quo *integra Ecclesiae natura* atque species per quatuor causas sub aspectu theologiae *speculativae* funditus explicetur. Prodiit iam (1941) volumen I ubi de causa Ecclesiae *efficienti*, seu de hierarchia apostolica ample et splendide disseritur. « L'Église du Verbe Incarné - Essai de Théologie spéculative. I. La Hiérarchie apostolique ». Prodiit quoque volumen II: « L'Église du Verbe Incarné. II. Sa structure interne et son unité catholique ». Ubi de capite et anima Corporis Mystici amplissime agitur (1952). Mens Auctoris circa modum organizandi seu systematizandi integram materiam ecclesiologicam clare patescit ex his quae praemittuntur in Introductione.

« En exerçant une si forte influence sur l'organisation du traité de l'Église, les préoccupations apologétiques devaient rejeter pour ainsi dire au delà de ses frontières et les études plus désintéressées et plus profondes relatives à la constitution intime et au mystère de l'Église. Ce sont elles qui, à notre époque, intéressent davantage les esprits, et que l'on commence de grouper à part, dans les traités du Corps Mystique du Christ. Une pareille séparation peut sans doute se justifier aisément par des raisons de pure commodité. Mais elle serait funeste si elle avait pour conséquence de faire croire à l'existence de deux traités théologiques distincts, l'un relatif à l'organisation hiérarchique (le traité de l'Église); l'autre à la vie profonde des membres du Christ (le traité du Corps mystique). Elle conduirait alors, en effet, à scinder l'organisation hiérar-

chique et l'organisation de la charité, l'Église et le Corps du Christ ...

Une faute de méthode comme celle que nous signalons deviendra, au contraire, impossible dès que l'on efforcera d'expliquer l'Église par les quatre causes dont elle dépend essentiellement. La hiérarchie apostolique ne représente alors rien de plus que la cause efficiente immédiate de l'Église, du Corps Mystique. Elle a pour effet de produire dans l'existence l'Église elle-même « le Christ répandu et communiqué avec de ses deux causes constitutives, à savoir, son âme qui la rend tout entière spirituelle, et son corps qui la rend tout entière visible, en vue de la tourner vers sa cause finale, à savoir, la sainteté de Dieu, qu'elle a pour mission de refléter et d'hospitaliser.

En outre, dans la perspective dont nous parlons, les quatre marques, les quatre notes de l'Église apparaîtront naturellement comme les corollaires respectifs de chacune de ses quatre causes. Elles seront ainsi étudiées à partir du cœur de l'Église, à partir du lieu où elles sortent de son essence, et pour autant qu'elles sont une extériorisation, une manifestation normale de son mystère. Et l'on pourra abandonner ultérieurement aux initiatives de l'apologétique le soin de les faire valoir davantage dans le concret, d'une manière plus souple et plus minutieuse, qui pourra varier selon que l'exigera la nécessité des temps et des circonstances ».

Mersch *Ae.* magnam partem suae vitae scientificae consecravit studio Corporis Mystici. Qui suo bino praeclaro opere « Le Corps Mystique du Christ. Études de théologie historique » 1936 — « La Théologie du Corps Mystique » 1944 non parum contulit ad renovationem ecclesiologicam. Simul cum Mersch commemorandus est *Cerfaux L.* cuius opus « La Théologie de l'Église suivant saint Paul » mole quidem parvum, at doctrinae densitate simul et novitate conspicuum, natum est ceteris proficuas ecclesiologorum reactiones. Nec potest praetermitti opus multiforme *P. Congar* cuius opus definitivum de Ecclesia iam dudum expectatur.

Tromp S. prae ceteris evocabat attentionem theologorum ad mysticum Ecclesiae respectum accuratius considerandum;

apertisque uberrimis Patrum thesauris, viam sternebat ad utilissimam Ecclesiologiae reformationem. Quem scopum ut obtineret, edebat apud aedes Universitatis Gregorianaе opus cui titulus: « Corpus Christi quod est Ecclesia ». I. Introductio Generalis, 1937. Nova editio huius primi voluminis, revisa et aucta, prodit anno 1946. Interea expectantur sequentia volumina in quibus agetur « de quaestionibus specialibus, quarum principaliores erunt de Christo Capite — de Spiritu Sancto anima — de B. Virgine Corde — de Organis — de Membris — de modo unionis — de dotibus, de exortu progressivo, de causis corporis dominici, tandem de eius habitudine ad tres personas SS. Trinitatis ».

Hoc opus P. Tromp continet praeparationem proximam, paene dixerim, praenuntium magnae Encyclicae Pii XII « Mystici Corporis » (1943), quae ad optatam Ecclesiologiae reformationem multum profecto multumque conferre potest. Hac Encyclica inauguratur *nova aetas ecclesiologica*, in qua spes arridet fore ut ad definitivam Ecclesiologiae renovationem deum deveniatur. Granulum arenae operi communi ex nostra parte afferre cupientes, multorumque votis obsecundantes, operae pretium duximus de hoc altissimo mysterio Corporis Christi in hoc altero volumine paulo fusius, pauloque accuratius disserere. Ordo porro tractationis hic erit: I. De membris Corporis Mystici. — II. De Christi clarificatione, eiusque momento soteriologico. — III. De Christo clarificato capite Corporis Mystici. — IV. De Christo clarificato datore Spiritus in Corpore Mystico. — V. De Spiritu Sancto anima Corporis Mystici. — VI. De nostra cum Christo solidaritate in Corpore Mystico. — VII. Theologia recentior Corporis Mystici. Faxit Deus ut haec nostra modestissima dissertatio aliquali subsidio esse possit tum alumnis huius Universitatis Gregorianaе, in qua scribimus; tum confratribus sacerdotibus in vinea Domini laborantibus, tum Professoribus materias ecclesiologicas in Seminariis edocentibus.

CAPUT PRIMUM

DE MEMBRIS CORPORIS MYSTICI

Quaestio de membris corporis mystici obscura est ac complicata nimis. Eam complexiorem reddidere dissidia doctorum. Doctores profecto dissident hac in re miris et veris modis. Nota imprimis est divisio Protestantica inter Ecclesiam invisibilem et visibilem. Ecclesia stricte dicta, quae est Ecclesia promissionum, est formaliter invisibilis: haec est vere corpus Christi mysticum, cuius membra sunt vel soli sancti (Luther), vel soli praedestinati (Calvin).

Catholici doctores uniformiter docent veram promissionum Ecclesiam esse formaliter visibilem, super Petrum Domini voce fundatam; sed multifariam variant inter se in designandis membris corporis mystici: primo quidem non desunt qui admittant divisionem inter Ecclesiam invisibilem et visibilem, quam tamen distinctionem ita intelligunt, ut Ecclesia invisibilis constituatur ab *omnibus* iustis, sive catholicis, sive acatholicis; Ecclesiae vero visibilis membra sint omnes et soli christiani romano-catholici. — Alii distinguunt inter membra *Christi*, et membra *corporis Christi*, ita quidem ut omnia membra corporis Christi sint eo ipso membra Christi; non tamen omnia membra Christi sunt eo ipso dicenda membra *actualia* corporis Christi. — Alii proponunt distinctionem inter membra *corporis Ecclesiae*, et membra *corporis Christi*. — Nec defuit doctor, plus minus irrefragabilis, distinguens inter pertinere ad *unitatem corporis* Ecclesiae (iusti), et pertinere ad *unitatem Ecclesiae* (peccatores). — Sunt qui distinguunt inter membra *sensu aequivoco* (peccatores), et membra *sensu univoco* et proprio (iusti). — Nonnemo proponit distinctionem inter membra pure visibilia, membra visibilia simul et spiritalia, membra mere spiritalia. — Vetus dein est et vulgata divisio Aquinatis inter membra *in actu*, et membra *in poten-*

tia: membra actualia dicuntur qui sunt habitualiter uniti cum Christo capite sive per gloriam, sive per caritatem, sive saltem per fidem habitualem. Membra potentialia sunt, qui carent hac unione habituali cum Christo, habent tamen potentiam physicam eam acquirendi. — Recentior est nova divisio inter membra in *actu completo* seu consummato; et membra in *actu inchoato* et virtuali ac tendentiali: quicumque vivunt authenticam vitam caritatis, sive in Antiquo, sive in Novo Testamento, sive inter dissidentes christianos, sive inter paganos, eo ipso pertinet ad corpus Christi, quod est Ecclesia catholica, in actu inchoato et virtuali. — Aliis placet tripartita divisio inter membra visibilia actualia; visibilia potentialia; invisibilia potentialia. — Non pauci nostris diebus delectantur nova divisione membrorum inter membra visibilia, et membra invisibilia, seu quod ad idem redit, inter pertinere ad corpus mysticum visibiliter, et pertinere vere quidem et actu, sed invisibiliter. — Inde sponte oriebatur nova divisio inter membra corporis mystici *perfecte* visibilia — et imperfecte visibilia — perfecte seu totaliter invisibilia. — Nec his satis: non-nemo recentissime distinguit, idque ad normam Encyclicae « Mystici Corporis », inter pertinere ad *Ecclesiam visibilem*; et pertinere ad *compaginem visibilem* Ecclesiae; ita quidem, ut haeretici et schismatici bonae fidei dicendi sint pertinere ad Ecclesiam visibilem, non tamen ad compaginem visibilem Ecclesiae. — Distinctio scholastica post-tridentina inter *animam* et *corpus* Ecclesiae ansam dabat novae divisioni membrorum in corpore mystico. Potest quis pertinere — aiebant — vel ad solam animam, vel ad solum corpus, vel ad corpus simul et animam. Ad solam animam pertinent omnes qui, extra septa Ecclesiae Romanae degentes, sunt uniti cum Christo capite per caritatem; ad solum corpus pertinent catholici Romani, qui in peccato gravi versantur; ad animam simul et corpus demum pertinent omnes et soli iusti catholici romani. — Maximi momenti est in re nostra distinctio inter membra *corporis mystici*, et membra *Ecclesiae romano-catholicae*. Fuerunt non pauci ante Encyclicam « Mystici Corporis », nec desunt post hanc, immo et post Encyclicam « Humani Generis », qui negant coextensionem Corporis mystici et Ecclesiae catholicae; docentque corpus mysticum longe exorbitare limites Ecclesiae Romanae. Quo posito decernunt: Mystici corporis membra sunt

omnes qui Christo capiti sunt vitaliter et habitualiter uniti sive in terris, sive in coelis, sive in Purgatorio, dum membra Ecclesiae Romanae sunt omnes et soli qui sunt in communione et obedientia Romani Pontificis. — Cum hac divisione proxime cohaeret distinctio ab his stabilita, qui admittunt *multos sensus* formulae *corpus Christi* in traditione christiana successive obtinentes. Ex his aliqui distinguunt inter membra corporis mystici *sensu eminenti*, et membra c. m. *sensu simplici*. Membra corporis mystici in sensu eminenti sunt omnes et soli fideles romano-catholici: membra c. m. sensu simplici sunt omnes prorsus homines qui modo vitali et habituali sunt Christo incorporati. — Alii distinguunt duos sensus corporis mystici: unum *primarium*, alterum *secundarium*: sensus primarius intelligitur ille qui est *primo* revelatus — *primo* propositus a magisterio ecclesiastico — et plenius explicat metaphoram Paulinam corporis Christi: sensus porro secundarius est multiformis et multicolor; unde habentur variae notiones corporis mystici, quod aliquando concipitur ut coetus *sanctorum*, alias ut coetus *fidelium*, alias ut coetus *praedestinatorum*, etc. — Nova divisio recenter oriebatur occasione Encyclicae « Mystici Corporis », ad cuius normam tres sunt conditiones requisitae ad rationem membri in corpore Ecclesiae: verae fidei professio, baptismi susceptio, ecclesiastica communio. Hae porro conditiones diversimode possunt conferri et combinari: Etenim fieri primo potest ut quis habeat has tres conditiones simul cum gratia sanctificante: fieri *secundo* potest ut quis tres illas conditiones possideat sine gratia sanctificante: fieri *tertio* potest ut quis habeat non omnes, sed aliquas ex his conditionibus, idque vel cum gratia, vel sine praesentia gratiae sanctificantis: fieri *quarto* potest ut quis careat his tribus conditionibus, sed habeat caritatem: fieri demum *quinto* potest, ut quis careat tum caritate, tum illis tribus conditionibus. Unde oritur nova classificatio membrorum in corpore mystico; quae etsi possit videri complicata nimis, necessaria tamen reputatur ad obtinendam plenam claritatem et adaequatam solutionem huius ardui problematis de membris corporis mystici.

Dedimus varias membrorum classificationes et divisiones a theologis adinventas et propositas. Nunc forte melius intelliges quod initio praemonuimus: quaestionem, in se obscuram

et complexam, Doctorum dissidiis redditam esse complexiorem. Quaeres forsitan: undenam bella et lites inter doctores? Caput dissidorum non est unum, sed multiplex ac multiforme, ut ex dicendis apparebit. Sufficiat nunc praemonere iurgia ac dissensiones Doctorum magnam partem exoriri ex ipsa *notione membri* plus minus arbitrarie praestituta. Utile ergo erit iam inde ab initio notare notionem membri in corpore mystico esse *analogam et revelatam*. Analogatum princeps est corpus organicum humanum, ad cuius similitudinem et imaginem Paulus concipit et exhibet mysticum Christi corpus, quod est analogatum secundarium. Primo ergo videndum erit quid ferat ratio membri in analogato principali, quaerendum dein erit, et maxime quaerendum, qualiter haec membri notio primaria applicetur *a Paulo* analogato secundario.

Membrum sensu primario et proprio dicitur pars integralis corporis organici physici, et, in nostro casu, humani. Ratio ergo membri importat *a)* aliquam cum corpore *organicam cohaesionem*: nequit enim dici, nec solet dici membrum actuale corporis illud, quod ab hoc separatum existit, sive quia nondum est ei vere unitum, sive quia olim quidem unitum, nunc demum separatum atque excissum est. *b)* Aliquam *vitae participationem*: sermo profecto est de membro corporis organici *vivi*, quale sine dubio est corpus Christi mysticum. Cum vero omnis in corpore vita ab anima demum derivetur, et per caput reliquis membris subministretur, patet notionem membri ad id tandem revocari, ut sit aliquid et corpori insertum, et ab anima informatum seu vivificatum, et capiti unitum ac subordinatum, et cum reliqua compagine organice connexum. Et haec quidem valent de membro proprie dicto, de membro, inquam, corporis organici physici, cuius partes physicae substantiales quidem sunt, et vinculis physicis colligatae, propria tamen subsistentia seu personalitate sunt destitutae.

At Ecclesia est organismus non physicus, sed moralis, socialis, supernaturalis, in quo vita a Spiritu Sancto per Christum caput derivatur in membra capiti per aptas subministrationis iuncturas conglutinata et incorporata. Hinc ratio membri in corpore mystico et ecclesiastico, quoad varias conditiones supra adnotatas, non univoce, sed analogice est explicanda. Requiritur ergo *a)* cohaesio moralis et organica cum tota

sociali compagine ad efformandum corpus unum connexum et compactum: est vero societas stabilis plurium coniunctio suis actibus in finem communem conspirantium. Ergo ut aliquis vere dicatur membrum huius corporis socialis, requiritur ut tendat actu vel habitu in communem societatis finem mediis huic societati propriis, cooperando sub ductu et obedientia legitimae potestatis, et fruendo bonis socialibus propriis: finis porro socialis, communi cooperatione obtinendus in corpore mystico, est et propria ac supernaturalis animi sanctificatio, et publicus Dei Christique cultus, ut deinceps ostendetur. *b)* Requiritur secundo aliqua vitae supernaturalis participatio, quae a Spiritu Sancto per Christum caput aptasque subordinationis iuncturas derivetur. *c)* Requiritur consequenter tertio moralis et organica membrorum connexio cum Christo capite. *d)* Requiritur demum mutua ac socialis membrorum ad invicem communio ad efformandum corpus organicum unum connexum et compactum. Vides rationem membri in corpore mystico plus minus perfectam esse posse prout strictior aut laxior sit unio membrorum cum capite, et abundantior vel tenuior sit vitae supernaturalis participatio.

Maneat ergo alta mente repostum notionem membri in corpore mystico esse *analogam*. Sed ex alia parte non est praetereundum hanc membri mystici notionem esse quoque divinitus *revelatam*, et a Paulo terminis *metaphoricis* expressam. Notum porro est in omni analogia implicari similitudinem coniunctam cum dissimilitudine. Sollenter ergo invigilandum ubi nam sit similitudo, et quomodo haec metaphorica similitudo *ab ipso auctore inspirato intelligatur*. Aliis verbis: quaestio tota de corpore mystico, ideoque quaestio de membris corporis mystici est *theologica*, ideoque methodo stricte theologica exploranda et tradenda: Methodus porro theologica essentialiter est positiva simul et speculativa: nec licet invertere naturalem rerum ordinem exordiendo a parte speculativa vel, ut aiunt, scholastica; vel ducem viae praeprimis sumendo magnum aliquem scholasticum Doctorem. Ratio simul et experientia docet omnem nostri argumenti tractationem scholasticam, quae non sit innixa in fundamento theologiae biblicae et positivae solide constabito, fragmentariam esse ac infirmam, nec facile superari periculum apriorismi et arbitriariorum: quaeramus ergo imprimis membri mystici *notionem Paulinam*.

Formulae Paulinae: Paulus loquitur de membris corporis Christi multifariam multisque modis. Primo quidem docet *corpora* nostra esse *membra Christi*. Sic in I Cor. 6, 15: « nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit ». — Paulus docet secundo christianos esse *membra corporis Christi*, quod est Ecclesia. Sic in Ephes. 5, 29: « quia membra sumus corporis eius, de carne eius, de ossibus eius ». — Paulus docet tertio christianos esse *corpus Christi et membra de membro* ». Sic in I Cor. 12, 27: « Vos autem estis corpus Christi et membra de membro » = graece *membra ex parte*. — Paulus quarto docet christianos singulos in corpore Christi esse *alteros alterius membra*. Sic in Rom. 12, 5: « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ». Ad idem reddit formula recurrens in Ephes. 4, 25: « quoniam sumus *invicem membra* ».

Formulae ergo Paulinae de membris corporis Christi sunt sequentes: a) Christiani sunt membra Christi — b) Christiani sunt membra corporis Christi — c) Christiani sunt corpus Christi et membra ex parte — d) Christiani singuli sunt ad invicem membra non eundem actum seu functionem habentia. Hae quatuor formulae, licet modo nonihil diverso expressae, non sunt diversae multoque minus contrariae, sed intime inter se connexae, et integram membri rationem sub diversis respectibus exhibentes: utile forte erit has connexiones propius examinare.

In prima formula asseritur *corpora* christianorum esse membra Christi. Paulus evidenter non vult dicere christianos esse membra Christi ratione tantum corporis: si corpus hic commemoratur ac premitur, ratio petitur ex contextu, ubi Paulus vult extollere ac premere malitiam fornicationis in homine christiano: « Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat ». Agitur profecto de corpore hominis christiani, qui in baptismo Christo est incorporatus et consecratus, eius mancipio et servitio traditus, ipsius dominio totaliter subiectus, templum quoque Dei factus: hinc Paulus: « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et *non estis vestri*? Empti enim estis pretio magno ». Paulus ergo docet christianos esse membra Chri-

sti. Porro catenus christiani sunt *membra* Christi, quatenus sunt membra corporis, cuius Christus est caput et *Dominus*. Vides quare hic loco dicendi membra *corporis* Christi, prudenter dicitur membra *Christi*; quia agitur de notando et exaltando *dominio*, quod non ad totum corpus, sed ad caput corporis pertinet. Hinc transitus logicus ad secundam formulam, in qua *explicite* asseritur christianos esse *membra corporis Christi* (Ephes. 5, 29). Homines porro christiani possunt bifariam considerari: primo quidem collective omnes, deinde vero seorsum singuli: hinc accessus et transitus logicus ad formulam tertiam, quae recurrit in I Cor. 12, 27: « Vos estis corpus Christi et membra ex parte ». Id est: vos christiani simul omnes, seu collective spectati, efformatis corpus Christi; singillatim vero considerati estis membra ex parte, pro ea videlicet parte vel functione singulari quam debetis implere in corpore mystico. Quaenam vero sint istae partes seu functiones diversae declaratur in versu sequenti: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes ... ». Ubi notatur diversitas graduum et functionum in corpore ecclesiastico: numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetae? ... Vides perfectam cohaerentiam huius loci et formulae cum alia prorsus parallela, quae recurrit in Rom. 12,5: « Multi, οἱ πολλοὶ, unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, non eundem actum habentia. Ubi fit distinctio inter christianos collective spectatos, qui efformant corpus Christi; et christianos singillatim consideratos, qui ita sunt membra corporis, ut sint etiam membra ad invicem, et quidem diversum actum seu functionem habentia in corpore mystico. Inde accessus ad rectam intelligentiam quartae formulae (Ephes. 4, 25): « quoniam sumus *ad invicem membra* ». Videlicet, christiani ita sunt membra Christi, et corporis Christi, ut sint mutuo solidaria, mutuo dependentia, mutuo servitio seu utilitati destinata, sicut occurrit in corpore physico humano, ubi membra corporis sunt ad invicem solidaria; unde fit ut si unum patitur, omnia compatiuntur; si unum gaudet, congaudent omnia.

Doctrina Paulina circa conditiones requisitas et sufficientes ad rationem membri in corpore mystico examinanda iam venit. Locus facile princeps reperitur in epistula ad Ephes.

4, 4 sq. : « Unum corpus, et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi ... Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem (καταρτισμὸν) sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ... ut iam non simus tamquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinae veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illum per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum et compactum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate ».

Habes hic a Paulo perfecte definitas condiciones membri in corpore Christi uno, ab uno Spiritu unificato et vivificato. Primo quidem requiritur fides; unde excluduntur infideles omnes a censu membrorum in corpore mystico. — Secundo requiritur *fides una* eiusque professio receptioni baptismi praemittenda: unde excluduntur a corpore mystico fideles *in doctrina dissidentes*. — Requiritur tertio professio unius doctrinae *praedicatae a magisterio authentico*, id est, ab his quos posuit ipse Christus ministros verbi apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores, ut recurramus omnes *in unitatem fidei*. Vides principium externum unitatis fidei in corpore mystico esse ministeria hierarchica et charismatica ab ipso Christo instituta et ditata. Unde excluduntur a corpore mystico omnes fideles qui non adhaerent hierarchiae ecclesiasticae, seu magisterio authentico Ecclesiae. Huc ceteroquin spectant ea omnia quae de hierarchica et charismatica Ecclesiae constitutione ad normam theologiae Paulinae alibi disseruimus (thesi VII). — Requiritur quarto *baptisma* unum. Unde excluduntur a censu membrorum in corpore mystico omnes pagani, omnes fideles Antiqui Testamenti, fideles Novi Testamenti catechumeni, nondum aquis baptismi loti, nec *charactere* baptismali signati. — Requiritur quinto mutua membrorum ad invicem connexio et

subordinatio fidelium sub magisterio et ministerio hierarchico divinitus instituto ad efformandum corpus unum connexum et compactum per hierarchicas et charismaticas subministratio- nis iuncturas.

Quaeres forsitan: Nonne necessitas baptismi, a Paulo as- serta, posset intelligi sensu *assertivo* quidem, non tamen *ex- clusivo*, ita ut plures fideles sive Antiqui sive Novi Testamenti, nondum baptizati, fide tamen et caritate cum Christo coniuncti, possent recenseri inter vera ac genuina Mystici Corporis mem- bra? *Resp.*: Accipere verba Pauli sensu mere assertivo foret perfecte gratuitum et aprioristicum. Paulus requirit in cor- pore mystico sicut unitatem baptismi, sic etiam unitatem fidei. Potestne necessitas fidei, et unius quidem fidei, intelligi sensu mere assertivo, ita ut etiam infideles possent ad mentem Apo- stoli computari inter membra corporis Christi? Quis audeat hoc affirmare? Rursus, Paulus requirit in corpore mystico uni- tatem Domini: « unus Dominus ». Potestne haec unitas Do- mini intelligi sensu mere assertivo, ita ut in uno corpore my- stico plures domini ad mentem Pauli possint admitti? Age iam : si unitas fidei et Domini debent ad genuinam Apostoli men- tem accipi sensu exclusivo, quare non etiam unitas bap- tismi? Advertas eos, qui non sunt re baptizati nec caractere baptismali signati, carere omni potentia physica ad partici- panda ea bona socialia quae sunt mystici corporis specifica et characteristica, qualia sunt sacramenta: cogita praepriis eu- charistiam, sacramentum simul et sacrificium, cuius est tanta vis, tanta connexio cum corpore Christi (1 Cor. 10, 17). Accedit quod in Encyclica « Mystici Corporis » verba Pauli accipiun- tur sensu assertivo simul et exclusivo, ut deinceps videbimus.

Alter textus Paulinus, vere egregius et cum priori appri- me cohaerens, reperitur in epistula ad Corinthios prima 12, 13: « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus *bap- tizati sumus* sive Iudaei, sive Gentes, sive servi, sive liberi; et omnes unum Spiritum potavimus ». Inde perfecte patescit my- sticum Christi corpus ad germanam Pauli theologiam consti- tui iudaeis et gentilibus primum quidem disiunctis et separa- tis per parietem maceriae, nunc autem reconciliatis et in uni- tatem corporis adunatis *per sacramentum baptismatis*. Nunc forte melius intelliges necessitatem et partes baptismi in ef-

formatione corporis mystici. Etenim « quicumque baptizati estis in Christum, Christum induistis. Non est Iudaeus, neque Graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu ». Unde manifeste consequitur ante hanc iudaeorum et gentilium unionem, crucis et baptismi virtute peractam, nondum plene existere corpus Christi mysticum, id est, corpus efformatum a iudaeis et gentibus.

Eandem doctrinam tradit Apostolus in epistula ad Ephesios 5, 23 sq.: « Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae, ipse salvator corporis (eius) Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans *lavacro aquae* in verbo ... Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius ». Ubi Paulus expresse docet Ecclesiam esse corpus Christi capitatis et sponsi, eiusque membra esse fideles sanctificatos et mundatos *lavacro baptismali*.

Eadem rursus doctrina recurrit in epistula ad Colossenses 2, 9 sq.: « In ipso (Christo) inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis; in quo et circumcisi estis circumcissione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit eum a mortuis ». Ex quo loco aperte patet baptismum in Novo Testamento eum tenere locum, quem circumcisio habebat in synagoga iudaeorum. At notum est circumcisionem esse apud Iudaeos ritum officialem per quem fiebat cooptatio iudaei in populum Dei Israeliticum. Similiter ergo in Novo Testamento baptismus est ritus officialis et ianua per quam fit ingressus in corpus Christi quod est Ecclesia.

Petrus cum Paulo harmonice consonat praedicans in sollemni die Pentecostes coram conferta iudaeorum multitudine, et annuntians omni domui Israel Iesum, ab ipsis crucifixum, esse a Deo e mortuis suscitatum et constitutum Christum et

Dominum. « His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos: quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti ». Ubi princeps apostolorum simul cum fide et poenitentia *requirit baptismum* pro ingressu iudaeorum in Ecclesiam. Unde et Lucas consonanter scribit: « Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria milia » (Act. 2, 37). Vides appositionem seu aggregationem ad communitatem christianam exhiberi ut effectum, qui fidei apostolicae professionem et baptismatis receptionem immediate consequitur. Haec est communitas christiana, fide una et baptismo uno collecta, sub regimine et magisterio apostolico constituta, unum Dominum Christum professas; haec, inquam, est communitas christiana quam Paulus appellat corpus Christi.

Iesus ipse sua praedicatione evangelica praeiverat dicens: « Euntes ergo docete (graece discipulos facite) omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis » (Mt. 28, 19-20). — Consonanter Mc. 16,16: « Praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur ». Ipso ergo attestante Iesu, aggregatio ad magisterium et collegium apostolicum, et consequenter ingressus in Ecclesiam apostolicae hierarchiae subiectam, fit mediante fidei professione et baptismi sacramento. Advertas perfectam consonantiam evangelii a Christo annuntiati, cum doctrina a Petro, Paulo caeterisque collegii apostolici praeconibus praedicata.

Conclusio ergo indubitata, ex doctrina revelata et Paulina fluens, haec est: conditio necessaria ad rationem membri in corpore mystico et ecclesiastico est: Fidei christianae et apostolicae professio — baptismatis susceptio — organica et socialis cum compagine ecclesiastica connexio — communio cum collegio et ministerio apostolico et hierarchico. Aliis verbis: Mystici corporis membra sunt omnes et soli christiani baptizati, qui eiusdem fidei apostolicae professione, eorundem legitimorum pastorum regimine, et eorundem sacramentorum communione colligantur inter se et cum Christo capite.

Doctrina Ecclesiae de membris corporis mystici patescit ex variis ecclesiastici magisterii documentis. En praecipua:

Bonifatius papa in « Bulla Unam Sanctam » (Denzinger, n. 468) docet: « Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere ... quae unum corpus mysticum repraesentat, cuius caput Christus, Christi vero Deus. In qua unus Dominus, una fides, unum baptisma ... Pro se capite simul oravit (Christus) et corpore, quod corpus unicam scil. Ecclesiam nominavit, propter sponsi, fidei, sacramentorum unitatem et caritatis Ecclesiae unitatem Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor ». Tria in hoc praeclaro documento clare docentur: a) Corpus mysticum, cuius Christus est caput, *identificatur cum Ecclesia visibili* apostolica et hierarchica — b) Huius Ecclesiae membra exhibentur fideles *baptizati* inter se colligati vinculo unius fidei, sacramentorum, et caritatis seu communionis ecclesiasticae — c) Haec membra Ecclesiae et corporis mystici vinculo hierarchicae subordinationis sunt unita cum Christi vicario Petro, eiusque successore Romano Pontifice. Vides identificationem corporis mystici cum Ecclesia romana-catholica non esse novitatem doctrinalem a Pio XII inductam, sed multis ante saeculis a suo antecessore Bonifatio clare formulatam et propositam.

Concilium Florentinum (Denzinger n. 696) aperte docet *necessitatem baptismi* ad rationem membri in corpore mystico: « Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: *per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae* ». Evidens est concilium loqui de Ecclesia Romana-catholica; hanc porro vocat corpus Christi, cuius membra constituimur per sacramentum Baptismi.

Concilium Tridentinum (Denzinger n. 895) perfecte concordat cum Florentino: « Constat certe, baptismatis ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus ... Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit ».

Hic quoque tria clare docentur: primum implicite, cetera explicite; implicite quidem docetur identitas inter corpus mysticum et Ecclesiam hierarchicam et sacramentariam Novi Testamenti — explicite vero docetur ingressum in Ecclesiam seu corpus mysticum fieri per baptismum — eodem modo docetur membra corporis ecclesiastici et mystici constitui per sacramentum baptismi.

Theologi Concilii Vaticani praeferentes schema I de Ecclesia eandem fidem profitentur: « Unigenitus Dei Filius ... in similitudinem hominum factus, visibilis apparuit in assumpta nostri corporis forma, ut terreni homines atque carnales novum hominem induentes, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis, corpus efformarent mysticum, cuius ipse existeret caput. Ad hanc vero mystici corporis unionem efficiendam, Christus Dominus *sacrum regenerationis et renovationis instituit lavacrum*, quo filii hominum tot nominibus inter se divisi, maxime vero peccatis dilapsi, ab omni culparum sorde mundati membra essent ad invicem, suoque divino capite fide, spe, caritate coniuncti, uno eius Spiritu omnes vivificarentur ». MSI 51, 539. Unitas ergo propria corporis mystici, ad mentem horum theologorum, non praecedit ritum baptismalem, sed est huius effectus: unde manifeste consequitur corpus mysticum non existere antecederet ad baptismum.

Pius XI docet primo nos per baptismum fieri membra corporis mystici, quod est Ecclesia: « Quod quidem officium baptismatis etiam sacramentum suadet. *Indidem enim Ecclesiae velut membra evadimus*, hoc est, mystici Iesu Christi corporis ». AAS vol. 26 (1934), p. 629. Docet praeterea inter varia mystici corporis membra requiri cum *unitatem communionis*, tum *unitatem regiminis* sub Petro eiusque legitimo successore: « Cum enim corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit, compactum et connexum, corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse: quisquis ergo cum eo non copulatur, nec eius membrum est, nec cum capite Christo cohaeret. Iam vero in hac una Christi Ecclesia nemo est, perseverat nemo, nisi Petri legitimorumque eius successorum auctoritatem potestatemque obediendo agnoscat ». Encyclica

« Mortalium animos », AAS vol. 30. Hoc testimonium est vere notabile: mirum videri possit, quod in recentibus controversiis circa extensionem corporis mystici, nulla fere attentio eidem praestetur. Tria hic clare et fortiter inculcantur: a) identitas inter corpus Christi mysticum et Ecclesiam Romanam; b) necessitas communionis ecclesiasticae inter varia mystici corporis membra; necessitas unionis et subordinationis cum Romano Pontifice, Petri legitimo successore.

Encyclica « Mystici Corporis » Pii papae XII specialem attentionem meretur, quippe quae ample, docte, ex professo de membris corporis mystici disserit. Summa totius doctrinae, quae in hoc venerando Documento continetur, ad sequentia capita commode revocari potest:

a) Encyclica primo docet mysticum Christi corpus (in militanti Ecclesia) identificari cum Ecclesia catholica Romana. Sic expresse asseritur in n. 13 (Edit. Gregor. Tromp): « Iamvero ad definiendam describendamque hanc veracem Christi Ecclesiam — quae sancta, catholica, apostolica, Romana Ecclesia est — nihil nobilius, nihil praestantius, nihilque denique divinius invenitur sententia illa, qua eadem nuncupatur « mysticum Iesu Christi corpus »: Id ipsum iterum effertur in n. 90: « Siquidem nihil gloriosius, nihil nobilius, nihil profecto honorificentius cogitari potest, quam sanctam, catholicam Romanamque Ecclesiam participare, qua unius tam venerandi corporis membra efficimur, ab uno dirigimur tam excelso capite, ab uno perfundimur divino Spiritu, una denique doctrina unoque angelico pane hoc in terreno exilio enutrimur, eo usque dum tandem aliquando una sempiternaque in coelis beatitate perfruamur ».

b) Encyclica secundo docet membra corporis mystici fieri seu constitui ope baptismi, id quod trifariam exprimitur. Primo in n. 18: « Per lustralis aquae lavacrum, non modo qui sunt mortali huic vitae nati, ex peccati morte renascuntur et *Ecclesiae constituuntur membra*. Secundo in n. 26: « Baptismum quoque designabat, quo credituri *Ecclesiae corpori insererentur* ». Tertio in n. 29: « Christus in arbore crucis sibi suam acquisivit Ecclesiam, hoc est omnia mystici sui corporis membra, quippe quae per baptismi lavacrum *mystico huic*

corpori non coagmentarentur, nisi ex salutifera virtute crucis, in qua quidem iam plenissime Christi ditionis facta essent ».

c) Encyclica tertio docet tres conditiones requiri ad rationem membri in corpore mystico: professionem verae fidei — susceptionem baptismi — unitatem fidei, regiminis, et communionis: quo posito determinat quinam sint *omnes et soli* qui inter membra corporis mystici sunt computandi. Sic explicite in n. 21: « In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum susceperunt veramque fidem profitentur, neque a corporis compage semetipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate siuncti sunt. Etenim in uno Spiritu, ait Apostolus, nos omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi. Sicut igitur in vero christifidelium coetu unum tantummodo habetur corpus, unus Spiritus, unus Dominus et unum baptisma, sic haberi non potest nisi una fides; atque adeo qui Ecclesiam audire renuerit, iubente Domino, habendus est sicut ethnicus et publicanus. Quamobrem qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi corpore, atque uno eius divino Spiritu vivere nequeunt ».

d) Encyclica quarto docet peccatores (baptizatos) esse membra corporis mystici. Sic in n. 22: « Neque existimandum est Ecclesiae corpus, ideirco quod Christi nomine insigniatur, hoc etiam peregrinationis tempore, ex membris tantummodo sanctitate praestantibus constare ... Id enim est infinitae Servatoris nostrae misericordiae tribuendum, quod hic in mystico suo corpore iis locum non neget, quibus olim in convivio locum non denegaverit ».

e) Encyclica quinto docet apostatas, haereticos et schismaticos non esse membra corporis mystici. Sic in n. 22: « Si quidem non omne admissum, etsi grave scelus, eiusmodi est, ut — sicut schisma, vel haeresis, vel apostasia faciunt — suapte natura hominem ab Ecclesiae corpore separet ».

f) Encyclica sexto docet episcopos esse membra eminentiora in corpore mystico. Sic in n. 41: « Quamobrem sacrorum Antistites non solum eminentiora membra universalis Ecclesiae habendi sunt, ut qui singulari prorsus nexu iunguntur cum divino totius corporis capite, atque adeo iure vocan-

tur partes membrorum Domini primae ». Similiter in n. 17: « Omnino utique retinendum est, qui sacra potestate in eiusmodi corpore fruuntur, primaria esse ac principalia membra existere, cum per eosdem, ex ipso Divini Redemptoris mandato, munera Christi Doctoris, Regis, Sacerdotis perennia fiant ». Haec ut bene intelligas, distinguas duplex eminentiae genus in corpore mystico: unum est positum in ordine iuridico et hierarchico; alterum in ordine morali et sanctitatis. Encyclica loquitur de priori tantum: qui altiori humilitatis et caritatis gradu unitur cum Christo, hic est maior in regno coelorum, et eminentior in corpore mystico.

g) Encyclica septimo docet multos qui ad Ecclesiam visibilem *re* non pertinent, voto tamen ac desiderio inconscio ordinari. Sic in n. 101: Hos etiam, qui ad adspectabilem non pertinent catholicae Ecclesiae compagem ... supernae commissimus tutelae ... quandoquidem, etiamsi *in scio quodam desiderio ac voto* ad mysticum Redemptoris corpus *ordinentur*, tot tamen tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus in catholica solummodo Ecclesia frui licet ». Advertas novitatem formulae in Encyclica adhibitae. Loco dicendi praefatos christianos dissidentes et separatos *pertinere* voto ad Ecclesiam seu ad corpus mysticum, sicut hactenus dici passim consueverat, Encyclica abstinet hac voce, eiusque adhibet aliam generaliore *ordinari* voto inconscio.

Conclusio argumenti desumpti ex doctrina et auctoritate Ecclesiae, circa conditiones requisitas et sufficientes ad dignitatem membri in corpore mystico, haec est: Ut aliquis possit dici *re* membrum corporis mystici requiritur (et sufficit): a) Verae fidei professio; b) Lavacri baptismalis realis susceptio; c) communio cum corpore ecclesiastico et hierarchico. Triplex ergo unitas est necessaria: fidei, regiminis, communionis. Vides perfectam cohaerentiam inter doctrinam revelatam, evangelicam et Paulinam, et doctrinam ab Ecclesiae magisterio, praepimis in Encyclica « Mystici Corporis », propositam.

Traditio christiana et catholica clare manifestatur in hodiernis theologorum scriptis. Theologi hodierni, praepimis auctores librorum manualium qui in scholis adhibentur, unanimi fere et firmo consensu docent realia mystici corporis membra esse omnes et solos christifideles baptizatos, qui triplici

sacro vinculo sunt inter se colligati: vinculo nempe symbolico, liturgico et hierarchico. Puncta principalia *dissensus* sunt: num sint inter membra corporis ecclesiastici computandi haeretici occulti, schismatici materiales, excommunicati. Nimis longum foret in hoc tali volumine tot auctorum recensere testimonia.

Traditionem Patristicam, imo et theologicam mediaevalem, quod attinet, utile erit adnotare tractationem ecclesiologicam systematicam aliquatenus desiderari. Distinctio praep̄missis clara inter Ecclesiam *universalem* seu lato sensu, et Ecclesiam stricto sensu sumptam, i. e. hierarchicam a Christo super Petrum fundatam, potius est fructus progressus theologici sequioris. Audias v. gr. quae de Ecclesiologia Augustiniana scribit Doctor *Ceriani*: « Agostino dice ... Cristo presente nell'Antico Testamento, ha in sè la Chiesa, non tanto quella organizzata e visibile che ancora così non c'era, ma la Chiesa umanità, tutto il genere umano ... Il termine « Chiesa » è *assai impreciso* nelle opere agostiniane: può significare la Chiesa visibile, come pure può indicare la Chiesa invisibile di quelli che sono uniti a Cristo con la fede e con la grazia, e anche significa tutta la umanità germinalmente unita a Cristo fin dall'Antico Testamento ». Il Mistero di Cristo e della Chiesa, 1945, p. 65.

His similia imo et robustiora sunt quae scribit veteranus ecclesiologus F. *Grivec* in Bogoslovni Vestnik 1942: « In historia conceptus Ecclesiae duae aetates discernendae sunt, ante et post saeculum XVI. Ante hoc saeculum conceptus corporis mystici fere praevalet quidem, sed tractatus de Ecclesia nondum systematice excultus est. Illa aetate conceptus corporis mystici et Ecclesiae *vagus et parum determinatus* erat. Conceptum corporis mystici eius aetatis cum conceptu Ecclesiae eiusdem temporis comparando, facile perspicitur, utrumque conceptum aequalem vel saltem eundem fuisse. Nec Ecclesiam Antiqui Testamenti ab Ecclesia Christi sat discernebant, nec ecclesiam triumphantem ac militantem, nec angelos ac homines; similiter etiam caput sensu mere metaphorico (morali) ac caput sensu magis proprio parum distinguebant. Hic vagus ac minus exactus modus loquendi apud optimos medii aevi theologos reperitur, e. gr. apud S. Thomam. Ideo in hac re ad theologos illius aetatis ac ad ipsum S. Thomam non sine

debitis distinctionibus provocare licet. S. Thomas e. gr. etiam angelos membra Ecclesiae et corporis mystici dicebat. Ecclesiologia non est ad illum statum deprimenda, quem saeculo XIII occupabat ». Particulam exaggerationis in his contineri admitti forte possit; sed particulam quoque veritatis, imo multas veritatis particulas in iisdem reperiri negari non posse videtur.

Digna quoque sunt, quae in hunc locum transferantur, ea quae hac ipsa de re adnotavit alius nostrae aetatis theologus in tota nostra quaestione apprime versatus, S. Tromp S. I.: « Conceptus Ecclesiae inde ab Abel, Ecclesiae universalis sensu Gregorii, seu corporis mystici considerati ut coetum constituit omnium Sanctorum, qui inde ab origine mundi usque ad eius exitum iustificantur fide Redemptoris, maximi momenti est, ut intelligatur evolutio totius Ecclesiologiae. Apud haud paucos scholasticos ita videtur praeoccupasse animos, ut idea strictior corporis mystici, ut apud S. Paulum apparet, iam minorem occuparet locum, *non absque periculo doctrinae*. Nam primo unio Sanctorum non est res visibilis, et deinde ille qui *modo Augustiniano* Ecclesiam inde ab Abel considerat ut quamdam personam mysticam, numero eandem et sub vetere et sub nova Lege, quasi eo ipso pervenit, ut organizationem corporis mystici a Christo volitam, consideret ut rem aliquam ipsi Ecclesiae quodammodo *accidentalem*. Neque Suarezium in sua Ecclesiologia sese plane ab hisce idaeis liberavit ». Corpus Christi quod est Ecclesia, 1936, p. 121. Quam sint haec vere dicta, quam opportune notata, ex dicendis apparebit. Tromp, pro sua erga Doctorem communem reverentia, decenter abstinuit a citando Thoma, sed lectorem prudenter remittit ad S. Theol., III, q. 8, art. 3. Quae si legantur apparet nec Aquinatem, sicut Suarezium, se plane liberasse ab illis idaeis, de quibus supra. In responsione ad tertium scribit Thomas: « Patres Antiqui pertinebant *ad idem corpus Ecclesiae*, ad quod nos pertinemus ». Nec in assignandis membris corporis mystici ulla ibi habetur ratio organizationis hierarchicae a Christo volitae.

II. De coextensione corporis mystici et Ecclesiae R. catholicae

Inter quaestiones agitari solitas circa membra corporis mystici non parvam celebritatem nactum est problema de habitudine corporis mystici ad Ecclesiam Romanam et catholicam, id quod nostris diebus dictitari consuevit *coextensio corporis mystici et Ecclesiae Romanae*. Quaeritur nempe quales sint dimensionēs reales corporis mystici: utrum adaequentur et commensurentur dimensionibus Ecclesiae hierarchicae et catholicae, an forte eas exorbitent atque transcendant. Responsum huic quaestioni iam implicite continetur in his quae in parte priori disseruimus. Accedit quod Pius XII in Encyclica « *Mystici Corporis* » totam hanc quaestionem authentice quodammodo resolvit. Nec defuit in Encyclica « *Humani Generis* » severum monitum contra dormitantes vel minus vigilantes. His non obstantibus, quidam scriptores catholici, de quorum bona fide et illibata orthodoxia dubitare non licet, totum hoc salebrosum problema proponere et disputare pergunt. Inde apparet convenientia et utilitas tractandi hanc quaestionem cum maxima diligentia.

Inter auctores, qui nostris diebus praefatum problema examinauerunt, facile eminet Rv. P. V. *Morel*, O. F. Capucc. Qui a. 1948 in ephemeride jesuitica Lovaniensi « *Nouvelle Revue Theologique* » edidit praeclarum articulum, cui titulus: « *Le corps mystique et l'Eglise catholique romaine* ». Hunc ergo auctorem cum primis prae oculis habebimus in tota rei tractatione. Praecedet doctrinae expositio; sequetur eiusdem crisis et obiurgatio.

I

Principio fatetur Auctor Pium XII in Encyclica « *Mystici Corporis* » identificare corpus mysticum cum Ecclesia catholica et Romana. At surgit quaestio quomodo sit intelligenda praefata identificatio et coextensio. Theologi munus est atque officium doctrinam magisterii ecclesiastici explicare, eiusdem sensum apprime determinare, illumque formulis nitidis, perpolitīs, technicis exhibere. Totum problema examinatur et

tractatur methodo pure speculativa et scholastica. Partem fundamentalem et positivam totam Auctor mutuatur ex recenti opere Doctoris *Cerfaux* « La Théologie de l'Église suivant S. Paul ». Tota expositio et argumentatio tendit ad expugnandam evertendamque positionem P. *Tromp*, apud quem « viatoribus corpus mysticum Christi est Ecclesia catholica Romana » p. 167, o. c. Explicatio procedit quadruplici gressu: Primo inquitur in *sensum proprium* formulae Paulinae « corpus Christi mysticum » — Secundo determinatur *minimum requisitum* et sufficiens ad dignitatem membri in corpore mystico — Tertio stabilitur quinam sint membra corporis mystici — Quarto demum determinatur habitudo Ecclesiae Romanae ad corpus mysticum, et concluditur catholicos Romanos posse quidem iure computari ut membra *eminentiora* corporis mystici, sed huius corporis propriam dimensionem longe exorbitare extensionem et limites Ecclesiae catholicae Romanae. Singula videamus:

I. *Sensus formulae* « corpus mysticum ». Inter varios huius formulae sensus, qui decursu saeculorum obtinuerunt, adest unus primordialis ac centralis, qui successivis omnibus ipsius stadiis semantialis subiacet atque praeest. Porro ad mentem P. *Tromp* huiusmodi sensus primarius et centralis debet haberi ille qui primo revelatus est in S. Scriptura i. e. in Paulo; qui primario intenditur a magisterio ecclesiastico, et qui praeterea id habet sibi proprium, ut metaphora corporis organici humani perfectius in eo verificetur. At hoc criterium minime placet P. *Morel*: qui contendit sensum proprium huius formulae « corpus mysticum » esse determinandum *ad normam biblicam*, praepremis Paulinam: « C'est donc à la Sainte Ecriture qu'il faut demander, en dernier instance, le sens propre de notre expression et, principalement, aux épîtres de Saint Paul, puisqu'il est, de tous les auteurs sacrés, celui qui expose le plus longuement, et le plus fréquemment l'idée de corps mystique ». Porro iste sensus biblicus et Paulinus est iam apprime et perfecte determinatus opera et studio Doctoris *Cerfaux* in libro supra laudato: « Ses conclusions fournissent une base *très ferme* et *très sûre* à la théologie spéculative ». Formula profecto Paulina corporis Christi mystici prae se fert triplex elementum: a) unitatem socialem et solida-

riam; b) vitam supernaturalem a Christo capite in membra derivatam; c) mysticam membrorum cum reali individuo Christi corpore identificationem. « Bref, la formule « corps mystique du Christ » s'analyse et s'explique d'après Saint Paul comme suit: *corps* = les chrétiens constituent ensemble un seul organisme spirituel; *du Christ* = cet organisme dépend du Christ; c'est la vie du Christ qui y circule; *Mystique* = à cause de cette unique vie du Christ, l'ensemble des chrétiens s'identifie, très réellement, mais mystiquement, avec le corps réel et personnel du Christ ».

II. *Minimum requisitum ad rationem membri*: clavis ad solvendam quaestionem de membris corporis mystici stat in distinctione inter membrum *sensu simplici*, et membrum *sensu eminenti*. Membrum corporis mystici sensu simplici quidem, sed proprio et vero, est quicumque verificat *notionem biblicam* membri corporis mystici. Membrum sensu eminenti et perfecto est quicumque hanc notionem verificat sensu superiori et perfecto. Res declaratur exemplo mutuato a conceptu *hominis*. Homo sensu simplici et proprio est quicumque habet corpus et animam humanam. Homo sensu pleniori et eminenti est quicumque habet corpus *sanum* in anima *sana*. Simili prorsus ratione et titulo: quicumque vivit authenticam vitam Christi, debet haberi ut membrum corporis mystici sensu proprio et simplici. Quicumque vivit vitam Christi in Ecclesia catholica romana est membrum corporis mystici sensu eminenti, quia sola Ecclesia catholica et romana est vera genuina Christi Ecclesia, et repraesentat plene id quod Christus voluit et intendit. Porro in ordine naturali ut aliquis sit membrum corporis vivi, requiritur ut vitam ab eo recipiat *modo habituali*; nec sufficit modus transitorius intermittentiis obnoxius: similiter ergo in corpore mystico et supernaturali.

Haec quum ita sint, oportet considerare diversos gradus et modos habitualis et vitalis unionis cum Christo. Profecto in Ecclesia Romana omnia ipsius membra habent hanc unionem habitualement cum Christo. Sed Christus potest exercere vim suam sanctificatricem et vivificatricem etiam extra confinia Ecclesiae Romanae: eadem quippe est necessitas pertinendi ad Ecclesiam Romanam, ac est necessitas recipiendi baptismum. Atqui sufficit votum suscipiendi baptismum, ut quis possit salvari. Cum

vero nemo salvetur sine fide et gratia, oportet concludere fidem et gratiam haberi posse extra Ecclesiam Romanam. Unio ergo habitualis atque vitalis cum Christo haberi potest, et de facto habetur ab his qui *re* non sunt membra Ecclesiae Romanae. Tales sunt *non christiani*, sive pagani sive iudaei, qui bona fide christianismum ignorant, fide tamen supernaturali credunt existentiam Dei remuneratoris. Tales quoque sunt catechumeni: tales, martyres non baptizati; tales, haeretici et schismatici bonae fidei qui sint in gratia Dei. Verum quidem est hos omnes, qui non pertinent ad visibilem Ecclesiae romanae compaginem, non considerari in Encyclica « Mystici Corporis » ut membra realia corporis mystici; sed id debet intelligi de ratione membri sensu *eminenti*. Oportet ergo retinere eos esse membra *realia* corporis mystici sensu proprio et simplici. Profecto hi omnes habent conditionem necessariam et sufficientem ad veram, strictam, et simplicem rationem membri in corpore mystico, licet non habeant conditionem requisitam ut dona supernaturalia, quibus vitalis cum Christo unio perficitur, secundum ipsius Christi voluntatem, et suam propriam structuram ontologicam, obtineant plenam illam evolutionem ac perfectionem, quae nonnisi in Ecclesia Romana obtineri potest.

Primus ergo modus unionis habitualis cum Christo (per gratiam sanctificantem) potest haberi extra Ecclesiam Romanam. At ulterius quaeritur: Estne necessaria gratia sanctificans ut hi, qui sunt extra confinia Ecclesiae catholicae, sint membra corporis mystici sensu proprio et simplici? Aliis verbis: Pagani et christiani, qui habent fidem habitualement extra Ecclesiam catholicam, possuntne dici membra realia corporis mystici sensu proprio et simplici? Auctor solvit quaestionem sensu affirmativo. Ratio, cui innititur, huiusmodi est. Secundum Encyclicam « Mystici Corporis » gratia sanctificans non requiritur ut aliquis sit membrum corporis mystici sensu eminenti, i. e. ut sit membrum Ecclesiae Romanae. Porro ratio, quae in Encyclica affertur, in eo est, quod hi peccatores adhuc retinent fidem et spem. Atqui hi quoque credentes, extra Ecclesiam romanam positi, retinent fidem habitualement, nec quidquam impedit quoniam haec fides supernaturalis sit connexa cum spe. Ergo et ipsi pari modo et ratione dicendi sunt membra realia corporis mystici sensu vero et stricto, etsi non perfecto et eminenti. *Conclusio* huius secundae partis est: conditio mi-

nima requisita et sufficiens ad obtinendam dignitatem membri in corpore mystico, sensu vero et proprio, est unio habitualis cum Christo per fidem habitualem.

III. *Membra Corporis Mystici.* Auctor in hac tertia parte colligit et ordinat conclusiones quae derivantur ex duplici parte priori. Videlicet: habita ratione distinctionis inter membrum corporis mystici sensu simplici et sensu eminenti, sic demum concluditur: a) membra corporis mystici sensu eminenti sunt omnes et soli christifideles qui Ecclesiae catholicae et Romanae adhaerent. b) Membra corporis mystici sensu *vero et simplici* sunt: primo quidem titulo *fidei et caritatis* catechumeni ferventes — martyres non baptizati — haeretici et schismatici bonae fidei qui in statu iustitiae versantur. Secundo: titulo *solius fidei* catechumeni peccatores — haeretici et schismatici bonae fidei qui carent gratia sanctificante — omnes non christiani, sive pagani sive iudaei, qui, vel post primam iustificationem amiserunt gratiam sanctificantem, retentis bonis fidei et spei, vel ante primam iustificationem habitualem, fidei donum nacti sunt. Auctor notat oppositionem huius doctrinae cum placitis P. Tromp, et plenam conformitatem cum ideois P. Mersch: apud quem potest quis esse actuale membrum Ecclesiae Romanae quin vivat actu authenticam vitam Christi, et ex alia parte potest quis vivere veram vitam Christi quin sit (actuale) membrum Ecclesiae Romanae. c) Habita ratione distinctionis inter pertinere *re*, et pertinere *voto* ad corpus mysticum: pertinent *voto*, non *re*, ad hoc corpus omnes qui Christianismum ignorantes, actualibus Christi gratiis obtemperant, et ab Spiritu Sancto sollicitantur ad iustificationem. d) *Nullo modo* pertinent ad corpus mysticum traditores fidei seu apostatae — haeretici formales seu malae fidei — pagani et iudaei qui non credunt existentiam Dei remuneratoris, et resistunt gratiis actualibus quibus moventur et sollicitantur ad fidem. Auctor notat non sine complacentia perfectam conformitatem suae positionis cum doctrina S. Thomae in S. Theol. q. 8, a. 3.

IV. *Habitudo corporis mystici ad Ecclesiam Romanam:*
Haec quarta pars continet tria asserta: a) Notio corporis mystici non continet strictam definitionem Ecclesiae Roma-

nae — b) In ordine reali corpus mysticum latius patet quam Ecclesia Romana — c) Sola Ecclesia Romana est corpus mysticum per excellentiam seu sensu pleno. Singula consideremus:

a) Cum Paulus asserit Ecclesiam esse corpus Christi, nullatenus intendit exhibere strictam notionem Ecclesiae, sed vult exhibere quemdam particularem et concretum ipsius aspectum: spiritualem, coelestem, invisibilem; dum e contra vox Ecclesia denotat *populum Dei*, et designat aspectum visibilem, et unitatem terrestrem ipsius. Item cum Encyclica « *Mystici Corporis* » appellat Ecclesiam Romanam corpus Christi mysticum non intendit dare rigorosam Ecclesiae definitionem, sed potius largiorem quandam ipsius descriptionem; multoque minus intendit determinare authentice sensum corporis mystici primario intentum per revelationem. Consequenter interpretatio P. Tromp vim infert cum Sacrae Scripturae, tum ipsi magisterio ecclesiastico: oportet potius dicere cum P. Mersch vocem *corpus mysticum* denotare ad mentem traditionis christianae complexum eorum omnium qui vivunt vitam Christi aliquo gradu plus minus perfecto, sive intra, sive extra Ecclesiam catholicam Romanam. Corpus ergo mysticum potest vere defini: Summa seu complexus illorum, qui in ordine sanctificationis sunt habitualiter uniti cum Christo capite sive sola fide, sive fide simul et caritate.

b) Corpus Christi mysticum latius, multo latius patere quam Ecclesiam catholicam Romanam, perspicue patet ex his omnibus, quae in parte tertia declarata et stabilita sunt de membris corporis mystici; quippe quod in sua dilatata ditione continet tum membra eminentiora seu christifideles Ecclesiae Romanae, tum multos alios christianos, iudaeos et paganos, qui, extra confinia Ecclesiae Romanae late vagantes, vitaliter et habitualiter sunt uniti cum Christo capite.

c) Solam Ecclesiam catholicam Romanam esse corpus mysticum per excellentiam seu sensu pleno ac eminenti trifariam manifestatur: 1° Ecclesia Romana possidet septem sacramenta quibus gratia sanctificans communitur, et gratiis actualibus ditatur ad gerendam vitam genuine et plene christianam. — 2° Sola Ecclesia Romana possidet magisterium authenticum et infallibile ad explicandam, applicandam et tutandam doctrinam revelatam tum speculativam, tum practicam. — 3° Ad Ecclesiam Romanam voto seu desiderio incon-

scio divinitus ordinantur et moventur omnia alia mystici corporis membra acatholica, id quod claro est indicio, ea omnia obtinere locum quemdam inferiorem et ignobiliorem in mystico Christi corpore.

Observationes criticae

Dedimus in praecedentibus conspectum quemdam sat completum conceptionis seu positionis P. Morel in hac salebrosa quaestione de membris mystici corporis Christi, deque habitudine huius corporis ad nostram sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam Romanam; reliquum est ut breves quasdam observationes criticas, ab omni spiritu polemico alienas, adiungamus.

1° Notetur imprimis *dissidium methodologicum* inter duos Auctores. Tromp, contra quem dirigitur totus articulus P. Morel, requirit tres condiciones ad determinandum sensum primarium formulae revelatae « corpus mysticum Christi ». Videlicet: quod sit primo revelatus — quod sit primo propositus a magisterio ecclesiastico — quod verius et plenius explicet metaphoram corporis, i. e. similitudinem inter corpus organicum physicum, et corpus ecclesiasticum mysticum. Morel acceptat primam conditionem: quoad secundam conditionem distinguit hoc modo: si agitur de documentis ecclesiasticis, in quibus magisterium data opera et modo explicite intendit determinare sensum proprium verbi revelati, conceditur; alias negatur. Atqui magisterium ecclesiasticum in suis documentis, ut plurimum non intendit determinare sensum proprium verborum Scripturae, sed eisdem utitur sensu quodam accommodatio. Certa ergo regula et cautela discretionis opus est in usu horum documentorum, dum elaboratur argumentum theologicum his documentis innixum: « Quant aux documents du magistère ecclésiastique, ils n'entrent en ligne de compte que pour autant qu'ils vissent *expressément* à préciser le *sense propre* de la parole de Dieu, ce qu'arrive rarement; par contra, il est certain que ces documents usent fréquemment de termes scripturaires dans un sens accomodatiée ou figuré; c'est dire qu'une discrimination s'impose lorsqu'on argue des documents du magistère dans la matière presente ». — Quod attingit tertiam conditionem rursus respondetur cum distinctio-

ne: « Le fait de réaliser aussi parfaitement que possible la métaphore du corps humaine ne doit être retenu qu'au cas où l'Écriture elle-même inclut cet postulat dans le sens primordial du corps mystique ». Logica horum omnium sequela pro Morel haec est: criterium ultimum et decisivum ad determinandum sensum primum formulae Paulinae *corpus mysticum Christi*, ab ipsis epistulis Paulinis est mutuandum: « C'est donc à la sainte Écriture qu'il faut demander, en dernière instance, le sens propre de notre expression et « principalement, aux épîtres de saint Paul ».

Hoc primum dissidium methodologicum inter duos Auctores sat grave nobis videtur, possetque habere haud spernenda consectaria. Criterium statutum a P. Tromp prudentius esse videtur; sed laborat quadam obscuritate et indeterminatione. Sensus primarius formulae Paulinae « corpus mysticum Christi » dicitur esse ille qui primo est revelatus et primo propositus a magisterio ecclesiastico. At surgit quaestio gravis: Daturne aliquis conceptus secundarius qui sit *secundo* revelatus, *secundo* propositus a magisterio ecclesiastico? Conceptus *revelatus* corporis mystici est unicus, an multiplex? Vides gravitatem quaestionis, de qua breviter in apposito scholio agemus. Tromp in hac quaestione *prudenter tacet*, nullamque proponit notionem sensus secundarii corporis mystici.

Quod attinet criterium statutum a P. Morel, duo velim notare: ex una parte placet, et vehementer placet, tendentia excolendae theologiae biblicae, i. e. conatus scrutandi maxima diligentia ipsam theologiam et doctrinam uberrimam in epistulis Paulinis reconditam de hoc grandi mysterio corporis Christi. Sed ex alia parte minus placet, imo positive displicet modus aestimandi documenta magisterii ecclesiastici, eorumque usum in argumentatione theologica. Quod magisterium ecclesiasticum *ut plurimum* utatur verbis S. Scripturae sensu accommodatio aut metaphorico videtur nobis exaggeratum nec prorsus innocuum. In nostro casu concreto, cum Pius XII in Encyclica « Mystici Corporis » appellat ad Paulum, et citat eius verba in I Cor. 12, 12-13 ad determinandas condiciones membri in corpore mystico, praeprimis ad inculcandam necessitatem baptismi, nullatenus intendit adhibere verba Apostoli sensu accommodatio, sed ea intelligit, et optime intelligit, sensu proprio.

2° Secundo loco notetur gravissimus defectus cohaerentiae methodologicae in P. Morel. Qui ex una parte proclamatur primatum, poene dixerim monopolium, theologiae Paulinae in toto hoc negotio, ex alia vero parte *prorsus praetermittit* et negligit omne examen criticum doctrinae Paulinae de membris corporis Christi. Paulus docet et premit in mystico Christi corpore adesse sicut unam fidem et unum Dominum, sic etiam *unum baptisma*. Apostolus iterato attestatur corpus Christi mysticum constitui iudaeis et gentilibus in unum corpus in uno Spiritu *baptizatis*. Haec unio gentilium cum iudaeis ad efformandum novum hominem, novumque populum est nota characteristicam et essentialis corporis mystici in germana theologia Paulina. Iamvero haec talis unio in Antiquo Testamento nondum existebat, sed est fructus virtutis crucis quae applicatur per baptismum. « *Nunc autem in Christo Iesu, vos (gentiles), qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens ... ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem ... quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. Ergo iam non estis hospites et advenae, sed estis cives (graece concives) sanctorum* ». Ephes. 3, 13 sq. Corpus mysticum unum est populus novus unus. Atqui hic populus novus unus non existebat ante crucem et baptismum: ideo Paulus insistit in eadem sententia et doctrina: « Unum corpus, et unus Spiritus, unus Dominus, una fides, *unum baptisma* ». Vix intelligi potest quare P. Morel non magis attendat ad hos classicos et decisivos textus.

3° Morel voluit construere totam suam theologiam speculativam de membris corporis mystici super fundamentum biblicum solide et definitive stabilitum a Doctore Cerfaux in opere supra laudato. Remanet ergo videndum num membra corporis mystici apud Cerfaux constituentur sola fide habituali sine baptismo iam inde ab Abel. Porro constans est huius insignis Doctoris doctrina corpus Christi mysticum constitui christianis baptizatis, et cum corpore physico ac individuo Christi mystice identificatis per baptismum et eucharistiam. Missis aliis, legantur quae scribit p. 128 o. c. 1948: « De toute façon, le baptême a donc été l'action initiale attachant le chré-

tien au Christ et *le faisant membre d'un nouvel organisme spirituel*: « nous tous, nous avons été baptisés à un seul corps, Juifs ou Gentils, esclaves ou hommes libres » (I Cor. XII, 13)

Dans cette vue mystique, toute la vie chrétienne reste sous le signe du baptême. *Baptême et eucharistie se rencontrent* dans la théologie comme les deux grands sacraments qui symbolisent et réalisent à la fois et l'unité de tous les chrétiens, et la vie unique du Christ qui les anime tous *les constitue en un organisme dans l'Esprit* ». Theoria ergo P. Morel de conditione minima requisita et sufficienti ad constituendum membrum in corpore mystico aperte opponitur doctrinae Doctoris Cerfaux.

4° Nova oppositio inter doctrinam P. Morel et placita Doctoris Cerfaux clare manifestatur comparando conclusiones utriusque Auctoris circa extensionem corporis mystici. Morel in parte quarta suae disquisitionis fidus concludebat corpus Christi mysticum late exorbitare limites et extensionem Ecclesiae Novi Testamenti, quae est catholica Romana. Profecto corporis mystici membra sunt non tantum christifideles Ecclesiae Romanae adhaerentes, sed multi alii qui, extra confinia Ecclesiae Romanae dispersi, Christo adhaerent sive fide sola habituali, sive fide simul et caritate, idque sive in Antiquo, sive in Novo Testamento. Huic porro conclusioni directe opponitur doctrina Doctoris Cerfaux: qui comparat et confert inter se has tres notiones et voces affines: pleroma — corpus Christi — Ecclesia; et concludit eas esse *perfecte coextensas*: « Écartons donc définitivement une hypothèse séduisante. Ni le « plérôme », ni le corps du Christ, ni l'Église, — *leurs sphères se recouvrent exactement*, ne peuvent ... », p. 255-256, o. c. Ceterum haec oppositio est consecrarium logicum diversae hinc inde doctrinae circa conditiones requisitas ad dignitatem membri in corpore mystico. Cerfaux affirmat, Morel negat necessitatem baptismi ad constitutionem membri mystici. Nequit ergo primus auctor acceptare conclusiones secundi circa dimensiones corporis mystici auctas et dilatatas nimis.

5° Doctrina seu theoria P. Morel nec *ipsa secum* satis cohaerere videtur. Profecto dum examinat notionem seu sensum biblicum vocis « corpus », scribit: « corps = les *chrétiennes* constituent ensemble un seul organisme spirituel ». Corpus ergo mysticum constituitur *christianis* efformantibus

quemdam organismum spirituales unum et vivum vita, quae e Christo in membra derivatur. Sed ex alia parte, dum examinatur et stabilitur doctrina de membris corporis mystici, concluditur hoc corpus Christi constitui tum christianis baptizatis, tum *paganis et iudaeis* non christianis fide supernaturali cum Christo coniunctis. Corpus ergo mysticum non constituitur solis christianis, sed omnibus hominibus Christo habitualiter unitis.

6° Nova contradictio videtur exurgere in pagina 719 (Nouvelle Rev. Theol. 1938) comparata cum p. 707: Priori loco scribit Morel: « Corps mystique et Eglise sont *deux réalités* qui, sur cette terre, ne se recouvrent pas parfaitement ». In altero vero loco legitur: « La formulé « corps du Christ », loin de constituer une définition stricte de l'Eglise, n'en exprime dans la pensée de saint Paul, que l'unité celeste et mystique, tandis que le terme « Église » que Paul entend toujours comme le peuple élu de Dieu, en designe l'unité empirique et terrestre. Comme l'unité terrestre et l'unité celeste ne sont que l'aspect empirique et l'aspect mystérieux d'*une seule réalité*, la définition stricte de l'Eglise devra englober ces deux aspects ». Stricte ergo definitio Ecclesiae esset haec: Corpus Christi mysticum quod est populus Dei: vel, si mavis; populus Dei qui est corpus mysticum Christi. Priori ergo loco asseritur corpus Christi mysticum et Ecclesiam esse *duas realitates*: secundo vero loco docetur corpus mysticum Christi et Ecclesiam duos aspectus *unius eiusdemque realitatis*.

7° Septimo loco notanda venit oppositio vigenis inter doctrinam P. Morel et Encyclicam « Mystici Corporis ». Pius XII perspicue docet membra corporis mystici esse *omnes et solos* baptizatos, qui veram fidem profitentur, et cum tota compagine ecclesiastica sunt colligati. Morel docet corpus mysticum continere inter sua membra multos alios, qui nec sunt baptizati, nec organice connexi cum corpore sociali. Morel opinatur Encyclicam loqui de his qui sunt membra corporis mystici *sensu eminenti*. Sed haec interpretatio est aprioristica et arbitraria. Encyclica recenset *duas tantum classes* membrorum in corpore mystico: primo eos qui sunt membra *reapse*; dein eos qui *voto* inconscio ordinantur ad corpus Christi. Morel recenset *tres classes* membrorum: primo eos qui sunt membra *sensu eminenti* — secundo illos qui sunt membra *sensu simplici* — ter-

tio eos qui sunt membra voto. Accedit explicita et subsequens declaratio ipsius Pii XII in Encyclica « Humani Generis ». Ubi continetur severum monitum ad illos auctores catholicos directum, qui etiam post Encyclicam « Mystici Corporis » detrectant admittere corpus Christi mysticum et Ecclesiam Romanam-catholicam esse *unum et idem*.

8° Nova oppositio cum Encyclica « Mystici Corporis » manifestatur in modo interpretandi sensum vocis « corpus ». Morel opinatur docetque vocem « corpus » in formula Paulina designare aspectum *invisibilem*, caelestem, misteriosum Ecclesiae; dum vox « ecclesia » denotat potius aspectum externum, *visibilem*, unitatem empiricam eiusdem Ecclesiae. Pius XII in Encyclica « Mystici Corporis » docet vocem « corpus » designare aspectum *visibilem* Ecclesiae: « Quod si corpus est Ecclesia, unum quiddam et indivisum esse debet ... Nec solummodo unum quiddam et indivisum esse debet, sed etiam concretum ac *perspicibile*, ut Decessor Noster fel. rec. Leo XIII in Encyclicis Litteris « Satis cognitum » affirmat: « Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia ».

9° Fundamentum princeps, cui innititur tota theoria P. Morel, stat in distinctione inter membra corporis sensu simplici, et membra sensu eminenti. Ista porro distinctio, qualis intelligitur a nostro Auctore, videtur nobis aprioristica, quae nullum positivum fundamentum habet nec in doctrina Pauli, nec in Encyclica « Mystici Corporis », nec in scriptis Doctoris Cerfaux. Si membrum corporis mystici sensu simplici est ille qui verificat notionem biblicam corporis et membri mystici, oportet admittere neminem posse esse membrum corporis Christi sensu simplici, qui non sit baptizatus: siquidem haec est aperta et saepe inculcata doctrina Pauli, quam acceptavit suamque fecit Pius XII in saepius laudata Encyclica: hanc ipsam doctrinam proponit constanter Doctor Cerfaux in suis commentariis.

10° Doctrina P. Morel, ex qua parte contendit et asserit omnes christianos Ecclesiae catholicae Romanae adhaerentis esse membra *sensu eminenti* in corpore mystico, difficulter acceptari potest. In theoria et conceptione P. Morel ratio membri in corpore mystico primo et per se reponitur in unione vitali et habituali cum Christo capite. Quo posito et retento, oportet eminentiorem in mystico corpore locum iis christianis

assignare, qui perfectius, intimius, eminentius fide et caritate coniunguntur cum Christo. At nonne evidens videatur quam plurimos esse christianos catholicos, in Ecclesia Romana degentes, qui isto superiori gradu coniunctionis cum Christo carent, quiq̄ue eo ipso inferiores debeant reputari prae aliis non paucis christianis acatholicis, qui ferventius atque intimius sunt uniti cum Christo? Aliud est solam Ecclesiam Romanam repraesentare integram Christi voluntatem; aliud, omnes et singulos fideles catholicos huic Christi voluntati se conformare. Aliud est solam Ecclesiam catholicam et Romanam possidere magisterium authenticum et infallibile cum integro apparatu sacramentorum; aliud, singulos catholicos uti convenienter his mediis salutiferis. Videtur ergo desiderari logica cohaerentia inter modum determinandi rationem membri, et modum ordinandi et classificandi singula mystici corporis membra.

11° P. Morel initio sui articuli prudenter prae-notaverat officium esse theologi documenta magisterii ecclesiastici perscrutari, interpretari, germanum ipsorum sensum determinare, illumque formulis perpolititis, technicis exhibere *dans un esprit d'entière soumission au magistère ecclésiastique*. Idem spiritus obsequiosae submissionis relucet in ultimis verbis quibus finem imponit suae sollerti ac dilucidae disquisitioni: « En toute hypothèse, dans cette question, comme dans bien d'autres, la lumière jaillira du conflit des opinions, à condition que l'amour de la vérité et le respect du à l'Église président aux investigations, lumière précieuse, à l'aide de laquelle, même dans le domaine des sciences sacrées, s'effectue un réel progress ». Atqui magisterium ecclesiasticum, in re nostra, suam sententiam suamque voluntatem clare manifestavit in Encyclica « Humani Generis » scribens: « Quae in Romanorum Pontificum Encyclicis Litteris de indole et constitutione Ecclesiae exponuntur, a quibusdam neglegi solent ... Pontifices enim, ut ipsi dicitant, de his quae inter theologos disputantur iudicare nolunt, itaque ad pristinos fontes redeundum est, et ex antiquorum scriptis recentiora Magisterii constitutiones ac decreta explicanda sunt ... Quidam censent se non devinciri doctrina paucis ante annis in Encyclicis nostris Litteris exposita, ac fontibus revelationis innixa, quae quidem docet *Corpus Christi mysticum et Ecclesiam Catholicam Romanam unum idemque*

esse ». Unum ergo restat praestandum: perspicuam Ecclesiae doctrinam, Paulinae ac revelatae doctrinae ceteroquin apprime conformem ac consonam, sincera atque devota mente acceptare.

Ultimae controversiae: Post articulum P. Morel (1948), eiusque dissidia cum P. Tromp, tota haec quaestio de membris corporis mystici, et de eius coextensione cum Ecclesia catholica Romana iterum exarsit: nova dissidia orta sunt; novi conflictus eruperunt intra septa theologiae catholicae. Novis dissidiis ac controversiis ansam rursus dabat Encyclica « Mystici Corporis » *comparata cum doctrina S. Thomae*. Negari nequit, primo saltem aspectu, adesse non parvum discrimen inter modum concipiendi et explicandi hoc altissimum mysterium corporis Christi, qualis apparet in opere principe Doctoris communis, i. e. in S. Theologica, III, q. 8, a. 3, et modum quo Pius XII concipit et explicat hoc dogma in Encyclicis Litteris « Mystici Corporis ». Hoc discrimen grave est ac profundum, quippe quod afficit mystici corporis naturam intimam, internam structuram, extensionem. Pius XII requirit tres condiciones ad obtinendam rationem et dignitatem membri in corpore mystico: verae fidei professionem — baptismatis receptionem — organicam connexionem sive cum ecclesiastica compagine tota, sive cum hierarchico et apostolico ministerio: S. Thomas in praefato S. Theol. loco non requirit ullam ex his tribus conditionibus: Mystici Corporis membra sunt pro Aquinate omnes homines qui cum Christo capite sunt vitaliter et habitualiter coniuncti sive per gloriam, sive per caritatem, sive saltem per fidem, idque sive in terris, sive in Purgatorio, sive in caelis. — Pius XII requirit *visibilitatem* tamquam essentialem corporis mystici notam et characterem. Pro S. Thoma visibilitas non est elementum essenziale corpori mystico, *quatali*. — Pius XII docet corpus Christi mysticum et Ecclesiam catholicam Romanam esse *unum idemque*. S. Thomas identificat corpus mysticum Christi cum *Ecclesia universali* militanti, patienti et triumphanti.

Exinde oritur grave ac delicatum problema: Daturne reapse vera quaedam oppositio inter doctrinam Doctoris communis, et doctrinam Pii XII in Encyclica « Mystici Corporis »? Hoc problema extremam suam acuitatem obtinuit nostris die-

bus occasione novi operis in Austria in lucem editi a. 1950 a Doctore A. Mitterer, cui titulus: « Geheimnisvoller Leib Christi nach S. Thomas v. A. und nach Papst Pius XII ». Auctor huius operis opinatur dari reapse dissidium profundum et insana-bile inter mystici corporis conceptionem S. Thomae propriam, quae mentalitati mediaevali scholasticae respondet, et concep-tionem Pii XII, quae vera est et genuinae Paulinae doctrinae respondet.

Inde nova bella et lites inter Doctores. Optimum speci-men diversae ac contrariae reactionis provocatae opere Doc-toris Mitterer videre licet in ephemeride Belgica: « Irenikon » Tomo XXV, 1952, p. 226-262. In introductione « Editorial » no-tatur: « Nous sommes ici au coeur d'un « débat », dans le sens profond de ce terme, car on a l'impression, en effet, que la théologie se débat dans un remous difficile, et on ne voit pas encore bien comment se solutionnera la difficulté posée ».

In uno eodemque fasciculo exhibentur duo articuli ve-hementer divergentes. Doctor Th. Strotmann in articulo cui titulus « Les membres de l'Église » scribit: « Si dans l'inter-prétation de l'Encyclique *Mystici Corporis* nous tenons compte des notions ici évoquées, l'attitude rigoureuse de ce document dans la question des membres de l'Église ne pourra plus nous étonner. Chez les théologiens, le classement des membres a généralement été « ontologique ». Saint Thomas a de l'Église une conception nettement a-historique et ses critères pour clas-ser les membres sont essentiellement « invisibles » (la grâce et le péché). L'Encyclique ne les adopte pas; elle a directe-ment en vue la totalité de l'Église dans sa fonction rédemptrice et considère la qualité de membre en fonction de cette to-talité, non pas *sous l'angle du salut individuel* ». Et in nota additur: « Mitterer distingue entre la conception *meristique* (centrée sur les parties) de Saint Thomas et la conception *holistique* (centrée sur la totalité) de l'Encyclique. Cette étude montre bien comment chez saint Thomas il existe une concep-tion biblico-exegetique et une conception speculativo-systema-tique que le docteur médiéval *tache vainement d'harmoniser* ». Eiusdem Auctoris (Strotmann) sunt verba quae praemisera-t: « Ces précisions ecclésiologiques (Encyclicae) sont incontestablement un acquis nouveau. Elles *rompent définitivement* avec l'idée que l'Église « Corps mystique » du Christ serait

surtout l'ensemble des individus sanctifiés, unis mystiquement au Christ par des liens essentiellement invisibles, communauté spirituelle au delà des limites visibles d'une société à caractère « juridique ».

In eodem fasciculo Doctor M. Nothomb, P. B. scribit articulum cui titulus : « L'Église et le Corps mystique du Christ ». Auctor quantum potest, tantum ausus, laudabili prorsus consilio quaerit concordiam inter communem Scholae Doctorem, et supremum Ecclesiae magistrum et Rectorem. Principio notatur quod vera quaedam oppositio inter utrumque Doctorem eo minus apparet verisimilis, quod Pius XII in ipsa Encyclica appellat ad auctoritatem S. Thomae. « Bien qu'on puisse présumer un accord substantiel entre les deux manières de voir, puisque Pie XII invoquait dans *Mystici Corporis* l'autorité de saint Thomas, il demeure possible que le Magistère ait pu apporter sur ce point, comme ce fut le cas pour l'Immaculée Conception, un correctif à des positions antérieurement reçues. Toute fois, il n'est pas sans intérêt d'examiner de près si la différence est si grande qu'elle le paraît à première vue. Le nouvel exposé pontifical vise-t-il à corriger l'enseignement des scolastiques, ou cherche-t-il à le préciser dans la ligne de son intuition fondamentale? »

Hoc fundamento praeiacto, Auctor subtiliter et ingeniose satagit demonstrare nullam esse veram discordiam, nullam oppositionem realem inter utrumque modum concipiendi et explicandi mysterium corporis mystici et ecclesiastici. Profecto formula aequationis : Ecclesia = corpus mysticum est utrique Doctori, Thomae, inquam et Pio communis : nisi quod termini aequationis diversum sensum prae se ferunt : Thomas aequationem seu identificationem intelligit sic : Ecclesia *universalis* = corpus mysticum *totale* ; quod terrestre simul et caeleste est. — Pius XII identificationem intelligit sic : Ecclesia *Romana-catholica* = corpus mysticum *terrestre* in actu *completo* constitutum. Nulla ergo vera oppositio, sed diversus modus ponendi problema. Thomas non negat aequationem a Pio XII stabilitam : nec Pius reiicit aequationem a Thoma propositam. Accedit quod Pius XII explicite monet se velle loqui de corpore mystico prout in *Ecclesia militante* manifestatur, id quod claro est indicio Papam minime negare, sed potius supponere existentiam corporis mystici caelestis. Accedit quo-

que quod Pius XII in parte exhortatoria Encyclicae inter membra corporis mystici connumerat catechumenos et animas in Purgatorio retentas.

Ex alia vero parte Nothomb reiiicit formulam et doctrinam P. Morel, secundum quam corpus Christi mysticum late exorbitat extensionem seu limites Ecclesiae catholicae Romanae: « Le P. Morel était-il fidèle à l'Encyclique lorsqu'il écrivait: " Sur le plan réel, le Corps Mystique terrestre *déborde* l'Église Catholique romaine? " Il nous semble bien que non. Il l'aurait été en affirmant: " ... *déborde*, dans ses inchoations latentes, les limites visibles (*l'adspectabilis compago*) de l'Église Romaine ". Corps Mystique terrestre et l'Église Romaine, en effet s'identifient, "*sunt idem et unum*", Mais la manifestation visible intégrale ou achevée de cette unique réalité est plus restreinte, plus étraite que sa zone d'influence, ses ebauches ou ses prolongements anormaux ». Ad hanc ergo normam et doctrinam Auctor noster construit novam et sat complicatam divisionem et classificationem membrorum in corpore mystico, de qua superius egimus.

Quaeres forsitan quid sit tandem dicendum de hac subtili indagine et solutione elaborata a Doctore Nothomb. Conatus imprimis quaerendi aliquam concordiam inter communem Doctorem et Pium XII videtur nobis summa cum laude approbandus, summa cum gratitudine recipiendus. Licebit notare quaedam puncta obscura et difficilia, quae ulteriori cuidam studio atque examini ansam et materiam suppeditare possunt:

a) S. Thomas, secundum nostrum Auctorem, statuit aequationem seu identificationem inter Ecclesiam *universalem* (terrestrem atque extraterrestrem), et corpus mysticum *totale* seu adaequatum; sed non negat aequationem inter Ecclesiam catholicam Romanam et corpus mysticum *terrestre* complete constitutum a Pio XII propositam et vindicatam. Sed occurrit difficultas non parva: Pius XII identificat corpus mysticum terrestre cum Ecclesia militanti *Novi Testamenti*, quae est Ecclesia Romana. S. Thomas non admittit hanc identificationem; sed statuit identificationem inter corpus mysticum terrestre et Ecclesiam militantem *Antiqui et Novi Testamenti*. S. Thomas explicite fatetur iustos A. T. pertinere ad idem numero corpus mysticum, ad quod nos pertinemus. Ideo Aquinas non requirit baptismum ad constituendum membrum corporis my-

stici terrestres, dum Pius XII, ad normam theologiae Paulinae, docet christifideles lavacro baptismali constitui membra in corpore mystico. Quaedam ergo *vera ac realis oppositio* inter utrumque Doctorem admittenda videtur.

b) Pius XII, premens vestigia sui antecessoris Leonis XIII, docet corpus Christi mysticum esse necessario et *essentialiter visibile*, dum visibilitas pro S. Thoma est elementum accidentale et non necessarium corpori mystico qua tali. Hanc oppositionem esse realem agnoscit ipse Doctor Nothomb. Haec porro oppositio gravida est et momento plena, quippe qua posita et admissa, oportet admittere primatum iuridicum et magisterialem, hierarchiam, sacramenta, sacrificium eucharisticum totum ordinem ecclesiasticum et visibilem in conceptione Thomistica corpori mystico *qua tali* minime esse essentialem. Ut summum posset esse essentialis corpori m. in N. T.

c) Doctor Nothomb, premens vestigia D. Journet, admittit et docet omnem hominem qui versatur in statu gratiae (in terris), et consequenter omnes iustos Antiqui Testamenti iam inde ab Abel, pertinere ad Ecclesiam catholicam Romanam in actu imperfecto seu *inchoato*: siquidem omnes hi sancti ex una parte iustificantur ministerio extrasacramentali Ecclesiae Romanae, et ex alia parte ab ipsa gratia sanctificante et Spiritu Sancto in eis inhabitante moventur et sollicitantur versus Ecclesiam Romanam. Haec doctrina videtur nobis acceptari non posse. Primo quidem vix intelligi potest quomodo Ecclesia Romana, antequam existeret, potuerit suo ministerio extrasacramentali realiter influere in sanctificationem Abel, Abraham, Isaac, Iacob ... Deinde vero nullatenus admitti posse videtur iustos illos Antiqui Testamenti pertinere ad Ecclesiam Romanam in actu inchoativo. — Gratia sanctificans, quae in eis aderat cum dinamica Spiritus Sancti praesentia, non erat nec poterat esse quaedam inchoatio motus, cuius terminus ad quem esset Ecclesia catholica romana. Siquidem *divinitus ordinatum* atque institutum erat, ut Ecclesia Romana cum suo sacerdotio, magisterio et imperio, nonnisi multis post saeculis in existentiam veniret: accessus ergo ad Ecclesiam Romanam erat his omnibus Antiqui Testamenti iustis *ipsa ordinatione divina* impossibilis. Quomodo ergo divinus in eis inhabitans Spiritus potuisset eos movere, impellere, sollicitare

ad terminum sic impossibilem et inaccessibilem? Fit ergo magna et gravis confusio: terminus ad quem ordinabatur gratia sanctificans in A. Testamento, non est Ecclesia catholica Romana, sed est Ecclesia caelestis et triumphans; gratia est germen gloriae et visionis intuitivae. Nec potest dici iustos illos A. Testamenti esse membra *invisibilia* Ecclesiae visibilis Romanae. Esse membrum *invisibile* Ecclesiae Romanae significat pertinere ad eam realiter quidem, ita tamen ut haec realitas ratione sui occulti characteris videri ab oculo vel intellectu humano non possit. Invisibilitas ergo oritur non ex defectu realis praesentiae, sed ex defectu potentiae visivae. Inde sequeretur quod Deus, cui nihil est invisibile, sed omnia sunt nuda et aperta, videret omnes hos omnes A. Testamenti iustos esse reapse membra Ecclesiae Romanae. Sed si, ut Encyclica cum Paulo docet, baptismatis realis susceptio requiritur ut quis *constituatur* membrum Ecclesiae, quomodo potest videre Deus realiter adesse id, quod realiter non est? — Nec potest admitti quod hi iusti. A. Testamenti pertineant *voto* ad Ecclesiam Romanam. Primo quidem asseri non potest hoc votum fuisse eis ex divina institutione necessarium ad salutem. Quandoquidem nequit Deus pro sua sapientia et providentia homini imponere praeceptum concipiendi votum, cuius obiectum foret obtentu impossibile, idque ex ipsa ordinatione divina. Accedit quod eadem est necessitas ingrediendi in Ecclesiam Romanam, ac est necessitas suscipiendi baptismum, qui est ianua huius ingressus. Atqui iustis A. Testamenti nulla erat necessitas recipiendi baptismum nec re, nec voto. Hinc est quod Concilium Tridentinum docet baptismum, eiusque votum esse necessarium *post evangelium promulgatum*. Doctrina ergo statuens iustos Antiqui Testamenti esse membra *invisibilia* Ecclesiae Romanae admitti non potest.

d) Quaestio fundamentalis et vere gravis est, num detur oppositio et verum dissidium inter doctrinam S. Thomae de membris corporis mystici, et doctrinam *revelatam et Paulinam*. Non parvam admirationem movet, quod ex una parte tanta adsit, eaque iusta, praeoccupatio apologetica simul et theologica quaerendi aliquam possibilem et rationalem concordiam inter placita S. Thomae, et doctrinam a Pio XII propositam in Encyclica *Mystici Corporis*; et ex alia parte nulla ostendatur praeoccupatio quaerendi et investigandi num sit

aliquale dissidium inter Doctorem Communem et Doctorem gentium. Paulus clare et iterato docet in corpore mystico adesse unam fidem, unum Dominum, *unum baptisma*. Pauli est aperta doctrina corpus mysticum constitui iudaeis et gentilibus reconciliatis in sanguine Christi, et in unum corpus in uno Spiritu adunatis *per baptisma*. In germana Pauli conceptione et praedicatione non concipitur existentia corporis mystici antequam gentiles fiant *concorporales* et concives cum iudaeis in sensu superius declarato. S. Thomas docet existentiam corporis mystici iam inde ab Abel et omnibus iustis Christo per caritatem unitis. Inde surgit gravis difficultas: daturne vera et realis oppositio in conceptionem Paulinam corporis mystici, et conceptionem S. Thomae, qualis apparet in S. Theol. III, q. 8, a. 3? Possuntne hae duae conceptiones conciliari et in concordiam aliquo modo trahi? Nonne haec deberet esse princeps praecupatio? Putamus in non paucis doctis theologis desiderari iustam praecupationem *theologiae biblicae*. Nemo iure requirat in theologo mediaevali, licet maximo, illos theologiae biblicae fructus et progressus, qui nostrae aetatis sunt proprii; at nemo excusabit criticum doctorem hodiernum, qui problemata theologica examinanda assumat modo et methodo et spiritu, qui proprius erat aetatis mediaevalis. Nonne hic quaerenda esset ultima mali labes?

Scholion I. De novitate formulae in E. Mystici Corporis.

Encyclica « Mystici Corporis » utitur duplici formula in recensendis membris Ecclesiae. Prior recurrit in n. 21, ubi Pontifex loquitur de his qui *reapse* pertinent ad Ecclesiam. Altera recurrit in n. 101, ubi sermo est de his qui non pertinent ad visibilem Ecclesiae compagem, « etsi inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris corpus *ordinentur* ». Haec formula bifariam differt a formula theologis hactenus usitata, secundum quam aliquis potest pertinere ad Ecclesiam vel *re*, vel *voto*. Ex una parte in Encyclica evitatur (deliberate?) vox *pertinere*, eiusque loco usurpatur alia vox generalior *ordinari*. Ex alia parte retinetur quidem vox *votum*, sed additur *inconscium*. Hinc oritur parva quaestio, quae ingenia criticorum nonhil exercuit. Voluitne Pontifex formulam an-

teriolem modificare, aliquatenus corrigere, an eam distinctius et accuratius exhibere?

Ad rectam totius doctrinae intelligentiam utile erit habere prae oculis praecedentem Ecclesiae positionem hac in re. Porro Ecclesia in antecessum docuerat sequentia: *a*) Neminem (in novo Testamento) posse salvari extra Ecclesiam: Denzinger, nn. 430, 714, 468, 1647. — *b*) Ecclesia non semel condemnavit doctrinam eorum, qui docebant nullam dari gratiam extra Ecclesiam. Denzinger, nn. 1295, 1379. — *c*) Benedictus XIV docuerat: « Eum qui ab haeretico baptisma rite suscepit, illius vi Ecclesiae catholicae membrum esse docemus ». Brevi « Singulare nobis » (1749). Advertas Papam loqui de effectu qui producit *vi baptismi*. — *d*) Pius IX docuerat posse salutem aeternam consequi eos qui laborant ignorantia inculpabili circa Christum eiusque Ecclesiam. Denzinger, nn. 1647 et 1677. — *e*) In schemate de Ecclesia Concilii Vaticani praeparabatur formula sic sonans: « Omnes iustificati ad Ecclesiam sive re sive voto pertinent ». At haec formula non omnibus theologis placuit: « At contra observatum est, non videri id necessarium, quia non de modo hic agitur, quo, qui in invincibili ignorantia versantur, iustificationem et vitam aeternam consequi possunt ». Hinc additur: « Visum est sufficere, si declaretur explicitè nullum fieri salvum, qui ob propriam culpam ab Ecclesia seiunctus ex hac vita decedit, dum implicite significatum intelligitur non posse penitus vel simpliciter, ut aiunt, extra Ecclesiam esse quicumque salvus fiat ». Mansi, 51, 570c. Advertas fieri distinctionem inter id quod *explicitè declaratur*, et id quod *implicitè significatum* intelligitur.

Ex dictis consequitur Pium XII ultra formulam Concilii Vaticani progredi voluisse, et *explicitè declarasse* ac determinasse positionem illorum (omnium?) qui extra catholicam versantur. Vides iam qualiter nova formula Encyclicae differat a praecedenti, quae penes theologos in usu erat, necnon ab illa quam theologi Concilii Vaticani praeparabant. Formula theologica = *pertinere voto ad Ecclesiam*, respicit tantum separatos materiales seu bonae fidei. Formula nova Encyclicae = *ordinari voto inconscio*, generalior est, et latius patere videtur: de se posset includere *omnes* separatos, etiam formales seu malae fidei: num *de facto* includat eos ex intentione Pontificis, aliqui critici id supponunt; mihi non adeo clarum vide-

tur. Oritur ergo problema a theologis examinandum: num et quomodo separati etiam formales seu malae fidei sint ordinati in corpus mysticum.

Distinguenda videtur duplex ordinatio: una *obiectiva*; altera *subiectiva*. Ordinatio obiectiva intelligitur ea quae est innixa elevationi supernaturali totius generis humani, nec non voluntati Dei salvificae universali. Ordinatio subiectiva implicat bonam voluntatem seu dispositionem subiecti. Encyclica videtur loqui de ordinatione non tantum obiectiva, sed etiam subiectiva, quippe quae loquitur de voto seu desiderio inconscio. Hoc inconscium bifariam intelligi posset: votum primo potest dici inconscium ratione suae existentiae, quia subiectum non habet conscientiam claram talis desiderii. Votum secundo posset dici inconscium ratione sui termini ultimi, ad quem dirigitur: siquidem homo ille separatus ab Ecclesia catholica, habet quidem conscientiam sui voti, ignorat tamen se hoc desiderio moveri iam ac sollicitari versus Ecclesiam Romanam. Qualiter sit intelligendum votum *inconscium* in Encyclica, aliquatenus obscurum manet. Sed praeter votum inconscium, negari non potest possibilitas, imo et existentia voti *conscii* penes aliquos separatos bonae fidei: cogita catechumenos: de his Encyclica explicite non loquitur. — Distinguendum rursus est inter votum, sive conscium sive inconscium, implicatum in caritate seu contritione perfecta, et votum inclusum in attritione. In priori casu pertinetur voto ad Ecclesiam modo salutari; in altero casu agitur de pertinentia non salutari. Ergo oportet multifariam distinguere:

a) Potest quis pertinere ad corpus mysticum, quod est Ecclesia Romana, *re*, vel ut loquitur Encyclica, *reapse*, idque vel salutariter, vel insalutariter. — b) Potest quis pertinere ad Ecclesiam *voto* sive explicito, sive implicito, sive conscio sive inconscio, idque sive salutariter sive non salutariter. — c) Potest quis esse *ordinatus* ad Ecclesiam ordinatione pure obiectiva. — d) Potest quis esse ordinatus ad Ecclesiam *ordinatione subiectiva*. Ubi agitur de ordinatione subiectiva per votum in quo implicatur caritas vel contritio perfecta, videmur re incidere in formulam traditionalem = pertinere ad Ecclesiam voto. — e) Potest demum quis pertinere ad Ecclesiam vel simpliciter, vel secundum quid: *simpliciter*, si habet tres condiciones designatas in Encyclica «Mystici Corporis»; se-

cundum quid, si habet aliquas, non omnes, ex conditionibus in Encyclica requisitis. Per se patet in hac utraque forma posse distingui diversos gradus perfectionis, prout sit perfectior vel imperfectior cohaesio vitalis cum Christo capite, si agitur de prima forma; prout quis sit baptizatus, vel non baptizatus, si agitur de secunda forma, etc.

Scholion II. De quodam loco difficili in Encyclica M. C.

Doctrina de membris corporis mystici clare et succincte proponitur in n. 21 Encyclicae: « In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt, veramque fidem profitentur, neque a corporis compage semetipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncta sunt ». Ex hoc loco apparet receptionem baptismi esse conditionem necessariam et essentialem ad rationem membri realis in corpore mystico; et consequenter nullum hominem non baptizatum posse annumerari inter vera membra corporis mystici et ecclesiastici.

At haec adeo clara doctrina nonnihil obscuratur ex his quae leguntur in nn. 99-100 eiusdem documenti, maxime si legatur textus prout reperitur, sive in versionibus officialibus, sive in editione Gregoriana praeparata a P. Tromp: qui in sua Introductione scribit: « Textum proponimus prout iacet in Act. Ap. Sedis XXXV (20 iul. 1943) pp. 193-248; titulos partium, sectionum, capitulorum, qui tituli in editione latina officiali desiderantur, desumpsimus ex versionibus, in polyglotta typographia Vaticana, mox post editum textum latinum, ex *alto mandato* confectis ». Inde erudimur has versiones cum suis titulis esse officialiter approbatas. Porro inter n. 99 et 100 leguntur hi duo tituli dividentes: « Pro membris Ecclesiae » (n. 99). — « Pro his qui nondum sunt membra Ecclesiae »: hic titulus immediate praecedit n. 100. Fit ergo divisio inter eos qui iam sunt membra Ecclesiae, et eos qui nondum sunt membra Ecclesiae. Iamvero inter eos qui sunt membra Ecclesiae recensentur etiam catechumeni et animae Purgatorii. En verba Encyclicae:

« Quod quidem nos Christi exemplum imitantes, cotidie Dominum messis adprececur, ut mittat operarios in messem suam; ac cotidie omnium nostrum comprecatio ad caelestia

evehatur omniaque commendet mystici Iesu Christi Corporis membra. Inprimisque sacrorum Antistites ac sacerdotes dein religiososque viros ac mulieres ... *Nullius autem membri* huius venerandi Corporis haec communis supplicatio obliviscatur; eosque praesertim reminiscatur; qui vel terrestris huius incolatus doloribus angustiisque premuntur, vel vita functi *piaculari igne purificantur*. Neque eos praetermittat, qui christianis praeceptis instruuntur, ut quam primum *lustralis aquae lavacro* expiari queant ». Ex his verbis sat clare apparet inter membra corporis connumerari simul cum episcopis, sacerdotibus, religiosis, etiam catechumenos et animas quae in Purgatorio igne piaculari purificantur. Inde non levis difficultas et consequens obscuritas in Documento Pontificio: secundum n. 21 soli baptizati debent adnumerari inter membra corporis mystici: secundum n. 99 etiam catechumeni nondum baptizati, necnon animae Purgatorii connumerantur inter membra corporis mystici. Nonne hic desideratur cohaerentia logica doctrinae? An forte possunt inter se conciliari, et amico foedere consociari?

Difficultas oritur ex duplici capite: primo ex divisione inducta per *titulos*; deinde ex *ipso textu*. Prima levior est: quandoquidem, quidquid sit de valore et auctoritate versionum officialium, *hi tituli* non reperiuntur in ipso textu pontificio recepto in organo officiali S. Sedis. Nonnemo opinatur auctores titulorum dormitasse omnes ... Secunda difficultas gravior est, quippe quae fundatur in ipso textu authentico Encyclicae: quae leguntur sive in n. 99 sive initio n. 100 sat clare indicare videntur tum catechumenos, tum animas Purgatorii recenseri et connumerari inter actualia mystici corporis membra.

Ad solvendam vel utcumque mittigandam difficultatem, tria mihi observanda occurrunt: a) In n. 21 Encyclicae, quem locum superius allegavimus, quaestio de membris corporis mystici tractatur *directe et ex professo*; et responsio datur clara, distincta, decretoria, doctrinae Paulinae innixa. E contra, in nn. 99 et 100 quaestio haec de membris attingitur *indirecte et per transennam*. Nequit ergo uterque textus eodem iure et rigore invocari; nec debent ea quae sunt clara, primaria ac decretoria complicari ac obtenebrari per ea quae sunt obscuriora, secundaria et quasi occasionalia; sed vice versa. —

b) Aliquis parvus defectus cohaerentiae logicae in amplo et nondum peremptorio Documento non est absolute et metaphysice impossibilis; sed aliud est possibilitas incohaerentiae; aliud, realis ipsius existentia, quae, nisi invicte probetur, admitti, nostro iudicio, non deberet. — c) Susplicari licet num Encyclica in nn. 99 et 100 loquatur de membris corporis mystici sensu paulo latiori intellecti. Et haec omnia sint hypothetice dicta: si quis aliam meliorem solutionem et explicationem proponit, libenti et grato animo eam acceptarem.

Scholion III. *De unitate sensus revelati corporis mystici.*

Quaestio de unitate vel pluralitate sensus *revelati* corporis mystici, meo iudicio, gravissima est: ex eius neglectu oriuntur graves confusiones in studio huius altissimi mysterii, necnon acres et inutiles controversiae inter Doctores. Theologi, potissimum scholastici et in scientia biblica minus versati, sive ad explicandam doctrinam sive ad enodandas difficultates, passim appellant ad varios ac diversos sensus formulae *corpus Christi mysticum*. Non omnes rem eodem modo concipiunt et proponunt: aliqui loquuntur modo generaliore, et distinguunt duos huius formulae sensus: unum strictum, alium latum. Alii accuratius distinguunt, et rem plus minus sic concipiunt: corpus Christi mysticum significat: sensu *stricto* Ecclesiam hierarchicam catholicam et Romanam — sensu *paulo latiori* Ecclesiam universalem, quae componitur seu constituitur ex Ecclesia militanti, patienti, et triumphanti — sensu *latiori* integram humanitatem Christo capiti iam inde ab Incarnatione unitam, incorporatam, desponsatam — sensu *latissimo* integram creationem, visibilem et invisibilem, humanam et angelicam in Christo, in plenitudine temporum, instauratam et recapitulatam. — P. Tromp, qui traditionem Patristicam prae ceteris abundantius ac sollertius investigavit, distinguit duos sensus formulae *corpus Christi mysticum*: unum *primarium*, alterum *secundarium*. Sensum primarium intelligit illum qui est primo revelatus, primo propositus a magisterio ecclesiastico, et melius explicat metaphoram Paulinam, i. e. similitudinem inter corpus organicum humanum, et corpus ecclesiasticum mysticum. Quomodo sit intelligendus sensus secundarius, prudenter tacet: nisi totus fallor, sensum

secundarium intelligit sensum *Patristicum*, qui, ipso attestante et demonstrante Tromp, multiformis est, multicolor est. — P. Morel supra audivimus contendentem cum P. Tromp, et distinguentem duos sensus corporis mystici: unum *eminentem*, qui verificatur in sola Ecclesia Romana-catholica; alium *simplicem*, qui complectitur omnes homines, quotquot sunt cum Christo vitaliter et habitualiter uniti. — Doctor Not-homb, ad solvendum exortum conflictum inter S. Thomam et Pium XII, appellabat, ut vidimus, ad distinctionem inter sensum *partialem*, et *totalē* seu adaequatum, i. e. inter corpus mysticum terrestre, et corpus mysticum caeleste simul et terrestre.

Ex his omnibus sufficienter, opinor, patet ex una parte *consensus*, sat amplus, Theologorum in praesupponenda multiplicitate sensuum formulae *corpus mysticum Christi*; ex altera vero parte *dissensus* ipsorum in concipienda et explicanda praefata multiplicitate. Surgit ergo quaestio summi momenti, summaeque gravitatis. Omnes hi, adeo diversi, sensus corporis mystici quem valorem theologicum habent? Suntne omnes revelati? Ubinam continetur haec talis revelatio? Notum porro est S. Paulum esse unicum auctorem divinitus inspiratum, qui arcanum hoc Christi Ecclesiaeque mysterium exhibet sub hoc schemate metaphorico corporis, capitis, membrorum. Quaestio ergo ultimatim huc redit: Conceptus Paulinus corporis Christi estne unus, an multiplex? Theologi, de quibus egimus, hanc momentosam quaestionem praetermiserunt omnes. Mea, eaque firma, sententia est: conceptum revelatum et Paulinum unum esse. Hic unicus conceptus ille est quem Tromp appellat *primo revelatum*, et pro me est *unice revelatus*. Nec puto penes Tromp haberi ut divinitus revelatos omnes illos sensus Patristicos adeo multiformes et multicolores.

Quod si unicus sit admittendus sensus *revelatus* formulae *corpus Christi mysticum*, surgit iterum inexorabilis quaestio: omnes illi sensus non revelati praefatae formulae quem valorem theologicum habent? Varias hypotheses sunt possibiles. Primo posset supponi hos omnes sensus plus minus latos et secundarios esse sensus biblicos *consequentes*, i. e. conclusiones theologicas logice deductas ex sensu Paulino et revelato. At haec hypothesis vix potest acceptari. Si Paulus requi-

rit baptismum ad rationem membri in corpore mystico, quomodo inde potest *logice deduci* fideles non baptizatos esse membra corporis Christi? Si Paulus docet corpus mysticum unice constitui iudaeis et gentilibus virtute crucis reconciliatis, lavacro baptismali regeneratis et in unum corpus in uno Spiritu adunatis; omnis alia doctrina docens existentiam corporis mystici iam inde ab Abel, vel etiam iam inde ab ipso momento Incarnationis, debet haberi non ut logica conclusio ex doctrina revelata, sed ut vera deformatio doctrinae revelatae.

Altera hypothesis posset esse omnes illos praefatos sensus secundarios formulae *corpus Christi mysticum* esse sensus plus minus *accommodaticios*: quo in casu meminisse oportet verbi revelati sensus *accommodatitios* utiles posse esse ad aedificationem pietatis christianae, eosdem vero posse esse funestos ac perniciosos, ubi assumuntur ut basis ad construendam Theologiam corporis mystici. — Neque est a priori excludenda tertia hypothesis, secundum quam sensus sic dicti secundarii corporis mystici essent *verae deformationes* sensus primarii. Cogita Originem includentem Angelos inter membra corporis mystici ex prepostera intelligentia verborum Christi in oratione sacerdotali: « ut omnes unum sint », quasi angeli boni olim peccassent, et a Christo in cruce fuissent redempti (De Princ. 1, 6, 2: MG 11, 166-168). Cogita S. Thomam versione latina deceptum in recta intelligentia verborum Pauli ad Ephes. 1, 22: « et ipsum dedit caput super *omnem Ecclesiam* », et inde falso deducentem corpus Christi mysticum complecti omnem Ecclesiam, i. e. Ecclesiam militantem, purgantem et triumphantem. Idem error repetitur nostris diebus (!) a quodam Thomae discipulo auctore ingentis operis de corpore mystico Christo. Auctor ad demonstrandam suam theoriam de corpore mystico identificando cum *Ecclesia universalis* (sensu S. Thomae) appellat ad Paulum in praefato loco ad Ephes. 1, 22: « et ipsum dedit caput super *omnem Ecclesiam* ». Quae verba noster Auctor commentatur: « San Pablo dice que Dios le ha hecho cabeza de *todas las iglesias*, y que *todas las iglesias son su cuerpo* ». Agitur de perversa intelligentia textus Paulini, quae originem habet in defectuosa versione latina. Paulus dicit Deum dedisse Christum caput *super omnia Ecclesiae*, quae est corpus eius ... Suo loco vidimus hanc

Ecclesiam pro Paulo non esse illam Ecclesiam universalem, de qua Thomas; sed Ecclesiam Novi Testamenti a Christo super Petrum fundatam, in qua Christus ipse ascendens in caelos dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores praecise ad aedificationem corporis Christi. Vides quasdam conceptiones corporis mystici partim esse fundatas in deformato sensu verbi revelati.

Ex dictis concluditur explicationes non raro ab auctoribus allatas ad solvendas difficultates, quae in hac materia recurrunt, non esse veras, sed larvatas solutiones. Redeamus parumper ad dissidium inter S. Thomam et Pium XII recenter suscitatum opera Doctoris Mitterer, de quo in praecedentibus egimus. Nonnulli putant praefatum dissidium facile dissipari adhibita distinctione inter sensum strictum et sensum latum corporis mystici. Pius XII loquitur in Encyclica « Mystici corporis » de corpore m. sensu stricto, S. Thomas loquitur de eodem corpore sensu lato: nullus ergo conflictus. At haec solutio nimium simplex et aprioristica videtur. Notetur imprimis hanc distinctionem non esse S. Thomae. Cum Doctor communis exhibet suam corporis m. conceptionem in S. Theol. III, q. 8, a. 3, non intendit loqui de corpore mystico sensu lato, sed loquitur de corpore Christi sensu stricto intellecto. Dein manet quaestio de valore theologico illus sensus lati. Difficultas ergo non solvitur, sed, ut summum, obtegitur.

Doctor Nothomb appellabat ad distinctionem inter corpus mysticum *terrestre*, de quo loquitur Encyclica, et corpus mysticum *caeleste* simul et terrestre, de quo loquitur S. Thomas. Sed surgit quaestio: Ecclesia caelestis seu triumphans estne corpus mysticum, vel aliqua ipsius pars in sensu *revelato et Paulino*? Hoc passim praesupponitur et dicitur ab Auctoribus; sed numquam probatur ex verbo revelato. Gravissima ratio dubitandi inde petitur, quod Paulus Ecclesiam appellat corpus Christi locutione metaphorica ob similitudinem quae adest inter corpus physicum humanum, et corpus ecclesiasticum. Similitudo porro stat in hoc, quod sicut in corpore humano adest membrorum multitudo et varietas salva corporis unitate, sic etiam in Ecclesia seu corpore Christi dantur membra multa, diversa, corpus tamen unum est. Haec est conceptio Paulina clare proposita in locis classicis Rom. 12, 5 et I Cor. 12, 13. Notum porro est somaticam varietatem seu

structuram, de qua loquitur Apostolus, esse hierarchicam simul et charismaticam. Quo posito et retento, merito quaeritur: daturne in communitate ecclesiastica caelesti *haec talis similitudo et varietas*, in qua praecise fundatur tota metaphora et conceptio Paulina corporis mystici? Tentata ergo solutio a Doctore Nothomb nonne aprioristica et quandantenus arbitraria censeri possit?

Dices forsitan: Doctrina de pluralitate sensuum formulae *corpus mysticum Christi* est solide fundata in traditione patristica: Licet ergo ad eam appellare in re nostra. — *Resp.* Haec obiectio speciosior est quam solidior, multosque incautos decepit. Adest certe quaedam Patrum traditio circa praefatam pluralitatem; sed oportet, et vehementer oportet examinare num haec traditio patristica prae se ferat illos characteres seu conditiones, quae merito postulatur ubi agitur de construendo argumento patristico vero valore theologico praedito. Patres consentientes moraliter omnes, remque de fide vel moribus constanter, uniformiter, peremptorie proponentes, sive testes agant, sive doctores *publicos*, certum suppeditant criterium revelationis, vel rei cum revelatione necessario connexae. Ex Patribus vero dissentientibus inter se nullum argumentum theologicum solidum trahi potest. Porro in re nostra non datur firmus et constans Patrum consensus. Tromp, qui Patrum doctrinam de corpore mystico diligentius et uberius examinavit, merito concludit conceptum Patristicum corporis mystici non esse unum, sed multiformem et multicolorem.

Notum est ceteroquin traditionem Patristicam totum suum valorem theologicum mutuare ex sua connexionione cum magisterio ecclesiastico. Patres sicut et Theologi, ut suo loco notavimus, medium quemdam locum tenent inter magisterium Ecclesiae docentis, et fidem Ecclesiae discentis universalis. Cum in magisterio Patrum implicari deprehenditur sive peremptorium Ecclesiae docentis testimonium, sive firmam et constantem Ecclesiae universalis discentis fidem, ibi merito concluditur ad irrefragabilem ipsius valorem theologicum: sed in nostro casu hoc certe non verificatur. Magisterium papale iam inde a Bonifatio VIII in Bulla *Unam Sanctam*, usque ad Pium XII in Encyclica *Mystici Corporis*, constanter requirit baptismum ut necessariam conditionem membri in corpore mystico. Concilia oecumenica iam inde a Florentino et Tridentino

tino eandem doctrinam proponunt. Doctrina ergo illorum Patrum et theologorum mediaevalium, secundum quam iam inde ab Abel aderat corpus mysticum cum suis membris constitutum, nequit censeri ut traditio vero valore theologico praedita.

Oportet demum meminisse ea quae superius notavimus circa traditionem Patristicam in re ecclesiologica. Tractatus separatus et systematicus de Ecclesia Christi fructus est sequioris aetatis. Nihil ergo mirum si doctrina ecclesiologica penes Patres appareat aliquatenus vaga, incerta ac indeterminata. Hinc cautela quam merito commendabat Doctor Grivec in usu Patrum ac Doctorum mediaevalium cum agitur de studio corporis mystici. Maxima attentione digna mihi videtur observatio facta a P. Tromp circa *periculum doctrinale* implicatum in hac evolutione progressiva totius ecclesiologiae: « Conceptus Ecclesiae inde ab Abel, Ecclesiae universalis sensu Gregorii, seu Corporis Mystici considerati ut coetum constituit omnium Sanctorum, qui inde ab origine mundi usque ad eius exitum iustificantur fide Redemptoris, maximi momenti est, ut intelligatur evolutio totius ecclesiologiae. Apud haud paucos scholasticos ita videtur praeoccupasse animos, ut idea strictior corporis mystici *ut apud Paulum apparet*, iam minorem occuparet locum. *Non absque periculo doctrinae*. Nam primum unio Sanctorum *res est invisibilis*, et deinde ille qui modo Augustiniano Ecclesiam inde ab Abel considerat ut quamdam personam mysticam numero eandem et sub vetere et sub nova Lege, quasi eo ipso eo pervenit, ut organizationem corporis mystici a Christo volitam, consideret ut rem aliquam ipsi Ecclesiae quodammodo *accidentalem*. Neque Suarezius in sua Ecclesiologia sese plane ab hisce ideis liberavit ». « Corpus Christi quod est Ecclesia », 1946, p. 127. Quod de Suarezio dicitur, id ipsum de S. Thoma dici potest, ut superius notavimus.

Scholion IV. *De conditione membri controversa.*

In quaestione de membris corporis mystici et ecclesiastici oportet distinguere ea, quae sunt certa et communi calculo recepta, ab his quae sunt plus minus incerta et in controversiam vocata. Porro certum est et communiter admissum ad veram membri dignitatem in corpore mystico requiri bapti-

smum — verae fidei professionem — organicam communionem sive cum ecclesiastica compagine tota, sive cum collegio hierarchicò et episcopali sub Petri successore constituto. Controvertitur vero de *haereticis* internis et occultis. — de *schismaticis* materialibus seu bonae fidei — de *excommunicatis* vitan-
dis. Pauca de singulis.

I. Prima quaestio est de *haereticis internis-occultis*, de iis inquam baptizatis, qui aliquam (vel aliquas) veritatem divinitus revelatam et magisterio ecclesiastico infallibiliter propositam interius quidam detrectant, exterius tamen communi fide tenent seu profitentur. Quaestio huc redit: num fides interna requiratur, an publica et externa ipsius professio sufficiat ad obtinendam dignitatem et veram rationem membri in Ecclesia, quae est corpus Christi mysticum. Multi et bonae notae theologi negant necessitatem verae fidei internae. Nobis contraria sententia probabilior videtur. Rationes sunt huiusmodi.

a) *Paulus* in primis in epistula ad Ephes. 4, 4 docet mysticum Christi corpus ab his constitui, quorum una est fides, unum baptisma, unus Dominus. Atqui indubium videtur Apostolum loqui de confessione fidei, non simulata et hypocrita, sed genuina et sincera. Vult enim Paulus ut omnes adhaereamus his quos Christus posuit in Ecclesia Apostolos, Prophetas ... donec occurramus omnes in unitatem fidei et cognitionis Filii Dei ... veritatem autem *facientes in charitate* crescamus in eum qui est caput, Christum. Sed iam in antecessum docuerat quod *corde creditur* ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.

b) *Pius papa XII* idem prorsus docere videtur in Encyclica « *Mystici Corporis* » scribens: « In Ecclesiae autem membris reapse ii soli adnumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt, *veramque fidem profitentur*. Atqui indubium rursus videtur Papam loqui de confessione fidei, non hypocrita, larvata, simulata; sed germana et sincera. Appellat quippe ad Pauli doctrinam nuper a nobis commemoratam, docetque quod « in vero Christifidelium unum tantum habetur corpus, unus Dominus ... nec haberi potest nisi *una fides* ». Accedit quod ad explicandam rationem quare peccatores inter vera Ecclesiae membra possint computari, asserit: « Ne-

que ab iis omnis vita recedit, quia licet caritatem divinamque gratiam peccando amiserint ... *fidem* tamen christianamque spem *retinent* ».

c) *Pius papa IX* praeiverat docens in Bulla *Inneffabilis*: « Si quis secus ac a nobis definitum est, praesumpserit *corde sentire*, ii noverint ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos naufragium circa fidem passos esse, et *ab unitate Ecclesiae defecisse* ». Dicere Papam loqui de separatione a corpore Ecclesiae *dispositiva*; nondum tamen formali, videtur nobis exegesis aprioristica et arbitraria, quae obvio verborum sensui vim facit. Ceterum libenter admittimus Papam noluisse hoc loco sententiam apud theologos catholicos controversam *peremptorio modo* dirimere. Sed negari non potest formulam Pontificiam sententiae, quam selegimus aperte favere.

d) *Argumentum princeps* pro sententia contraria non multum urgere videtur. Argumentum huiusmodi est: Episcopus, occulte factus haereticus, retinet eandem iurisdictionem, quam antea habuit, manetque vere *caput* ecclesiae suae particularis. Atqui omnis, qui extra corpus Ecclesiae versatur, iurisdictionis episcopalis incapax redditur: etenim qui sortitur iurisdictionem episcopalem, princeps in Ecclesia et caput ecclesiae particularis constituitur. Nemo autem, qui non est membrum Ecclesiae, potest in ea princeps et caput esse. — *Resp.* Tota haec argumentatio speciosior, quam verior esse videtur. Notetur imprimis hunc casum de episcopo occulte haeretico facto, atque retinente priorem iurisdictionem, non esse in Ecclesia frequentem et ordinarium, sed rariorem et vere extraordinarium. Iurisdictionis ecclesiasticae subiectum posse esse aliquem qui non sit actuale Ecclesiae membrum, patet ex duplici capite: primo quidem ex eo quod etiam sacerdos manifeste haereticus habet iurisdictionem ad absolvendum fidelem extremo morbo laborantem, ut omnes theologi admittunt: dein ex eo quod sacerdotes separati Ecclesiae Orientalis ex tacita confessione pontificia videntur habere iurisdictionem ad absolvendos peccatores in sacramento poenitentiae, idque non tantum in casu extraordinario extremi morbi, sed in casibus ordinariis et quotidianis vitae christianae. Verum quidem est in his casibus agi de iurisdictione in foro interno; sed iurisdictio in foro interno specificè non differt a iurisdictione in foro externo: inde merito concluditur intimam iurisdictio-

nis naturam nequaquam postulare essentialiter ut eius subiectum sit aliquis qui sit actuale membrum Ecclesiae. Oportet demum prae oculis habere sententiam theologorum iam communem et certam, secundum quam omnis in Ecclesia iurisdictio sive in interno sive in externo foro e plenitudine pontificia in singulos episcopos derivatur. Quo posito, merito censetur Romanum Pontificem nolle tollere semel datam iurisditionem episcopo, qui occulte, et nesciente ipso Papa, factus est haereticus.

II. Quaestio de *schismaticis* publicis et materialibus brevius expediri potest. Sententia communior et verior admittit quidem hos schismaticos dici posse membra Ecclesiae *secundum quid*, negat tamen eosdem posse nuncupari membra Ecclesiae *simpliciter*. Ratio in promptu est. Nequit dici membrum Ecclesiae simpliciter qui caret aliqua conditione essentiali ad dignitatem membri simpliciter: conditio porro essentialis ad hanc dignitatem, ut superius ostendimus, est organica communio cum tota ecclesiastica compagine. Merito aiebat Pius XI in Encyclica « Mortalium animos »: « Cum corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit, compactum et connexum, corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse: *quisquis ergo cum eo non copulatur, nec eius membrum est, nec cum capite Christo cahaeret* ». Concedunt omnes schismaticum publicum *formalem* non esse actuale Ecclesiae membrum: quo posito, concluditur idem esse dicendum de schismatico materiali; eadem quippe ratio militat pro utroque casu: defectus nempe communionis cum corpore ecclesiastico, et cum visibili eiusdem capite. Quod hoc tale vinculum abrumptur bona vel mala fide, hoc non afficit externam et socialem membri conditionem, sed privatam et internam conscientiae rationem. Haec est doctrina quae explicite proponi videtur in Encyclica *Mystici Corporis*, ubi nulla fit distinctio inter schismaticos bonae et malae fidei.

III. Quaestio de *excommunicatis* venit tertio loco examinanda. Agitur de excommunicatione maiori, cuius portatores solent dici *vitandi*. Opinio communior et verior pronuntiat eos a corpore mystico et ecclesiastico extorres: merito quidem.

Etenim Ecclesiae, utpote societati perfectae, competit potestas expellendi seu resecaudi putrida et infectiosa quaedam membra a reliqua et sana compagine. Ergo si tali potestate uti intendat, dum aliquem declarat excommunicatum vitandum, hic debet haberi ut vere et reapse separatus a corpore ecclesiastico. Atqui Ecclesia revera intendit uti tali potestate, ut sat clare erui videtur ex ipso tenore formulae adhibitae: « Talem solemniter ac nominatim excommunicamus, anathematizamus et ab Ecclesiae corpore segregatum ac prorsus ab omnibus vitandum esse statuimus, decernimus ac denunciamus ». Cf. Denzinger, n. 1441.

Habet haec sententia, quam defendimus, solidum fundamentum in ipso textu evangelico Mt. 18, 17. Unde constat fuisse a Christo suae Ecclesiae concessam talem puniendi potestatem, qua puniti debeant censi sicut ethnicus et publicanus. Atqui haec est praecise potestas excommunicandi. Ergo hujus effectus est constituere eum sicut ethnicum et publicanum, i. e. ei assignare respectu Ecclesiae illum locum, quem ethnici et publicani tenebant respectu synagogae iudaicae. Sed notum est ethnicos et publicanos non fuisse recensitos intra vera synagogae membra, sed extra eam constitutos.

Dices: Fieri potest ut sententia excommunicatoria sit errori innixa, et excommunicatus retineat veram fidem, imo et caritatem. Atqui talis excommunicatus potest et debet haberi ut verum et actuale membrum corporis mystici, quippe qui maneat perfecte coniunctus cum Christo capite. — Resp. a) Argumentum, si quid probaret, ostenderet iniuste excommunicatos adhuc manere intra septa ecclesiastica, sed nullatenus id probaret de iuste excommunicatis. b) Corpus Christi mysticum, ut toties diximus, est essentialiter ecclesiasticum, ideoque sociale, hierarchicum, visibile. Porro ad rationem et dignitatem membri in hoc tali corpore, non sufficit habere connexionem vitalem, utut intimam, cum Christo; sed requiritur praeterea habere organicam cohaesionem cum corpore sociali, eiusque visibili capite.

Novum argumentum pro hac sententia mutuari potest ex *Encyclica Mystici Corporis*. Ubi Papa excommunicatis dignitatem membri explicite denegat; sic enim decernit: « In Ecclesiae autem membris reapse ii soli adnumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt, veramque fidem profiten-

tur, neque a corporis compage semet ipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa *a legitima auctoritate seiuncti sunt* ». Vides in Encyclica excommunicatos et schismaticos perfecte aequiparari, et utrosque a censu membrorum in corpore mystico excludi. Ceterum per se patet excommunicatos etiam vitandos posse iure dici membra Ecclesiae secundum quid.

Scholion V. De nonnullis obiectionibus

In hoc quinto scholio colligemus et dissipabimus praecipuas obiectiones hac in re fieri solitas.

1. Teste Paulo Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Ephes. 5, 25-27. Atqui in tali Ecclesia nullus est peccatoribus locus. Ergo vera Christi Ecclesia constat solis sanctis: hinc conditiones a nobis assignatae non sufficiunt ad veram membri dignitatem in corpore mystico.

Resp. Dist. maior. Vera Ecclesia erit penitus sancta et immaculata in stadio triumpho, C.; in stadio militiae, subd.; spectato effectu et efficacia baptismi, C.; spectata libera et defectuosa cooperatione hominum, iterum dist.: in multis membris, C.; in omnibus N. Paulus loquitur de Ecclesia quam Christus dilexit, redemit, et lavacro aquae baptismalis purificavit. Porro si Ecclesia spectetur, qualis a Christo per lavacrum baptismale constituitur, est sancta et perfecte immaculata. At Paulus minime ignorabat hanc Christi Ecclesiam quotidie maculari opera peccatorum. Ecclesia constat (partim) peccatoribus, at non peccatis. Peccatores non ideo pertinent ad Ecclesiam quia sunt peccatores, sed quia, non obstante peccato, retinent characterem baptismalem, fidem, spem, aliquem ergo vitae gradum a Christo capite receptum, et manent sub hierarchia a Christo constituta. Ceterum positive constat Christum instituisse sacramentum paenitentiae pro peccatoribus qui sunt membra suae Ecclesiae.

2. *Instabis*: Sed nemo pertinet ad mysticum Christi corpus, si non pertinet aliquo modo ad animam ipsius, qui est

Spiritus Sanctus. Atqui peccatores carent Spiritu Sancto. Ergo nequeunt pertinere ad animam, ideoque nec ad corpus Ecclesiae.

Resp. Peccatores non habent Spiritum Sanctum inhabitantem per caritatem; ideo non sunt membra corporis mystici sana et perfecta; sed recipiunt multiplicem influxum vitalem ab Spiritu Sancto sub hierarchia visibili Ecclesiae: ideo sunt vera quidem membra, sed aegrotata et imperfecta. Ratio membri in corpore mystico, ut initio notavimus, potest esse plus minus perfecta, prout cohaesio cum corpore ecclesiastico et vitae supernaturalis participatio sit minus aut magis stricta et copiosa. Aspectus vitalis non est unicus in corpore mystico. Encyclica Mystici Corporis appellat episcopos membra *eminentiora*, etsi sub respectu vitali non necessario sint talia.,

3. At *baptismi necessitas* non videtur sufficienter constare, ut apparet in catechumenis: qui sunt subditi Ecclesiae, ideoque pertinent ad eam, cum Ecclesia nullam habeat potestatem iuridicam et iudicalem in eos qui foris sunt (I Cor. 5, 12). — Responsio ad difficultatem non est difficilis. Catechumeni sunt subditi Ecclesiae, quia *sponte et voluntarie* acceptant conditiones quas Ecclesia baptizandis imponit; sed non quia vera in eos potestate iurisdictionis fruatur.

4. Ecclesia est societas fidelium; unde forma Ecclesiae est fides. Atqui catechumeni habent fidem. Sunt ergo vera Ecclesiae membra. — Responsio ex praecedentibus patet. Oportet distinguere inter varios *Ecclesiae* sensus. Ecclesia late dicta est societas fidelium. Ecclesia stricte dicta est Ecclesia Novi Testamenti a Christo super Petrum fundata. Eius membra non sunt omnes fideles, sed aliqui fideles: illi nempe quorum una est fides, unum baptisma, unus Dominus, unum corpus hierarchicum connexum et compactum. Haec est Ecclesia quae est corpus Christi mysticum, ut multis superius demonstravimus. Ceterum per se patet catechumenos, si caritate sint ornati atque ditati, *voto* pertinere ad hanc Christi Ecclesiam.

5. Sed catechumeni dicuntur a SS. Patribus iam esse *concepti in utero Ecclesiae*. Ergo reapse sunt intra Ecclesiam. — In interpretandis his locutionibus metaphoricis Patrum oportet

tet sapere ad sobrietatem ... Oportet dein videre num hae locutiones sint unius alteriusve Patris, an sic loquantur Patres consentientes omnes; num loquantur de re quam revelatam profiteantur a catholicis tenendam ... Catechumeni possunt dici aliquo lato sensu concepti in utero Ecclesiae; ad significandum nempe aliquem influxum quem ab Ecclesia receperunt; sed catechumeni ante receptum baptismum nondum acceperunt illum influxum qui requiritur ad perfectam conceptionem.

6. Innocentius II asserit: « Presbyterum quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctae matris Ecclesiae fide, et Christi nominis perseveravit, ab originali peccato solutum, et caelestis patriae gaudium esse assecutum ». Cf. Denzinger, n. 388. Atqui nemo salvatur extra Ecclesiam. Ergo iterum concluditur baptismum non requiri ut quis Ecclesiae membrum constituatur. — Responso omni caret difficultate. Nemo potest (in Novo Testamento) salvari extra Ecclesiam *re vel voto* occupatam; sed ad salutem aeternam obtinendam non requiritur ut quis *re* pertineat ad Ecclesiam.

7. Sed si baptismus requiratur *re* susceptus ad obtinendam actualem membrum dignitatem in corpore ecclesiastico, nonne *visibilitas* Ecclesiae in discrimen vocatur? — Haec fuit difficultas quae nonnullos graves Doctores olim in eam sententiam adduxit, sufficere baptismum *apparenter validum* ad obtinendam dignitatem membri realis in Ecclesia. Sed vani sunt atque infundati isti timores. Suo loco exposuimus qualiter Ecclesiae visibilitas salva maneat, etiamsi baptismus requiratur realiter validus. Cfr. V. I, thesim 6am.

8. Paulus docet (II Tim. 2, 20) quod in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. Ergo haeretici publici pertinent ad Ecclesiam Christi; unde sequeretur vinculum symbolicum seu fidei non requiri ad rationem membri in Ecclesia. — Respondetur negando consequens. Paulus non dicit vasa lignea et fictilia significare *haereticos*; multoque minus asserit per haec vasa significari haereticos *publicos*: potius videntur significari christiani mali et ad apostasiam proni. De haereticis publicis, quales fuerunt Hymenaeus

et Phyletus loquitur in v. 17, ubi dicitur eos a veritate excidisse dicentes resurrectionem iam esse factam. Ceterum, dato, et non concesso, quod hic agatur de haereticis, Paulus dicit esse in Ecclesia, sed non dicit eos Ecclesiae *instar membrorum* esse conserta.

9. Sed ipse Paulus in I Cor. 15, 12 scribit: « Si autem Christus praedicatur quod surrexit a mortuis, quomodo quidam *in vobis* dicunt, quod resurrectio mortuorum non est? » Unde oritur difficultas: resurrectio mortuorum est dogma fidei. Atqui Paulus supponit negantes hoc dogma adhuc esse intra Ecclesiam Corinthiacam. Ergo haeretici publici ad Ecclesiam pertinere dicendi sunt. — Paulus hic reprehendit quidem insipientiam eorum, qui admissa resurrectione Christi, negant resurrectionem mortuorum, sed non asserit ad Ecclesiam vera ipsius membra pertinere eos qui *pertinaciter* negant resurrectionem, postquam sciunt hanc veritatem esse revelatam et ab Ecclesiae magisterio peremptorie definitam, vel in catholicae fidei symbolum insertam.

10. Ecclesia habet iurisdictionem in haeticos publicos, schismaticos et excommunicatos etiam vitandos. Atqui Ecclesia nequit habere veram iurisdictionem nisi in sua membra. Ergo haeretici publici ... potius sunt computandi inter vera Ecclesiae membra. — Minor huius argumenti est omnino falsa. Alia est ratio *membri*; alia *subditi*. Ad rationem membri requiruntur plures conditiones, quas ratio subditi non requirit. Ecclesia certe caret iurisdictione in eos qui nondum in eius caulam per ianuam baptismi sunt ingressi; sed retinet iurisdictionem veram in eos omnes, qui ratione characteris sunt eidem inserti, etiamsi hi deinceps a corpore Ecclesiae sint separati sive voluntate propria, ut schismatici, sive excommunicatione a legitima auctoritate imposita.

11. Praedestinatio videtur requiri, imo sufficere ad rationem membri in Ecclesia. Etenim Christus apud Ioannem (10, 27) ait: « Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea ». Unde classica obiectio Calvinistica: Oves Christi sunt

membra Ecclesiae. Atqui oves Christi non peribunt in aeternum. Ergo vera Ecclesiae membra non peribunt in aeternum. Sed hi qui numquam peribunt, sunt praedestinati. Ergo vera promissionum Ecclesia constat omnibus et solis praedestinitis. Praedestinatio ergo debet censi ut necessaria et sufficiens conditio ad nanciscendam dignitatem membri in corpore mystico et ecclesiastico. — Difficultas speciosa quidem est; omni tamen efficacia caret. Maior distinctione dissolvitur: Oves Christi sunt membra Ecclesiae sive actu sive potentia, C.; actu, subd.: si per baptismum sunt iam ingressae in ovile Christi, C.; secus, N. Ipse Christus asserit se habere oves quae nondum sunt de ovili ecclesiastico. Ovile Christi Pastoris est corpus Christi capitis. Porro sicut corpus Christi constituitur iudaeis et gentilibus sanguine Christi reconciliatis, et virtute baptismatis in unum corpus adunatis, sic etiam ovile Christi constat ex ovibus iudaeis et gentilibus sub uno Pastore Christo constitutis, et visibili eius in terris vicario pascendis. — Minor quoque indiget apta distinctione: oves Christi non peribunt in aeternum, si perseverant in ovili Christi, eiusque gratis cooperantur: secus in aeternum peribunt. Christus loquitur de ovibus, quae vocem Pastoris audiunt, eumque sequuntur usque ad finem vitae. Quas oves nec daemon, nec creatura ulla poterit disperdere, si ipsae prius voluntarie non deserant Christum, quippe cuius potentia eadem sit cum potentia Patris; hinc maior omni potentia creata et hostili: hinc Christus: ego et Pater unum sumus.

Nota bene: Praedestinationem non sufficere ad rationem membri in Ecclesia clare docet Christus asserens: « Et alias oves habeo, quae non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere ... et fiet unum ovile et unus Pastor » (Io. 10, 16). Inter oves illas adducendas multae absque dubio erant praedestinatae: cogita Paulum, Cornelium, tot alios sanctos martyres, confessores et virgines ... Atqui tamen dicuntur ab ipso Christo nondum esse de suo ovili, sed ad illud *adducendae*. Ergo praedestinatio evidenter non sufficit, nec potest esse ratio formalis constituens membrum Ecclesiae. — Praedestinationem *non requiri* ad rationem membri luculenter demonstrant parabolae sagenae, convivii, virginum ... quibus omnibus docemur futuros esse in Regno Dei, quod est Ecclesia Christi, pisces ex sagena foras mittendos, convivas veste nuptiali ca-

rentes, hinc eiiciendos; virgines fatuas, quae foris relinquentur. Vides hos omnes non esse praedestinos, qui tamen erant in Regno Christi ecclesiastico. Ergo praedestinatio evidenter non requiritur, ut quis sit verum et actuale Ecclesiae membrum.

Auctoritas demum ecclesiastica damnavit sequentes propositiones: « Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae, et quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter ». Denzinger, n. 647. — « Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas ». Denzinger, n. 627. — « Praesciti (reprobi seu non praedestinati) non sunt partes Ecclesiae, cum nulla eius pars finaliter excidet ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidet ». Denzinger, n. 629.

CAPUT SECUNDUM

DE CHRISTI CLARIFICATIONE EIUSQUE MOMENTO SOTERIOLOGICO

Inter quaestiones agitari solitas in explicando arcano corporis Christi mysterio facile eminent quaestio de Christo capite corporis ecclesiastici; quae ideo accuratissime est pertractanda.

Christum esse caput corporis mystici et ecclesiastici docet Paulus multifariam multisque modis. In epistula ad Ephesios recurrunt primae et solennes attestations. Primo quidem in capite 1, 22-23: « Omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius, et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur ». Dein in capite 4, 15-16: « Veritatem facientes in caritate crescimus in eum per omnia, qui est caput, Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate ». — Tertio demum in capite 5, 24: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae; ipse salvator cor-

poris eius ». — Similes assertiones reperiuntur in epistula ad Colossenses, capite primo et secundo, de quibus subito sermo recurret.

Dignitas ergo capitalis in corpore mystico est manifesta. At Paulus ad Rom. 4,25 docet quod Christus traditus est propter peccata nostra, et *resurrexit propter nostram iustificationem* ». Ex quo loco manifeste apparet adesse intimam connexionem inter Christi anastasim et nostram iustificationem. *Causa porro principalis* nostrae iustificationis est Spiritus Sanctus: unde surgit quaestio de habitudine Christi clarificati ad Christum datorem Spiritus in corpore mystico. *Causa instrumentalis coniuncta* nostrae iustificationis est humanitas Christi in gremio virgineo concepta, in calvaria cruentata, in resurrectione clarificata, in Ascensione traiecta in sanctuarium caeleste, et ad dignitatem capitalem elevata: unde oritur quaestio de habitudine Christi clarificati et inthronizati ad Christum caput corporis mystici. *Causa instrumentalis separata* nostrae iustificationis est Ecclesia, quae est corpus Christi, cum suo sacerdotio, suo magisterio, suo imperio, cum suis sacramentis: unde oriuntur novae et momentosae quaestiones de habitudine Christi clarificati ad Christum auctorem et plasmatorem corporis ecclesiastici, et ad dynamismum sacramentalem. Notum porro est Christum consumasse opus redemptionis per *viam sacrificii*: in hoc autem sacrificio ipse Christus fuit et victima et sacerdos: unde quaestio momento theologico et gravitate plena: de habitudine Christi clarificati ad Christum victimam et hostiam nostrae salutis — similiter de habitudine Christi glorificati ad Christum sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Ex his omnibus aperte consequitur Christi capitalitatem vix posse definiri, nec *naturam influxus capitalis* in corpore mystico recte determinari, nisi prius examinetur et solvatur quaestio praevia et biblica de Christi clarificatione, eiusque momento soteriologico. — Accedit quod theologo nostri, potissimum auctores manualium soleant negligere ac praetermittere hanc gravissimam quaestionem. Hisce de causis operae pretium duximus quaestioni de Christo capite praemittere hoc primum caput prodromum de Christi clarificatione, eiusque momento soteriologico.

Christi clarificatio non consistit in sola resurrectione, sed tria ad eam concurrunt: *Resurrectio* in qua cruentata in cruce victima clarificatur gloria divinitatis, et in ratione aeterni theotiti constituitur. — *Ascensio* per quam caro Christi clarificata inducitur in sanctuarium divinitatis ut appareat vultui Dei pro nobis. — *Sessio a dextris Dei*, qua Christus inthronizatur in coelis, ubi oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Christus subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut *sit Deus omnia in omnibus* (I Cor. 15, 25 sq.). Resurrectio primas partes habet in clarificatione Christi; potest autem considerari sub duplici stadio: in fieri — in facto esse. Resurrectio in fieri consistit in ipsa actione qua eadem anima glorificata reunitur cum eodem numerice corpore ut illud vivificet, clarificet, reddatque pneumaticum seu spirituale. Resurrectio in facto esse importat terminum huius actionis, i. e. Christum glorificatum, qui primum manet in terris per dies quadraginta loquens cum discipulis de Regno Dei, dein penetrat sanctuarium caeleste, sedetque ad dextris Dei semper vivens ad interpellandum pro nobis. Resurrectionem in nostra quaestione intelligimus tum in fieri, tum vel maxime in facto esse, i. e. Christum glorificatum vitae divinae fontem.

Momentum soteriologicum clarificationis Christi venit iam declarandum. Duplex momentum est distinguendum in Resurrectione Christi: apologeticum nempe et soteriologicum. Primum est valor ipsius ad demonstrandam credibilitatem testimonii Christi. Triplex fuit obiectum testimonii quod Christus iam inde ab initio vitae suae publicae de se ipso tulit: divina nempe legatio, messianitas, divinitas. Ad probandam credibilitatem huius testimonii Christus protulit in medium ingentem ac multiformem signorum catervam, inter quae principem locum tenent criteria externa, miracula inquam et vaticinia. Haec omnia signa, sive seorsim singula, sive collective universa constituunt splendidam demonstrationem apologeticam veritatis testimonii Christi. Nihilominus voluit Christus sufficientissimae huic demonstrationi cumulum addere, et quasi sigillationem authenticam apponere miraculum resurrectionis. « Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non

dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus » Lc. 12, 33. Hinc Paulus non veretur scribere: « Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra ». I Cor. 15, 14. En primum et apologeticum momentum resurrectionis, quod in apologetica celebrari et exaltari merito consuevit.

Momentum soteriologicum resurrectionis stat in valore ipsius ad causandam animae nostrae sanctificationem et salvationem, necnon ipsius corporis glorificationem. Agnoscendam esse in resurrectione nostrae iustificationis causalitatem saltem *mediatam*, evidens est ex dictis. Fides quippe est nostrae iustificationis radix et fundamentum. Atqui resurrectio praestat fidei splendidum credibilitatis motivum. Mediatum ergo resurrectionis influxus in nostram iustificationem negari nequit. Hunc ergo mediatum influxum praesupponentes, novum atque immediatum influxum efficientem in resurrectione agnoscimus, cuius auctorem Christum glorificatum esse contendimus. Huius causalitatis existentia cum nonnisi ex revelatione divina constare nobis possit, argumenta quaerenda erunt in verbo Dei sive scripto, sive tradito. Scripturae testimonium uberrimum est ac multiforme.

Primum ac fundamentalem textum nobis dabit Paulus Rom. 4, 25. « Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram »: παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν καὶ ἠγέρθη διὰ δικαίωσιν ἡμῶν.

Paulum hic statuere intimam quandam connexionem inter resurrectionem et nostram iustificationem evidens est; nec potest negari primum animi motum (la primera impresión) hoc textu suscitatum favere praefatae doctrinae de immediato influxu efficientis resurrectionis. Auctores tamen multifariam resistunt.

Positio Doctorum prae hoc textu Paulino varia est:

Prima interpretatio est *Ambrosiastri* distinguentis valorem baptismi ante et post resurrectionem. Baptismus ante passionem Christi solam causabat *remissionem* peccatorum; post resurrectionem vero causabat etiam *iustificationem*.

« Ante passionem qui baptizati sunt, solam remissionem peccatorum acceperunt ... post resurrectionem vero tam ii qui prius, quam hi qui postea baptizati sunt, omnes iustificati sunt per datam formam fidei Trinitatis, acceptoque Spiritu Sancto qui signum est credentium quod sint filii Dei » ML. 17, 88.

Secunda interpretatio proponitur a Doctore (protestantico) *Godet*, invertente ordinem causalitatis. Christi resurrectio, nedum sit causa nostrae iustificationis, est potius ipsius effectus. « Comme nos péchés ont moralement abouti à la mort du Christ, ainsi notre iustification a moralement abouti à sa resurrection. Notre condamnation l'avait tué; notre iustification l'a resuscité ». Huic interpretationi non parum accedere videtur catholicus *Tobac* scribens: « Ce n'est seulement en vue de notre iustification mais à cause de notre iustification que le Christ est resuscité. Par sa mort expiatrice en effet, il a obtenu auprès de Dieu notre iustification, cette premier partie de sa mission étant remplie, Dieu l'a fait triompher de la mort ». « Le problème de la iustification », p. 157.

Tertia interpretatio habet auctorem notum exegetam *Estium*, qui concedit resurrectioni valorem causae exemplaris, non vero efficientis. Opinio vera, sed incompleta, ut videbimus.

Quarta interpretatio est *Caietani*. Apud quem nostra redemptio completa quidem fuit in cruce, sed homines non participant fructus redemptionis nisi mediante fide. Atqui fidei argumentum seu motivum credibilitatis est resurrectio Christi. Opinio çursus vera, at incompleta, de qua ait *Toletus*: Christus fecit omnia miracula ut essent motiva credibilitatis, non solum resurrectionis miraculum, nihilominus non dicuntur facta propter iustificationem.

Quinta interpretatio est ipsius *Toleti*: Redemptio fuit quidem consummata in cruce. At Deus decrevit de facto non mittere Spiritum Sanctum, nec mittere apostolos ad praedicandum et ad applicanda media salutis nisi post Christi resurrectionem. Notes magnum progressum exegeticum a *Toleto* in nostra re peractum. *Toletus* vidit clare intimam connexio-

nem inter Christi glorificationem et missionem Spiritus Sancti, qui causa est principalis nostrae iustificationis. Hanc interpretationem inter recentiores acceptavit P. *Cornely*.

Sextam interpretationem proposuit *Cornelius a Lapide*, apud quem novi progressus apparent. Doctrina Cornelii a Lapide potest ad haec puncta revocari: 1° Particula *propter* significat causam quasi meritoriam. Resurrectio et passio censentur unum (moraliter) opus redemptionis, una actio moralis completa, qua simul et semel Christus meruit tum remissionem peccatorum, tum iustificationem nostram. — 2° Christus sua resurrectione factus est plenus redemptor et iustificator. — 3° Christus, si non resurrexisset, non vicisset peccatum. — 4° Christus post resurrectionem misit Spiritum Sanctum et apostolos, qui fidem praedicando et administrando sacramenta sanctificarent fideles. — 5° Particula *propter* significat etiam causalitatem finalem.

Septima interpretatio reperitur penes *Vosté O. P.*, qui novum elementum solutionis suppeditat: relationem internam inter resurrectionem Christi et *sacrificium* nostrae redemptionis. Ad verum sacrificium requiritur non solum *immolatio* et *oblatio*, sed etiam *acceptatio* victimae immolatae ex parte Dei. Atqui resurrectio Christi supponit et probat peccatum esse devictum, quia Deus resuscitando Christum ostendit palam et quasi sigillat *acceptationem sacrificii crucis*.

Positio et interpretatio *P. Bover* meretur singularem attentionem. Bover admittit ut indubium valorem causalem immediatum resurrectionis in doctrina Paulina; negat tamen hunc valorem contineri et exprimi in nostro textu (Rom. 4, 25). Ex toto contextu cum antecedenti tum consequenti, apparet hic resurrectionem causare nostram iustificationem *mediante fide*, cui resurrectio praestat non tantum motivum credibilitatis ad mentem Caietani, nec tantum conditionem praeiviam ad mentem Toleti, sed verum obiectum sine quo fides non posset esse sanctificans. Fides iustificans debet necessario terminari in Christum resuscitatum seu glorificatum (Rom. 10, 9-10). Influxus ergo resurrectionis in nostram iustificationem, qualis hic a Paulo exhibetur est *mediatus* et *obiectivus*: me-

diatus, quia resurrectio causat iustificationem mediante fide; obiectivus, quia resurrectio praestat fidei iustificanti obiectum necessarium. Ceterum Bover distinguit inter explicationem *pure exegeticam* huius textus, et ipsius explicationem *theologicam* eiusdem. Prior non continet influxum causalem efficientem immediatum; altera continet vel potest continere praefatum influxum; aliis verbis: semel probato hoc influxu causali ex aliis textibus paulinis, potest asseri illum contineri in nostro quoque textu. « Ni puede negarse que una vez establecida esta doctrina independientemente del texto discutido, parece estar contenida en él, y halla en él, por lo menos una expresión acomodada ». Quin imo, Bover admittit in hoc ipso textu *suggeri* momentum soteriologicum resurrectionis Christi. « Deslindar cuidadosamente lo que el texto dice, y lo que sugiere, es el objeto principal de este estudio ». Vides positionem P. Bover vix demum differre a nostra, quam mox exponemus. Hodierni theologi *biblici* passim admittunt momentum soteriologicum clarificationis Christi a Paulo nostro loco attestatum. Horum positio nobis longe verior esse videtur; ad cuius confirmationem proponemus primo argumentum huic textui innixum, quod deinceps aliis textibus aliisque argumentis illustrare et corroborare satagemus. Antequam ipsam argumentationem ingredimur, pauca praeotare iuvabit.

1° Notetur primo discrimen inter textum latinum et graecum. Ubi latinus dicit « resurrexit », graecus habet ἠ-γέσθη forma passiva. Sensus ergo est: Christus fuit traditus propter delicta nostra et *resuscitatus* propter iustificationem nostram.

2° In primo membro Christus dicitur *traditus*, sed explicite non determinatur origo et terminus huius traditionis. At origo evidenter est reponenda in Patre; ab illo quippe fuit traditus a quo fuit suscitatus. Atqui Christus fuit suscitatus per gloriam Patris (Rom. 6, 4; 8, 11). Terminum traditionis fuisse passionem et mortem dubitari nequit; agitur enim de traditione *propter peccata* (expianda).

3° Particula graeca διὰ (propter) cum accusativo in graecitate biblica potest habere sensum causalem sive finalem, sive efficientem. Causalitas finalis recurrit in contextu proxime antecedenti i. e. in v. 23: Non est autem scriptum

tantum *propter* (διὰ) ipsum, sed et *propter* (διὰ) nos. Similiter in Rom. 11, 28 etc. Causalitas efficiens apparet in Rom. 8, 10: Io. 6, 57 etc. Oppositio inter causalitatem finalem et efficientem apparet in Hebr. 2, 10: « Decebat eum *propter* quem (δι' ὧν) omnia, et *per* quem (δι' ὅν) omnia ... ».

4° Particula διὰ in primo membro includit causalitatem finalem et efficientem moralem. Sensus enim huius primi membri est: Bonum quod intendit Pater in tradendo Christo ad mortem, fuit peccatorum expiatio; at haec expiatio et remissio peccatorum erat effectus obtinendus per causalitatem meritoriam et satisfactoriam mortis Christi. Sensus ergo est: Pater tradidit Christum in mortem, ut hic per mortem suam causaret remissionem peccatorum. Particulam διὰ in secundo membro significare causalitatem *finalem* clarum videtur; etenim bonum quod Pater intendebat in suscitando a mortuis Christum erat evidenter nostra iustificatio: num praeter causalitatem finalem sit admittenda in hoc loco causalitas quoque *efficiens*, controversatur; de hoc porro agemus in nostro argumento.

5° Particula διὰ in utroque membro nequit habere sensum *exclusivum*, ita ut mors dicatur causare tantum remissionem peccatorum, non vero iustificationem. Siquidem Christus moriendo meruit tum remissionem peccatorum, tum iustificationem animae; sed spectata causalitate *exemplari*, remissio peccati potius tribuitur morti Christi. Idem prorsus dicatur de resurrectione quae simul causat utrumque: et remissionem peccati et vivificationem animae. Hisce praestitutis.

Sit iam argumentum: Una eademque particula διὰ, propter, exhibetur a Paulo connexio mortis Christi cum remissione peccatorum, et resurrectionis cum nostra iustificatione. Atqui particula propter, διὰ, in primo membro significat causalitatem tum finalem tum efficientem. Ergo etiam in secundo, nisi quid obstet vel ex rei natura, vel ex contextu sive proximo sive remoto. Atqui nihil reapse obstat neque ex parte rei naturae ... Ergo admittenda est causalitas tum finalis tum efficiens resurrectionis Christi respectu nostrae iustificationis hoc loco a Paulo asserta. Particulam διὰ significare in primo membro causalitatem tum finalem tum efficientem sat clarum videtur, ut superius insinuavimus. Sensus quippe formulae seu primi asserti hic est: Deus tradidit Christum in mortem *ut* morien-

do remissionem peccatorum *causaret*. Minor subsumpta manet probanda. Nihil obstare: *a)* ex rei natura facile probatur: rei quippe natura excludit quidem influxum *meritorium* a Christo resuscitato exercendum; at non excludit alias causalitatis formas sive morales (impetratoriam, sacrificalem ...), sive physicam instrumentalem exercendam a Christo clarificato facto in spiritum vivificantem. *b)* Nihil obstare ex contextu *remoto* luculenter apparebit ex textibus Paulinis mox afferendis. *c)* Num aliquid obstet ex contextu *proximo* restat inquirendum. Bover movet duas difficultates ex contextu proximo desumptas: primò ex contextu proximo subsequenti, dein ex contextu proximo antecedenti. Disquiramus paulisper quid hae difficultates valeant.

In contextu proxime subsequenti (5, 1) Paulus assertit: « Justificati ergo *ex fide*, pacem habeamus ad Deum ... ». Unde concludit Bover: Hic Paulus evidenter agit de iustificatione ex fide, per fidem. Ergo influxus efficiens resurrectionis in nostram iustificationem nequit esse immediatus, sed mediatus, i. e. mediante fide. At hoc argumentum non multum premit; siquidem iustificatio ex fide in theologia Paulina non necessario excludit, sed potius includit influxum causalem immediatum a Christo exercitum. Quid ferat formula Paulina « iustificari ex fide » perspicue apparet ex epistula ad Gal. 3, 23-26: « Itaque lex paedagogus noster fuit in Christum ut *ex fide iustificemur* Omnes enim filii Dei estis *per fidem*, quae est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis ». En duas formulas: « iustificari ex fide » — « esse filium Dei per fidem ». At haec iustificatio ex fide, nedum excludat, includit opus operatum baptismi. Atqui baptismi sive existentia sive dynamismus sanctificatorius est effectus causalitatis exercitae a Christo glorificato, ut mox ostendemus. Rursus, iustificatio ex fide, sicut non excludit opus operatum sacramentale, sic non excludit, sed potius includit opus operantis, ut Paulus ipse aperte testatur: « In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae *per caritatem* operatur ». Gal. 5, 6. Difficultas ergo mota ex contextu consequente nulla est. Quin imo contextus subsequens nostrae interpretationi vehementer favet, ut apparet ex v. 10 huius capituli quinti: « Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo *per mortem* filii eius, multo magis re-

concordati, salvi erimus *in vita ipsius* ». Ubi reconciliatio tribuitur morti Christi, salus vero vitae et resurrectioni ipsius. Nec illud praetermittendum, quod fidei concursus non minus requiritur in primo membro v. 24, ubi agitur de remissione peccatorum; nihilominus admittitur concursus causalis moralis a Christo moriente exercitus. Eodem ergo modo fidei concursus in secundo membro obstare nequit concursui causalis a Christo glorificato exercendo in nostram iustificationem.

Contextus antecedens huius capituli quarti examinandus iam venit. En summam doctrinalem quae in hoc capite continetur: Paulus primo docet Abraham fuisse iustificatum non ex operibus Legis, sed ex fide — Paulus docet secundo Abraham fuisse iustificatum ex fide ante circumcisionem. — Paulus docet tertio obiectum huius fidei iustificantis fuisse Deum potentem vivificare mortuos — Paulus quarto docet hanc fidem Abrahami fuisse magnificam et heroicam: « Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum mortuum, cum iam fere centum esset annorum; et mortuam vulvam Sarrae: in reprehensione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens quia quaecumque promisit, potens est et facere ». — Paulus quinto docet affirmationem biblicam de fide iustificante factam fuisse non tantum propter Abraham, sed etiam propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum a mortuis. *Inde concludit Bover*: Teste Paulo nos iustificamur sicut Abraham. Atqui Abraham fuit iustificatus ex fide. Ergo etiam nos. Sed iustificatio ex fide non est effectus immediatus resurrectionis Christi, sed mediatum et obiectivum. Ergo momentum soteriologicum resurrectionis Christi ex hoc textu probari nequit.

Resp. 1° Paulus non dicit nos iustificari eodem modo ac fuit iustificatus Abraham. Paulus dicit effatum biblicum de fide imputata ad iustitiam esse scriptum non tantum propter Abraham, sed etiam propter nos. Num fides iustificans requirat easdem, an diversas condiciones in Antiquo et in Novo Testamento hic a Paulo non docetur.

2° Paulus asserit quidem Abraham fuisse iustificatum ex fide; at non dicit eum fuisse iustificatum ex sola fide sine operibus. Iacobus clare docet Abraham fuisse iustificatum ex

fide cum operibus: « Vis autem scire o homo inan̄is, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est ». 2, 20-22. Eadem porro est doctrina Pauli. « Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur ». Rom. 2, 13.

3° Paulus docet fidem iustificantem esse fidem, cuius obiectum est resurrectio Christi per potentiam Patris. Qualiter haec talis fides iustificet, explicat ipse Paulus in epistula ad Colossenses 2, 12: « Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexitis per fidem operationis Dei, qui suscitavit eum a mortuis ». Ubi apparet hanc talem fidem requirere concursum causalem baptismi. Hic porro concursus evidenter non requirebatur in Antiquo Testamento, cum nondum fuisset institutus baptismus, qui ex morte et resurrectione Christi vim iustificativam trahere posset. Paulus ergo in Rom. 4, 24 non potuit asserere nos iustificari *eodem prorsus modo* ac Abraham.

4° Distinctio inter meram exegesim biblicam et explanationem theologicam, qualis proponitur a P. Bover, videtur innixa falso praesupposito exegetico de sensu alicuius textus determinando ex *solo* contextu proximo. Quare non possit invocari concursus contextus etiam remoti ad determinandum sensum plenum alicuius textus biblici?

5° Sententia P. Bover non videtur esse immunis a contradictione. Etenim ex una parte asseritur Paulum in hoc textu Rom. 4, 25 docere *solam* causalitatem mediatam et obiectivam resurrectionis in nostra iustificatione: ex alia vero parte conceditur hunc textum examinatum ad lumen aliorum textuum Paulinorum posse continere etiam causalitatem efficientem resurrectionis. At quomodo hic textus potest continere sensum quem Paulus *non docuit*? Forse Bover vult hoc tantum dicere: hunc textum non continere *explicitam* assertionem sensus causalis; quo in casu sententia praeclari Auctoris vix differt a nostra. Reliquum est ut doctrinam Paulinam de momento soteriologico resurrectionis hoc primo et fundamentaliter contentam aliis textibus aliisque argumentis illustremus et confirmemus.

Alterum argumentum peti potest ex epistula ad Ephes. 1, 15 sq. Ubi Paulus iure miratur ac stupet quam « sit supereminens magnitudo virtutis eius (Patris) *in nos*, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo, *suscitans illum a mortuis*, et constituens ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum et potestatem ... Et omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur ... et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati, et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus ». Vides Paulum totum esse in exaltanda operatione a Deo exercita quem suscitavit eum a mortuis.

Terminus huius operationis est duplex: unus primarius, Christus quem Deus constituit redivivum, inthronizatum, omni creationi praepositum seu Dominum, Ecclesiae caput. Terminus secundarius huius operationis sumus nos christiani, quos Deus constituit conresuscitados, convivificatos, consedentes a dextris Dei.

Resurrectio hic exhibetur sub duplici respectu: activo et passivo seu terminativo: in utraque forma apparet valor soteriologicus resurrectionis Christi; primo quidem in forma activa. Deus unica et eadem operatione et Christum suscitavit, et nos convivificavit. Porro agitur de vivificatione in qua implicatur remissio peccatorum; agitur ergo de vera iustificatione animae. Resurrectio ergo active spectata habet vim iustificativam. Eadem vis apparet in resurrectione passiva spectata, i. e. in termino huius operationis, qui est Christus redivivus et glorificatus. Nostra quippe cum Christo convivificatio non ita fit, ut vita e nobis in Christum derivetur; sed ita ut vita e Christo glorificato in nos redundet. Christus ergo redivivus est fons seu principium nostrae vitae et iustificationis. Summatim: Deus suscitando Christum et nos iustificavit, et Christum constituit principium nostrae iustificationis. Id ipsum rursus apparet si notetur Christum redivivum fuisse constitutum *caput* corporis mystici, quod est Ecclesia. In notione capitis contineri notionem principii vitalis suo loco ostendemus. *Nota bene*: In hoc loco videtur agi de vivificatione in actu primo, quae dein per sacramenta realiter confertur, ut deinceps apparebit.

Argumentum tertium dabit Paulus in epistula ad Coloss. 3, 1-4:

Textus praecedat: « Igitur si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Patris Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria ».

Triplex resurrectio nostra hic recensetur a Paulo, ut notat P. Bover: prima iam praeterita et fundamentalis, quae est mystica et spiritualis = consurrexistis cum Christo. — Secunda praesens et moralis = quae sursum sunt quaerite, sapite — tertia futura et gloriosa = et vos apparebitis cum ipso in gloria.

Christus porro dicitur *vita nostra*; certe non sensu formali, nec tantum exemplari, sed vere causali et efficienti = Christus est auctor seu causa efficiens nostrae vitae. Iamvero hic talis Christus est Christus glorificatus quippe qui sedens a dextris Dei; Christus caelestis nunc nobis absconditus, qui deinceps apparebit.

Unde argumentum facile: Teste Paulo Christus est auctor seu causa nostrae vitae nostraeque iustificationis. Atqui hic Christus est Christus caelestis seu glorificatus. Ergo resurrectio in facto esse seu Christus clarificatus est causa efficiens nostrae iustificationis ac vivificationis.

Quartum argumentum suppeditat epistula ad Coloss. 2, 9 sq.

Textus sic habet: « In ipso (Christo) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: in quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo et surrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis et praepotio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta; delens quod adversus vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci ».

Quatuor puncta doctrinalia a Paulo tradita possunt, hic notari:

a) Nos sumus repleti in Christo capite, quatenus ei incorporati, de plenitudine eius participamus.

b) Nostra haec participatio ex plenitudine capitali fit duplici concurrenti elemento: fide nempe et baptismo. Fidei iustificantis obiectum exhibetur hic operatio Dei suscitantis Christum e mortuis; alia obiecta non negantur, sed praesupponuntur.

c) Effectus baptismi recensentur sequentes: veteris hominis expoliatio, mors, sepultura — Chirographi nobis contra rii deletio — omnium delictorum condonatio — spiritualis animae vivificatio — futura corporis resurrectio seu glorificatio. Baptismus ergo habet vim remissivam peccati, vim iustificativam animae, vim glorificativam animae et corporis.

d) Haec multiformis baptismi efficacia inde oritur, quod per eum inserimur Christo mortuo, sepulto et redivivo seu glorificato = consepulti ei in baptismo in quo et resurrexistis. Haec insertio vividius adhuc effertur in loco parallelo Rom. 6, 4 sq.: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim *complantati* (σύνφυτοι) facti sumus similitudine mortis eius, simul et resurrectionis erimus ».

Unde argumentum: Baptismus influit causaliter et efficienter in nostram iustificationem. Atqui haec virtus causalis oritur tum ex morte tum ex resurrectione Christi, ex nostra nempe insertione in Christum mortuum et resuscitatum. Ergo, sicut mors, sic etiam resurrectio Christi habet vim causandi nostram iustificationem. Aliis verbis: Baptismus est sacramentum novae Legis — sacramenta sunt *signa practica*, quippe quae causant quod significant — Baptismus porro significat nostram cum Christo mortem (veteris hominis) et resurrectionem seu novam vitam (ritus immersionis et emersionis). — Eam ergo causat. Inde facilis argumentandi forma: Inde habet baptismus vim causandi, unde habet vim significandi. Atqui vim significandi trahit tum e morte, tum e resurrectione Christi. Ergo inde quoque trahit vim causandi. Momentum ergo soteriologicum resurrectionis Christi non est minus clarum quam momentum mortis penes Paulum.

Quintum argumentum placet mutuare ex epistula I Cor. 15, 42-46:

Textus sic sonat: « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione (αφθαρσία): seminatur in ignobilitate, surget in gloria (δόξη): seminatur in infirmitate, surget in virtute (δυνάμει): seminatur corpus animale, surget corpus spirituale (πνευματικόν). Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem ».

Paulus distinguit duplex corpus: psychicum seu animale, et pneumaticum seu spirituale. Corpus animale est corpus animatum a psyche, et est corpus corruptibile, ignobile, infirmum, mortale. Corpus spirituale est corpus (cum sua psyche) animatum a principio vitali superiori seu a Pneumate, et est incorruptibile, splendidum, dynamicum, immortale.

Corpus psychicum seu animale trahimus ex primo Adamo, corpus spirituale seu pneumaticum trahimus ex secundo Adamo: etenim factus est primus Adam in animam viventem (in animal vivum); secundus Adam in spiritum vivificantem. Discrimen inter utrumque stat in hoc, quod corpus psychicum seu animale est quidem vivum, sed non vivificans alios; corpus vero pneumaticum est vivum et vivificans, potens alios vivificare.

Christus factus est in spiritum vivificantem in resurrectione et per resurrectionem. Etenim Christus factus in spiritum vivificantem, est Christus habens corpus pneumaticum. Atqui Christus habens corpus pneumaticum, est Christus resuscitatus. Profecto corpus pneumaticum est corpus immortale. Atqui Christus ante resurrectionem habuit corpus mortale. Ergo Christus factus est in spiritum vivificantem in resurrectione et per resurrectionem. « Christus resurgens ex mortuis, amplius non moritur, mors illi ultra non dominabitur » Rom. 6, 9.

Unde argumentum: Spiritus vivificans est vera causa efficiens nostrae iustificationis. Atqui Christus clarificatus est spiritus vivificans. Ergo Christus clarificatus est vera causa efficiens nostrae iustificationis. Unde datur intelligere quod apostolus scripserat in antecessum: « Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris ». Optima argumenti corroboratio peti potest ex v. 22: « Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur ». Porro in Adam omnes moriuntur duplici morte: corporis

et animae per peccatum originale. Ergo in Christo omnes vivificabuntur duplici vita: animae per iustitiam peccato oppositam, et corporis in resurrectione mortuorum. Porro Christus in quo omnes vivificabuntur, est Christus resuscitatus, ut expresse notatur in v. praecedenti: « nunc autem Christus surrexit a mortuis primitiae dormientium ».

Sextum argumentum ansam dabit ad considerandam relationem nostrae quaestionis cum sacerdotio Christi, de quo grandis sermo in epistula ad Hebraeos. Vis argumenti pendet ex bino textu apte inter se collato. Primus textus dabit maiorem, alter minorem syllogismi. Sit ergo argumentum: Christus consummatus (τελειωθείς) est causa nostrae salutis. Atqui Christus consummatus est Christus caelestis seu glorificatus. Ergo Christus glorificatus est causa nostrae salutis; hinc est evidens momentum soteriologicum resurrectionis Christi.

Ad maiorem: Christum consummatum esse causam nostrae salutis explicite asseritur in capite 5, 8-9: « Et quidem quum esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est, obediendam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, *causa salutis* aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech ».

Ad minorem: Christum consummatum esse Christum glorificatum seu caelestem clare ostendi potest ex contextu tum remoto tum proximo. Primum ex contextu remoto; qui recurrit in capite 2, 9-10: « Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis (διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου), gloria et honore coronatum; ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari (τελειῶσαι) ». Unde argumentum: Christus consummatur per passionem. Atqui Christus consummatus per passionem est Christus glorificatus. Ergo Christus consummatus est Christus clarificatus. Christum consummari per passionem explicite asseritur in v. 10: « Decebat auctorem salutis eorum *per passionem consummare* ». — Christum consummatum per passionem esse Christum clarificatum expresse asseritur in v. 9: « videmus Iesum propter passionem mortis *gloria et honore coronatum* ».

Explicatur: Vox πάθημα (passio) bis recurrit in hac pericope: primum in v. 9 = propter *passionem* mortis gloria et honore coronatum ». Dein in v. 10 = « per *passionem* consummare ». Passio seu πάθημα est via ad terminum. Hic terminus exprimitur voce δόξη seu gloria in v. 9; voce vero τελειῶσις seu consummatio in v. 10. Ergo τελειῶσις seu consummatio est δόξη seu glorificatio. Christus ergo per *passionem* consummatus est evidenter Christus glorificatus.

Vox quoque δόξη, gloria, bis recurrit in nostra pericope: primum in v. 9, et significat Christi gloriam per *passionem* obtentam: dein in v. 10, et significat gloriam (sequacium Christi) filiorum Dei non sine *passione* et morte lucrata; hinc patet sensus totius pericopes: Deus decrevit multos filios ad gloriam adducere per Christum, filium suum. Atqui hi filii Dei non perveniunt ad gloriam nisi per asperam viam *passionis* et mortem. Ergo decuit, et vehementer decuit Christum quoque, ducem et auctorem (ἀρχηγόν) salutis eorum per eandem viam *passionis* et mortis consummari seu ad gloriam pervenire. Unde rursus patet consummationem seu teleiosim Christi nihil aliud esse quam praecellentem ipsius glorificationem. Ad rem S. Thomas in h. l. « Ipsa enim consummatio est eius glorificatio ».

Ad eandem conclusionem devenitur ex consideratione contextus proximi in capite 5, 8: « Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est (ἔπαθεν), obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae ». Unde argumentum: Christi consummatio seu τελειῶσις est fructus *passionis* et oboedientiae; aliis verbis: Christus consummatur per *passionem* et oboedientiam. Atqui consummatio Christi per *passionem* et oboedientiam est insignis eius exaltatio et glorificatio, ut apparet ex epistula ad Philipp. 2, 8-9: « Humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit ipsum, et donavit illi nomen, quod est supra omne nomen ... ».

Septimum et breve argumentum facile potest construi ex eadem epistula ad Hebr. 7, 23-25: « Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet

sacerdotium. Unde et salvare in aeternum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis ». Duo hic explicitè asseruntur a Paulo: 1° Christum posse nos salvare *quia* habet sacerdotium sempiternum; 2° Christum habere sacerdotium sempiternum *quia* manet in aeternum. Atqui Christus manet in aeternum ratione resurrectionis. Profecto Christus in Incarnatione assumpsit carnem infirmam et mortalem, ideoque impotem ad manendum in aeternum; unde de Christo quoque suo modo dici potuisset quod morte prohibebatur permanere; contra in resurrectione assumpsit corpus dynamicum, incorruptibile, mori nescium: mors illi ultra non dominabitur. Resurrectione ergo Christus constituitur sacerdos in aeternum, ideoque potens nos salvare. Nec factum solum hic asseritur influxus soteriologici a Christo caelesti exerciti, sed eius quoque forma concreta determinatur: semper vivens ad *interpellandum* pro nobis.

Octavum et ultimum argumentum Paulinum dabit hoc ipsum caput septimum apte comparatum cum capite octavo et nono. Etenim, Paulus docet primo Christum caelestem et sacerdotem aeternum interpellare pro nobis (7, 25): Paulus docet secundo Christum in caelis apparere vultui Dei *pro nobis*: « Non enim in manufacta sancta Iesus introivit exemplaria verorum; sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis » (9, 24). Paulus tertio docet Christum inthronizatum exercere ministerium sacerdotale in sanctuario caelesti, et in hoc ministerio implicari quandam oblationem sacerdotalem. Sic expresse in capite 8, 1-3: « Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in caelis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur: unde necesse est et *hunc habere aliquid quod offerat* ». Atqui haec interpellatio, haec apparitio vultui Dei pro nobis, haec oblatio sacerdotalis et caelestis sunt sine dubio efficaces. Paulus expresse asserit ideo Christum posse nos salvare quia habet sacerdotium aeternum et exercet actus sacerdotales perennes. Iterum ergo constat Christum caelestem exercere influxum vere causalem in nostram iustificationem.

Textus Ioannaei mirifice collustrant doctrinam Paulinam de momento soteriologico clarificationis Christi. Oratio in pri-

mis sacerdotalis, qualis exhibetur in capite decimo septimo, aptissima in hunc scopum apparet. Solet haec Christi oratio appellari Oratio pro corpore mystico, quod est Ecclesia. Merito quidem: corpus enim mysticum et ecclesiasticum essentialiter constituitur Christo capite et membris Christo incorporatis. Fit autem haec incorporatio per hierarchicas subordinationis iuncturas, i. e. mediante sacerdotio, magisterio, imperio apostolorum et successorum. Hinc triplex ordinatissima pars in oratione Christi. Primo Christus petit pro se gratiam seu claritatem capitalem — Christus secundo petit pro collegio apostolico-episcopali gratias hierarchicas et charismaticas — Tertio Christus petit sua Ecclesia universa mirandam quandam unitatem, quae demum fructus erit claritatis vitalis, quae ex Patre descendit in Filium incarnatum, et ex Filio incarnato ac glorificato derivatur in sua membra ecclesiastica « Claritatem, quam mihi dedisti, ego dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus ». Ex his tribus petitionibus solummodo prima pertinet ad nostram quaestionem praesentem.

Orat ergo Christus pro se. Pater, venit hora ... Agitur evidenter de hora passionis et mortis, in qua Filius hominis dabit animam suam in redemptionem pro multis. Clarifica Filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Christus petit a Patre pro se δόξαν, claritatem; eam porro claritatem quae redundet in gloriam Patris. Qualis sit ista claritas, aperte enunciat in v. 5: « Et nunc clarifica me tu Pater apud te ipsum claritate, quam habui, prius quam mundus esset, apud te ». Claritas quam filius habuit apud Patrem prius quam mundus fieret, nequit esse alia, quam claritas filiationis divinae. Haec claritas filiationis erat quidem in Christo iam inde a primo Incarnationis momento, quum Verbum caro factum est; sed erat occulta et quasi obscurata propter formam servi quam acceperat, obscuranda magis ingruente iam saeva passionis tempestate, in qua ipsa quoque humanitas adeo obscuranda erat. Erat quoque quadantenus incompleta, non eo sensu quasi non inde ab initio Christus fuisset vere et plene Deus, sed eo potius, quod necdum claritas divinitatis plene invaserat omnes humanitatis commeatus, nec absorbuerat effectus peccati, infirmitatem, patibilitatem, mortalitatem. Die demum Resurrectionis ignis divinitatis e caelo descendet, et gloria divinae filiationis plene erumpet in lucem in ipso Christi corpore, quod

desinet demum esse pure psychicum, fietque pneumaticum, vivum et vivificans. Tunc demum obtinebit quod Paulus ad Corinthios scripsit: Factus est primus homo in animam viventem, secundus Adam in spiritum vivificantem.

Motivum petitionis clare effertur in v. 2: « Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam ». Motivum ergo seu scopus petitionis est humanitas universa vivificanda. Christus ergo iam iam moriturus alloquitur Patrem dicens: Peter sancte, tu mihi dedisti omnes homines vivificandos. Ego non possum homines vivificare, nisi tu prius corpus meum clarifices gloria resurrectionis; clarifica ergo meam carnem quam nunc trado immolandam. Vides mortem Christi non sufficere ad plenam generis humani vivificationem, sed requiri resurrectionem et subsequentem Christi capitis glorificationem. Ratio huius necessitatis inde est petenda, quod auctor principalis vivificationis supernaturalis est Spiritus Sanctus: Spiritus porro missio necessario pendet a praecedente capitis clarificatione, sicut ipse Ioannes in antecessum notaverat: « Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus » 7, 39.

Unde iam argumentum: Christus petit pro se claritatem corporis seu resurrectionem. Motivum petitionis est humanitas vivificanda. Ergo vivificatio seu iustificatio humanitatis pendet a Christo glorificato. Aliis verbis: Hominum vivificatio est opus Spiritus Sancti. Atqui missio Spiritus Sancti est opus Christi clarificati. Ergo vivificatio humanitatis est opus Christi glorificati. Christi ergo clarificatio habet insigne momentum soteriologicum.

Novum argumentum pro nostra thesi peti potest ex sermone Christi eucharistico apud Ioannem 6, 53: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam, ego resuscitabo eum in novissimo die ». Unde facilis argumentatio: Caro Christi eucharistica est vere vivifica seu causa nostrae vivificationis. Atqui caro Christi eucharistica est caro Christi glorificata. Ergo Christus glorificatus est causa nostrae iustificationis. *Maior* effertur in textu bifariam: primo *negative*: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.

Dein *positive*: Qui manducat carnem meam ... habet vitam aeternam. — *Minor* est evidens: profecto caro Christi eucharistica non est caro mortua nec mortalis, sed est caro viva, immortalis, glorificata. Sane verba consecratoria sacerdotis sistunt Christum praesentem, sicuti est tunc, quum verba pronuntiantur. Atqui Christus nunc est glorificatus in caelis.

Dices: Caro Christi mortalis et eucharistica vivificavit animas apostolorum, ut apparet ex caena Domini paulo ante mortem caelebrata. Ergo vis vivificatrix carnis Christi non necessario pendet ex huius carnis clarificatione. *Resp.* Haec obiectio est impertinens, quippe quae non attingit punctum quaestionis. Ex eo quod caro Christi eucharistica mortalis potuerit vivificare animas apostolorum, sequiturne quod eadem caro glorificata et immortalis careat hac vivificandi virtute? Porro nostra thesis est de Christo glorificato, causa nostrae iustificationis. Nec illud praetermittendum, quod ipse Christus disposuit, ut caro sua vivifica fidelibus non propinaretur sacramentaliter manducanda nisi post eius gloriosam resurrectionem.

Explicatio dynamismi eucharistici insinuat in ipsis Christi verbis: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus est vere potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem *in me manet, et ego in illo*: primus ergo effectus sumptionis eucharisticae est *immanentia mutua*, per quam Christus manet in manducante, et hic manet in Christo. Sed ista immanentia non est pure statica et iners, sed dynamica et vitalis, ut apparet ex contextu proxime subsequenti: « Sicut misit me Pater, et ego vivo propter Patrem, sic qui manducat me, vivet propter me ». Inter Patrem et Filium datur mutua immanentia; unde Christus dicebat: sicut tu Pater in me, et ego in te, sic et ipsi in nobis unum sint. At haec Patris in Filio immanentia est dynamica et vitalis. Filius vivit *propter Patrem*, i. e. vita mutuata a Patre, sic etiam immanentia eucharistica est vitalis: qui manducat me, vivet *propter me*, i. e. vita derivata e fonte eucharistico. Id ipsum manifestatur habito prae contextu remoto (15, 4): « Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui *manet in me, et ego in eo*, hic profert fructum multum ». Christus manet in nobis per modum

vitis, i. e. per modum principii vitalis, eo fere modo quo Pater manet in Filio per modum principii vivifici.

Ulterior explicatio si quaeratur, i. e. quomodo Christus eucharisticus maneat in nobis, respondendum est Christum manere in nobis *per suum Spiritum*. Orto scandalo inter Christi auditores dicentes: « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? », Christus appellat ad miraculum Ascensionis: « Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi prius erat ». Cessabit profecto hoc vestrum scandalum: tunc quippe intelligetis meam carnem non esse mortuam, sed vivam, divinitati coniunctam, a divinitate animatam et vivificatam. *Spiritus est qui vivificat*, caro non prodest quidpiam. Sicut ferrum non prodest quidpiam ad calefaciendum, sed ignis est qui calefacit; nihilominus ferrum ignitum vere calefacit, sic etiam caro Christi spectata in sua conditione pure carnali et naturali non prodest quidpiam ad vivificandum; sed eadem caro Verbo unita et ab Spiritu vivificata prodest multum ad vivificandum. Ceteroquin, Christum manere in nobis per Spiritum docet Ioannes in sua prima epistula 3, 24: « Et qui servat mandata eius, in illo manet, et ipse in eo; et in hoc scimus quoniam manet in nobis *de Spiritu, quem dedit nobis* ». Etiam pro Paulo est idem Christum manere in nobis, et Spiritum Christi manere in nobis. Sic ad Rom. 8, 9-10: « Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est », loco dicendi: Si autem Spiritus Christi in vobis est. Ceterum meminisse oportet carnem Christi eucharisticam, quae nobis in cibum propinatur, esse carnem Christi glorificatam quae in Resurrectione facta est *in spiritum vivificantem*.

Doctrina eucharistica Ioannis in capite sexto egregie confirmatur et clarificatur doctrina quam Paulus tradit in epistula prima ad Cor. 10, 16-17: « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panem quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus ». Ubi Paulus docet participantes de mensa eucharistica efformare corpus unum unitate derivata ab unitate panis eucharistici. Etenim ratio quare corpus efformatum a multis christianis sit unum, haec a Paulo affertur: quoniam panis eucharisticus est unus, et omnes de uno eodem-

que participamus. Unitas porro corporis mystici in theologia Paulina pendet ab unitate Spiritus Sancti. Etenim in *uno Spiritu* nos omnes in unum corpus sumus baptizati (I Cor. 12, 13): Unum corpus et *unus Spiritus* (Ephes. 4, 4). — Et reconciliet ambos in uno corpore ... per ipsum habemus accessum in *uno Spiritu* ad Patrem (Ephes. 2, 16-18). Ergo unitas panis eucharistici manducati eatenus potest causare unitatem corporis mystici, quatenus habet vim inducendi unitatem Spiritus. Profecto in capite sexto eiusdem epistolae (6, 17) apostolus prae-monuerat scribens: « Qui autem adhaeret Domino, unus Spiritus est ». Atqui manducatores eucharistici adhaerent uni eademque Domino: fiunt ergo participes unius eiusdemque Spiritus. Porro qui uni capiti incorporantur, et uno huius capitis Spiritu animantur, concorporantur inter se, et efformant unum corpus in uno Spiritu. At notum est nos in eucharistia participare carnem Christi clarificatam. Conclusio ultima est: communio eucharistica implicat communionem somaticam — communio somatica implicat communionem pneumaticam — communio pneumatica implicat nostram vivificationem in uno corpore mystico, cum sit communio cum Spiritu vivificante. Rursus ergo apparet Christum clarificatum esse causam nostrae iustificationis.

Nova confirmatio et clarificatio habetur ex ipso contextu proximo; ubi Paulus docet communionem eucharisticam esse communionem cum corpore Christi: panis, quem frangimus, nonne participatio (graece *κοινωνία*, communio) corporis Domini est? Quid ferat communio cum corpore Christi eucharistico et sacrificiali fit manifestum ex contextu subsequenti, ubi recurrit duplex alia *koinonia* seu communio: primum communio cum altari in sacrificiis iudaeorum v. 18: « nonne qui edunt hostias, participes (*koinonoi*) sunt altaris? » Porro quid importet communio cum altari apparet ex lege dynamismi sacrificialis. Ubi recurrunt quatuor elementa: Numen divinum, qui est fons sanctitatis, cui fit donatio — Altare, numinis vicarium, a Numine sanctificatum, hostiam sanctificans (Mt. 23, 19) — hostia ab altari sanctificata et manducatores sanctificans. Sanctitas ergo et vita Numinis transit in altare, ex altari in hostiam, ex hostia in participantem. At haec sanctitas alia et alia est: hostiae carnales et figurales in sacrificiis iudaeorum inducunt sanctitatem legalem, externam, iustifica-

tionem carnis, ut loquitur Paulus. Hostia vero christiana inducit sanctitatem internam, veram, iustificationem spiritus.

Eadem conclusio obtinetur examine alterius communionis a Paulo commemoratae in sacrificiis aethnicorum. Ubi rursus recurrunt quatuor praefata elementa. Daemon (« sed quae immolant gentes, daemoneis immolant, non Deo » 10, 19). — Altare seu mensa daemoniorum — Hostia seu idolotitum — communicans seu participans. Communio cum altari importat communionem cum daemone: hinc Paulus: « nolo vos socios fieri daemoniorum ». Porro communio cum daemone nullam infert consecrationem, sed execrationem, immunditiam, peccatum. Atqui Paulus docet communionem christianam et eucharisticam habere oppositionem irreductibilem cum communione daemoniorum: « non potestis mensae Domini esse participes, et mensae daemoniorum » (10, 21); quibus consonant illa: « quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? quae autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fidei cum infidei? qui autem consensus templo Dei cum idolis? » Si ergo communio christiana et eucharistica habet oppositionem essentialem cum communione daemoniaca, sequitur communionem eucharisticam, quae est communio cum carne Christi clarificata, inferre consecrationem, munditiam, sanctitatem.

Postremum ex Ioanne argumentum petitur ex capite 20, 21-22: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ». Haec sunt verba Christi clarificati, quum apparuit discipulis ipso die resurrectionis, absente Thoma. Habes hic bifariam expressum influxum soteriologicum a Christo glorificato exercitum: primo quidem communicando Spiritum Sanctum collegio apostolico — dein instituendo sacramentum Paenitentiae, cui nativa competit vis sanctificatrix ex opere operato (Denzinger, n. 894). Porro qui est causa causae, est causa causati.

Textus Petri veniunt postremo loco considerandi:

Primus textus recurrit in prima Petri epistula v. tertio: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum suam misericordiam magnam *regeneravit* nos in spem

vivam *per resurrectionem* Iesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem ». Petrus loquitur de nostra *regeneratione* spirituali, quae est vera iustificatio, in qua datur peccatorum remissio, novae vitae infusio, et ius ad hereditatem aeternam (spes viva). Atqui haec regeneratio expresse dicitur fieri *per resurrectionem* Iesu Christi ex mortuis. Christus ergo resuscitatus pro Petro, sicut pro Paulo et Ioanne est causa nostrae regenerationis spiritualis seu nostrae iustificationis.

Secundus textus legitur in eadem epistula prima 3, 19-21: « In qua (arca Noe) pauci, i. e. octo animae salvae factae sunt per aquam (δι' ὕδατος). Quod et vos nunc similis formae (ἀντίτυπον) salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio (ἐπερωτημα) in Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei ». In hoc textu distinguenda sunt ea quae sunt clara et certa ab his quae sunt incerta et controversa. Porro clara et certa sunt ista quatuor: Quod familia Noe salutem corporalem obtinuit per aquam in arca — Quod haec aqua fuit typus seu figura baptismatis — Quod baptisma operatur munditiam non corporis, sed animae i. e. ipsius iustificationem — Quod baptismi efficacia tribuitur resurrectioni Iesu Christi. Incertum est et multifariam controversum quid sibi velit illa quae dicitur conscientiae bonae interrogatio seu eperotema. Valor nostri argumenti non pendet ab hac controversia: manet ergo nostra thesis de momento soteriologico resurrectionis Christi. Vides quomodo hic secundus textus Petrinus illustrat et complet priorem. In primo dixerat Petrus nostram regenerationem spirituales fieri per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis: in secundo textu additur novum elementum, et determinatur modus quo fit illa regeneratio, videlicet per sacramentum baptismi, quod suam vim trahit ex resurrectione Christi.

Quaestionem controversam quod attinet, triplex interpretatio proponitur apud criticos: *Prima* est eorum qui illud eperotema interpretantur *sponsionem*: unde sensus esset: non carnis depositio sordium, sed sponsio deinceps conservandae bonae conscientiae. Supponunt in verbis Petri contineri allusionem ad antiquum ritum baptismalem, in quo interrogatio baptizantis accedebat responsio baptizati implicans veram quandam sponsionem. *Secunda* interpretatio est illorum qui

eperotema intelligunt *professionem fidei* ex bona conscientia. Rursus supponitur allusio ad interrogationem ministri baptizantis, quam consequebatur responsio ex parte baptizati implicans veram fidei professionem. Expressam mentionem huius interrogationis et huius responsionis habes in casu baptismi a Philippo administrati viro Aethiopico, eunucho (Act. 8, 37). Vides in hac interpretatione perfectam consonantiam inter doctrinam Petri de efficacia baptismi cum doctrina Pauli ad Coloss. 2, 12, ubi ad regenerationem christianam concurrunt ritus baptismalis et fidei professio in resurrectionem Christi.

Tertia explicatio est non paucorum theologorum qui defendunt causalitatem moralem sacramentorum. Hi interpretantur illud eperotema *efficacem apud Deum postulationem iustitiae* seu bonae conscientiae acquirendae. Ex his tribus interpretationibus nobis praeferenda videtur illa quae secundo loco proponitur: sed supra monuimus valorem nostrae argumentationis nullatenus pendere ab hac controversa quaestione.

Sit iam ultimum argumentum ex concione Petri in concilio coram principe sacerdotum Act. 5, 30-31: « Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem (ἀρχηγόν) et salvatorem (σωτήρα) Deus exaltavit dextera sua ad dandam poenitentiam Israel, et remissionem peccatorum ». His consona sunt quae princeps apostolorum proclamaverat coram conferta multitudine in solempni die Pentecostes: « Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis » Act. 2 36. Nec illa praetermittenda, quae recurringunt in contextu proxime praecedenti: « Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus accepta, effudit hunc, quem vos videtis et auditis ». Act. 2, 33. Vides locum quem in soteriologia Petrina tenet Christus glorificatus. Petrus, Paulo et Ioanni apprime consentiens, docet Iesum redivivum esse a Deo constitutum Christum, Dominum, principem salvatorem, effusorem Spiritus.

Conclusio: Textus Paulini, Ioannaei et Petrini, in sua harmonica convergentia considerati, dilucide commonstrant momentum soteriologicum clarificationis Christi, id quod demonstrandum et explicandum in hac prima parte suscepimus.

CAPUT TERTIUM

DE CHRISTO CLARIFICATO CAPITE CORPORIS MYSTICI

Soluta quaestione praevia de momento soteriologico clarificationis Christi, prostat iam via complanata ad studium de Christo capite corporis mystici. Hoc porro studium complectitur duas quaestiones generales: prior est de *existentia* dignitatis capitalis in Christo, altera de *essentia* seu natura intima huius capitalitatis. Prior quaestio plana est et simplicissima; unde breviter expediti potest. Altera quaestio complexior est atque obscurior, ideoque longiorem tractationem requirit.

Positionem Christi in corpore mystico esse capitalem, i. e. Christum esse caput corporis mystici et ecclesiastici est veritas revelata a Paulo multifariam multisque modis attestata. Profecto Paulus praeprimis docet quod Deus « omnia subiecit sub pedibus eius; et *ipsum dedit caput* super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur ». Ephes. 1, 22-23. — Paulus dein eosdem Ephesinos hortatur ut « veritatem facientes in caritate crescamus in illum per omnia, *qui est caput Christus*; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate ». Ephes. 4, 15-16. — Paulus praeterea vult ut « mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut *Christus caput est Ecclesiae*, ipse salvator corporis (eius) ». Ephes. 5, 23-24. Eadem doctrina recurrit in epistula ad Colossenses. Ubi primo altissima Christi positio in mundo universo extollitur, et dein dignitas eius capitalis in corpore ecclesiastico effertur: « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipsum creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et *ipse est caput corporis Ecclesiae*, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit (fiat) in omnibus ipse primatum tenens ». Coloss. 1, 15-18. —

Christi capitalitas iterum celebratur in capite secundo eiusdem epistulae: « quia in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti, *qui est caput* omnis principatus et potestatis; in quo et circumcisi estis consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis ». Coloss. 2, 9-12. — Ad eandem capitalitatem revertitur in contextu proxime consequenti. « Nemo vos seducat volens in humilitate ... frustra inflatus sensu carnis suae, et *non tenens caput*, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei ». Coloss. 2, 18-19. — Iam in epistula prima ad Corinthios, ante epistulas captivitatis, Paulus commemoraverat capitalitatem Christi respectu viri, et consequenter respectu mulieris: « Volo autem vos scire quod omnis viri *caput Christus est*; caput autem mulieris vir, caput vero Christi, Deus ». I Cor. 11, 3. *Conclusio* clara est: Christi capitalitas in corpore mystico est veritas revelata, a Paulo multifariam celebrata, a theologis unanimiter admissa, a nemine unquam in controversiam revocata.

Quaestio de essentia seu natura intima huius capitalitatis nequit integraliter solvi, nisi prius examinentur variae et controversae particulares quaestiones. Prima est de *subiecto* huius capitalitatis: utrum Christi capitalitas subiectetur in divina ipsius natura, an in humana. Haec quaestio multum vexavit theologos scholasticos mediaevales, apud quos fere praevaluit sententia de praefata capitalitate formaliter reponenda in utraque simul natura divina et humana. Problema tunc temporis proponebatur in hunc fere modum: Duo sunt attributa capitis: influxus vitalis in membra — conformitas naturae cum membris. Atqui Christus, qua Deus, caret conformitate naturae cum membris corporis mystici. Nequit ergo Christi capitalitas formaliter subiectari in sola ipsius divinitate. Sed ex alia parte ad caput spectat influere vitam membris. Atqui influere vitam supernaturalem est proprium Dei. Ergo capitalitas Christi nequit adaequate reponi in sola ipsius humana natura. Reliquum ergo est ut Christus dicatur caput corporis mystici ratione utriusque naturae, divinae et humanae: qua Deus influit vitam; qua homo habet conformitatem naturae et vitae cum membris. Christus ergo caput est Christus Deus-homo. *Clavim solutionis* in hoc difficili problemate suppeditavit Doctor

Angelicus. Qui, post priores difficultates et vacillationes, in posterioribus suis scriptis clare et constanter proposuit doctrinam de causalitate physica instrumentali humanitatis Christi, organi divinitatis. Quo posito, manet via aperta ad solutionem problematis. Profecto Christus homo habet perfectam conformitatem naturae et vitae cum suis membris; ex alia vero parte ad dignitatem capitalem sufficit influxus physicus instrumentalis. Nihil ergo prohibet quominus Christus homo dicatur *formaliter* caput corporis mystici, quod est Ecclesia. Haec divi Thomae doctrina et sententia de Christo-homine capite Ecclesiae fere praevaluit apud optimos quosque theologos speculativos hodiernos, quamvis nondum omnes consentiant in admittenda causalitate *physica* humanitatis Christi in opere redemptorio et soteriologico. Nobis plene probatur angelici Doctoris sententia etiam de causalitate physica instrumentali Christi humanitati *clarificatae* adscribenda: rationes patebunt ex toto processu argumentationis subsequenti.

Accedit quaestio momentosa de *titulo proximo* dignitatis capitalis in Christo homine: utrum sit Incarnatio, an passio et mors, num resurrectio et tota subsequens Christi clarificatio et exaltatio: aliis verbis, quaeritur num Christus caput sit Christus incarnatus, an pendens in cruce, an Christus clarificatus.

Positio Doctorum varia est ac multiformis. *Prima* sententia docet Christum fuisse caput Ecclesiae iam in ipsa Incarnatione per unionem hypostaticam: sic non pauci Patres ac theologi scholastici. — *Altera* sententia tenet Christum fuisse constitutum caput Ecclesiae partim in Incarnatione, partim in cruce et passione. Haec doctrina proponitur in recenti Encyclica « Mystici Corporis ». Ubi triplex formula recurrit: Primo asseritur n. 29 Christum « in utero Virginis caput *totius familiae humanae* constitutum fuisse ». Secunda formula recurrit in n. 108: ubi docetur « Christum Dominum iam in virgineo gremio *Ecclesiae capitis* dignitate ornatum » fuisse. Tertia formula reperitur in n. 30; ubi legitur quod « morte sua Servator noster, *plena atque integra verbi significatione*, factus est Ecclesiae caput ». Huius tertiae formulae sensus ut recte intelligatur, utile est habere prae oculis ea quae in contextu proxime antecedenti (n. 29) adnotantur. « E crucis *virtute* Servator

noster ipsum Capitis *munus* in Ecclesia sua plenissime *exercet*. Per crucis enim victoriam, ex Angelici communisque Doctoris sententia, *meruit potestatem* et dominium super gentes; per eandem in immensum nobis auxit thesaurum illum gratiarum, quas *gloriosus regnans in caelo*, membris suis mortalibus nulla intermissione *elargitur* ». — *Tertia* sententia theologis biblicis familiaris, proximum capitalitatis titulum quaerit in Christi glorificatione, docetque Christum caput sensu pleno esse Christum clarificatum. — Mediam viam ingreditur *Bover*, apud quem Christus in Incarnatione constituitur caput sensu *moralis et iuridico*, post resurrectionem vero constituitur caput sensu *vitali et organico*. — Nonnemo recenter distinguit inter Ecclesiam militantem et triumphantem, docetque Christum in Incarnatione et in cruce constitui caput Ecclesiae terrestri et militantis, in resurrectione vero caput Ecclesiae caelestis et triumphantis.

Vides Doctores catholicos, sicut in quaestione de *membris*, sic etiam in quaestione de *capite* corporis mystici nullatenus consentire inter se, sed multifariam dissidere et digladiari. Unde bella et lites inter auctores? Nostro iudicio obscuritas et confusio oritur ex multiplici capite: primum quidem non fit distinctio illa, quam in Encyclica « *Mystici Corporis* » opportune insinuatam vidimus, inter virtutem — munus — muneris exercitium: aliud est virtus capitalis, aliud actuale muneris capitalis exercitium; aliud est virtus remota et ligata; aliud, virtus proxime expedita ad operandum. Dein desideratur apta distinctio inter ordinem redemptionis obiectivae, et subiectivae. Aliud est virtus, subiectata in carne seu humanitate infirma et mortali, ad efficiendum opus redemptionis obiectivae; aliud, virtus, subiectata in humanitate Christi glorificata et facta in spiritum vivificantem, ad efficiendum opus redemptionis subiectivae in corpore mystico et ecclesiastico. Tertio loco notandus videtur defectus attentionis apud non paucos theologos scholasticos ad doctrinam Paulinam de momento soteriologico clarificationis Christi. Nec illud est praetermittendum, doctrinam de Christi capite corporis mystici esse revelatam, hancque revelationem contineri in scriptis Paulinis. Sana ergo methodus theologica non sinit notionem capitalitatis exclusive quaerere in aliquo doctore vel magistro humano, utut insigni et conspicuo. *Notio ergo Paulina* et revelata prae-

primis quaerenda videtur in tota hac quaestione de capitalitate Christi. His rationibus moti, utile duximus omnes textus Paulinos de Christo capite colligere, ordinare et examinare.

Textus Paulini de Christo capite corporis mystici

Septem sunt textus biblici in quibus Paulus agit de Christi capitalitate. Horum tres reperiuntur in epistula ad Ephesios; alii tres in epistula ad Colossenses; unus denique in epistula prima ad Corinthios. Singulos breviter consideremus.

Primus textus Paulinus de Christo capite legitur in capite primo epistulae ad Ephesios: consideremus textum — contextum — pericopen controversam de Ecclesia pleromate Christi — influxum capitalem — indolem caelestem Christi capitis.

Textus latinus (vv. 22-23) sic sonat: « Et omnia subiecit sub pedibus eius: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur ». Duplex variatio notanda est in hoc textu latino: una in versu 22, altera in versu 23. In versu 22, ubi textus latinus habet « super omnem Ecclesiam », textus graecus habet ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ = super omnia ecclesiae (in dativo). Defectus attentionis ad hanc variationem in textu latino non semel ansam dedit falsis consecrariis circa extensionem corporis mystici. In versu 23 textus graeci desideratur particula coniunctiva « et », quae legitur in textu latino. Hinc vox πλήρωμα posset grammaticaliter coniungi vel cum ecclesia, subiecto proximiori, vel cum αὐτὸν (Christum). In priori casu sensus est: Ecclesia est corpus Christi, et plenitudo eius, unde pleroma continet quasi explicationem vocis « corpus »: Ecclesia dicitur corpus Christi, quia est ipsius pleroma. In altero casu sensus esset: Deus dedit Ecclesiae ut caput Christum, qui est plenitudo eius (Dei), qui omnia omnibus implet. Prima constructio et interpretatio est longe naturalior, communior, et potest retineri ut moraliter certa. Ceterum sensus in utraque lectione manet fundamentaliter idem, ut ex dicendis apparebit.

Contextus proximus tum antecedens, tum consequens, debet attente considerari. Paulus ardentem exoptat ut sui fideles habeant illuminatos oculos cordis sui ut intelligant quam sit

supereminens magnitudo virtutis eius (Dei) *in nos*, qui credimus, secundum operationem potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo *suscitans illum a mortuis*, et constituens ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem ... Et omnia subiecit sub pedibus eius et ipsum dedit caput ... Et vos, cum essetis mortui delictis, et peccatis vestris ... et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo et conresuscitavit, et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu ». Paulus ergo vult ut fideles Ephesini a Deo illuminentur ut bene intelligant qualis sit ipsorum spes, quanta eorum hereditas, quam sit magnifica et stupenda nimis divinae potentiae operatio a Deo exercita *in nos* in mirabili Christi resurrectione et glorificatione. Princeps huius operationis terminus est Christus, quem Paulus hic exhibet ut redivivum, ad dexteram Dei inthronizatum, exaltatum supra omnem principatum et virtutem, omni creationi praepositum, et Ecclesiae caput. Secundarius huius operationis terminus sumus nos christiani, quos Paulus exhibet ut convivificatos, conresuscitados et consedentes in caelestibus cum Christo.

Pericope controversa, et maxime controversa est de significatione duplicis vocis graecae πλήρωμα et πληρουμένου. Utramque breviter examinemus.

Sensus πλήρωμα: Triplex sententia: Prima interpretatur hanc vocem sensu activo; unde significat complementum, id quod complet. — Secunda sententia interpretatur hanc vocem sensu passivo; unde significat plenitudinem, quod completur. — Tertia sententia interpretatur praefatam vocem sensu activo simul et passivo; unde significat complementum simul et plenitudinem.

Sensus πληρουμένου. Triplex rursus sententia. Prima interpretatur hoc participium sensu passivo = quod impletur. Altera sensu activo = quod implet. Tertia sensu passivo simul et activo. Ad hanc varietatem sententiarum, triplex est possibilis interpretatio exegetica huius pericopes:

1^a Ecclesia est complementum activum Christi adimpleti: Ecclesia implet, Christus impletur.

2^a Ecclesia est plenitudo passiva Christi implentis: Christus implet, Ecclesia adimpletur.

3^a Ecclesia est complementum Christi omnia sibi adimplentis. Unde Christus implet quidem Ecclesiam, sed vicissim impletur ab Ecclesia. Ecclesia implet quidem Christum; at vicissim impletur a Christo.

Crisis: Ad solvendam quaestionem utile erit habere prae oculis usum huius vocis πλήρωμα apud Paulum maxime in hac ipsa epistula ad Ephesios. Paulus commemorat in hac epistula triplex pleroma: Dei-Christi-Ecclesiae. *Pleroma Dei* seu divinum recurrit in capite tertio, v. 19: « ut impleamini in omnem plenitudinem Dei ». — *Pleroma Christi* seu Christicum apparet in capite 4, 13: « in mensuram aetatis plenitudinis Christi ». — *Pleroma Ecclesiae* seu ecclesiasticum recurrit in nostra pericope 1, 23: ubi Ecclesia dicitur esse corpus Christi et plenitudo. Paulus ergo distinguit pleroma divinum — christicum — ecclesiasticum. Age iam: *Pleroma Dei* est evidenter imparticipatum et activum; nullatenus participatum, nullatenus passivum. — *Pleroma Christi* hominis est participatum ex Deo (Coloss. 1, 19), et activum. Pleroma Christi Dei est activum et receptum quidem a Patre, non tamen proprie *participatum*. — *Pleroma Ecclesiae* est participatum et passivum. Et haec quidem constant apud omnes.

At surgit quaestio: Pleroma christicum est etiam passivum? Vicissim, pleroma ecclesiasticum est etiam activum? Respondetur cum distinctione: Christus est pleroma passivum respectu Dei Patris. Christus enim sive qua Deus, sive qua homo omnia recipit a Patre, hinc impletur a Patre. Christus est pleroma activum respectu Ecclesiae. Res patet: siquidem nos sumus *repleti* in Christo, qui est caput omnis principatus et potestatis (Coloss. 2, 10). Christus ascendit in caelos ut *impleret* omnia (Ephes. 4, 10). Ioannes quoque attestatur quod de plenitudine eius accepimus omnes (1, 16). Remanet quaestio: Christus potest dici etiam pleroma passivum respectu Ecclesiae? Responsio pendet a sensu vocis vel formulae « pleroma passivum ». Si hac formula significatur Christum recipere ab Ecclesia vitam, gratiam, charismata, potestates, responsio necessario debet esse negativa: hoc sensu Christus nequit dici pleroma passivum Ecclesiae, nec Ecclesia potest dici pleroma activum Christi. Si formula pleromatis passivi significat tantum Christum ab Ecclesia quodammodo compleri in ordine redemptionis subiectivae, responsio erit necessario positiva.

Christus reapse completur ab Ecclesia trifariam. Primo quidem Ecclesia confert Christo quendam concursum seu complementum passivum: potentiam nempe passivam a Christo actuandam, receptaculum a Christo implendum, eo fere modo quo corpus nostrum complet animam. — Ecclesia dein confert Christo concursum quendam activum hierarchicum et charismaticum. Christus quippe indiget concursu activo eorum quos ipse posuit in Ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores ad aedificationem corporis ecclesiastici. Huc spectant verba Pauli (Coloss. 1, 24): « Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia ». — Tertio Ecclesia confert Christo concursum activum suorum fidelium, qui gratiis a Christo acceptis debent libere cooperari ut corpus Christi mysticum crescat in caritate. De hoc concursu activo fidelium seu membrorum loquitur Paulus in hac epistula 4, 16. — Accedit nova forma complementi in ipso ordine hierarchico et charismatico. Christi quippe sacerdotium, magisterium, imperium dilatatur et extensive crescit in collegio apostolico-episcopali, et sic Christus caput, i. e. Christus sacerdos, magister, rex quodammodo impletur a suo corpore hierarchico. Maneat ergo alta mente repostum: Ecclesiam eatenus complere Christum, quatenus ipsa prius impletur a Christo.

Influxus capitalis Christi. Qualis sit capitalis Christi influxus, quatenus in hoc primo textu manifestatur, patescit fere ex iis quae praenotavimus de sensu pleromatis. Christus videlicet est activum Ecclesiae pleroma. Influxus ergo capitalis Christi, formula generica expressus est *pleromaticus*, eiusque functio est *implere Ecclesiam*. Quod si quaeratur quae sint bona quibus Christus implet Ecclesiam, responsum reperiemus in contextu subsequenti. Ubi Paulus exhibet fideles christianos cum Christo convivificatos, conresuscitados. Agitur porro de vita quae opponitur peccatis: « et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos ... » 2, 5. Influxus ergo capitalis, quatenus determinatur in hoc loco, est *vivificus*; vitae nempe divinae collativus tum animae tum corpori. Christus ergo caput Ecclesiae est Christus *principium vivificum corporis mystici*. At influxus capitalis Christi *ordinem quoque iuridicum* attingere videtur. Etenim Christus, qui est datus Ecclesiae ca-

put super omnia, est Christus *Dominus*, cui Deus omnia subiecit. Et hunc ipsum, καὶ αὐτόν, dedit caput Ecclesiae. Influxus ergo capitalis Christi est quoque dominativus seu iuridicus.

Christus caelestis mystici corporis caput. Remanet determinandus titulus proximus capitalitatis Christi: utrum sit Incarnatio, an mors, num resurrectio et glorificatio Christi. Aliis verbis, quaeritur num Christus caput Ecclesiae sit Christus incarnatus, an Christus pendens in cruce, an Christus caelestis seu clarificatus. Nostra responsio est Christum Ecclesiae caput, qualis exhibetur in hoc primo textu Paulino, esse Christum caelestem ac glorificatum. Agitur de titulo *proximo*; praecedere titulum *remotum* in Incarnatione simul et morte reponendum, videtur evidens.

Argumentum primum petitur ex ipso textu, possetque exhiberi sic: Christus caput Ecclesiae est Christus Dominus, cui Deus omnia subiecit. Atqui Christus Dominus, cui Deus omnia subiecit, est Christus caelestis. Ergo ... *Minor* propositio facile constat ex ipso contextu: profecto Christus Dominus, cui Deus omnia subiecit, est Christus quem Deus suscitavit e mortuis, et exaltavit ad dexteram suam, supra omnem principatum, potestatem et virtutem ... Atqui hic talis Christus est evidenter Christus caelestis. *Maior* propositio non minus clare significatur in ipso textu: « Et omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae ». Ipse ergo Christus, qui est a Deo inthronizatus et omnibus rebus creatis praepositus, est Christus qui Ecclesiae ut caput est datus. Haec identitas formalis inter Christum caput Ecclesiae, et Christum Dominum multo clarius et signantius effertur in textu graeco: πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ αὐτόν ἔδωκεν κεφαλὴν... Repetitio particulae eiusdem αὐτοῦ - αὐτόν clare ostendit illum ipsum, cuius pedibus Deus omnia subiecerat, κεφαλὴν seu caput Ecclesiae per omnia esse a Deo constitutum. Ad rem *Alonso B.*: « Apenas era posible expresar con más claridad y precisión hasta el momento mismo en que le fueron otorgados a Cristo el título y los poderes propios de cabeza de la Iglesia entera ». *Razón y Fe*, vol. 103 (1933), p. 39.

Argumentum secundum fieri potest ex contextu antecedenti. Etenim Paulus vult evidenter premere et exaltare magnitudinem potentiae divinae exercitae in operatione qua Deus

Christum glorificavit suscitando illum ex mortuis, collocando ipsum ad dexteram suam ... Ad ostendendam hanc magnitudinem Paulus exhibet effectum seu terminum huius operationis. Hic terminus est Christus redivivus, inthronizatus, dominus universae creationis, caput Ecclesiae super omnia. Ergo sicuti tres priores tituli spectant ad Christum caelestem, sic etiam quartus titulus, seu capitalitas Ecclesiae.

Argumentum tertium construi potest ex contextu subsequenti. Paulus iam in v. 19 notaverat magnificam illam potentiam, qua Christum suscitavit ex mortuis, fuisse exercitam *in nos* εἰς ἡμᾶς. Terminus ergo secundarius illius divinae operationis sumus nos fideles christiani. Atqui fideles christiani hic exhibentur a Paulo, non ut conrucifixi, conmortui, consepulti cum Christo, sed ut convivificati, ut conresuscitati, ut conedentes. Iterum ergo apparet Paulum hic agere de Christo, non ut mortuo aut sepulto, sed de Christo ut redivivo et caelesti.

Conclusio: Habemus ergo iam in hoc primo textu explicitam Pauli doctrinam de corpore mystico, in qua continentur haec quatuor asserta: Identitas corporis mystici et Ecclesiae — Capitalitas Christi hominis in hoc corpore — Indoles vivifica simul et iuridica influxus capitalis — Character caelestis Christi capitis.

Secundus textus Paulinus de Christo capite corporis mystici reperitur in capite quarto eiusdem epistulae. Videamus textum — contextum doctrinalem — naturam influxus capitalis — indolem caelestem Christi capitis.

Textus ergo (4, 15-16) praecedat: « Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illum per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus connexum et compactum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in caritate ».

Duplex obscuritas grammaticalis recurrit in hac pericope: una in v. 15; altera in v. 16. Primo in v. 15 dubitatur et disputatur num particula « in caritate » sit iungenda cum membro antecedenti = « veritatem facientes », ut indicatur in versione vulgata, an cum subsequenti = in caritate crescamus in

illum ... Hoc ultimum videtur melius consentire cum contextu subsequenti in v. 16, ubi dicitur quod corpus crescit in caritate (Bover). Quidquid sit de hac quaestione, sensus pericopes manet substantialiter idem. — In v. 16 rursus dubitatur ac disputatur num particula « per omnem iuncturam subministrationis » sit coniungenda cum membro antecedenti = conexum et compactum per omnem iuncturam ... an cum subsequenti = secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri. Prima hypothesis videtur probabilior si noster textus comparetur cum alio prorsus parallelo (Coloss. 2, 19). Ubi legitur « corpus per nexus et coniunctiones subministratum (ἐπιχορηγοῦμενον) et constructum ... At haec quoque quaestio pro nostro scopo est parvi momenti. Utraque sententia forte possit in synthesis harmonicam revocari hoc modo: Corpus totum manet quidem apte coaptatum et arte conexum per iuncturas subministrationis; at haec subministratio virtutis capitalis non fit eodem gradu et mensura pro omnibus membris, sed mensura diversa, illa videlicet quae correspondet unicuique membro secundum dynamismum proprium quem debet exercere ad aedificandum corpus mysticum.

Contextus iam considerandus venit. Paulus hortatur fideles ephesinos ut sint solliciti servare *unitatem Spiritus*. Ut motivum proponit mirandam corporis mystici unitatem, cuius septem tituli seu aspectus exhibentur: unum corpus — unus Spiritus — una spes — unus Dominus — una fides — unum baptisma — unus Deus, qui cunctis praeest, cuncta operatur; in omnibus est praesens.

Huic porro tantae unitati minime opponitur varietas donorum et charismatum. Unicuique enim membrorum huius corporis datur gratia secundum mensuram donationis Christi, qui in caelos ascendit ut impleret omnia: haec porro mensura est valde diversa. Christus quippe ascendens in caelos, alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores. Haec autem omnia et diversa munera hierarchica et charismatica data sunt a Christo clarificato in hunc scopum: πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων; ut fideles christiani sint apte dispositi, muniti, (bien articulados) ad opus ministerii quod singuli praestare debent pro aedificando corpore ecclesiastico donec omnes, οἱ πάντες, demum occurramus

in unitatem fidei et cognitionis (ἐπιγνώσεως) filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Fide porro uniti et firmati debemus omnes ambulare in veritate, et crescere in caritate in Christum caput, ex quo derivatur tota illa vis qua corpus integrum manet apte coaptatum, arcte connexum, multifariam dynamicum, et continuo crescens in caritate.

Ditissimus est locus iste ad hauriendam doctrinam Paulinam de corpore Christi mystico et ecclesiastico. Habemus hic sat clare delineatam doctrinam revelatam de membris — de capite — de anima — de structura — de vita corporis mystici. *Membra* corporis mystici, ut superius notavimus, sunt fideles (una fides), baptizati (unum baptisma) profitentes fidem unam, propositam a magisterio ecclesiastico, ab his, inquam, quos Christus ipse posuit apostolos, pastores et doctores. Conditio ergo membri requirit tria: baptismum, verae et unius fidei professionem, coniunctionem cum magisterio hierarchico et cum reliqua compagine organica connexa et compacta. — *Caput* corporis mystici exhibetur Christus, unus Dominus, ex quo dimanat tota vis hierarchica et charismatica, tota plasmatio et aedificatio corporis mystici. — *Principium animicum* corporis ecclesiastici est Spiritus Sanctus: Unum corpus et unus Spiritus. Etenim in uno Spiritu nos omnes in unum corpus sumus baptizati et uno Spiritu potati. — *Structura* corporis mystici apparet hierarchica simul et charismatica. Profecto fideles omnes baptizati uniti cum Christo capite et inter se efficiunt corpus unum connexum et compactum; haec porro organica cohaesio et coaptatio fit per iuncturas subministrationis, i. e. opera et ministerio eorum qui influxum capitalem (ἐπιχορηγία) in singula membra deferunt. Hi sunt apostoli, prophetae, pastores, doctores, qui doctrinam Christi praedicant et fidei unitatem custodiunt, sacramenta Christi administrant, sacrificium christianum celebrant et panem eucharisticum fidelibus porrigunt, unitatis christianae fontem praecipuum: quia unus panis, unum corpus multi sumus; omnes enim de uno pane participamus. Hi sunt qui suis legibus, suis praeceptis, suis ordinationibus totam conversationem christianam moderantur et unitatem disciplinarem fovent. — *Vita* demum propria corporis mystici sat clare adumbratur in nostro loco. Tria sunt huius vitae elementa constitutiva: fides,

caritas creata, caritas increata et inhabitans. Primo quidem fides (coniuncta cum spe), in qua implicatur cognitio perfecta (ἐπιγνώσις) Filii Dei, hinc et Patris. Dein caritas creata et inhaerens; etenim singuli christiani veritatem facientes, debent crescere in caritate versus Christum et Deum; hinc est quod totum corpus mysticum dicitur crescere in caritate in augmentum Dei. Demum caritas increata et inhabitans, quae est principium ultimum sive cognitionis per fidem, sive amoris per caritatem: unum corpus, unus Spiritus; hinc est quod christiani invitantur servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.

Haec tria elementa identica recurrunt in contextu remoto huius epistulae (3, 14 sq.): « Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi ... ut det vobis ... virtute corroborari per *Spiritum eius* in interiorem hominem, Christum habitare per *fidem* in cordibus vestris, in *charitate* radicati et fundati ». Haec ipsa tria elementa alibi quoque recurrunt in scriptis Paulinis. Etenim « in Christo Iesu neque circumcisio valet aliquid, neque praepotum sed *fides* quae per *charitatem* operatur » Gal. 5, 6. Fide ergo et caritate Christo adhaeremus et Christi vitam participamus. Porro « qui adhaeret Christo Domino *unus Spiritus* est » I Cor. 6, 17. Notes velim perfectam consonantiam doctrinae Paulinae cum doctrina Ioannaeva in capite 17 sui evangelii. Ubi Christus ipse vitae divinae claram notionem perhibet: « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum ». Agitur evidenter de cognitione Dei et Christi per fidem non mortuam seu informem, sed vivam seu formatam per charitatem. « Qui non diligit, non novit Deum » (I Ioann. 4, 8). Caritas porro creata et inhaerens necessario implicat caritatem increatam et inhabitantem. « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus ». Ev. Ioan. 14, 23. Si vita corporis mystici includit caritatem increatam, includet quoque necessario fructus Spiritus Sancti. Porro fructus Spiritus Sancti sunt caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, modestia, continentia, castitas » (Gal. 5, 22-23). Summatim ergo: vita corporis mystici constituitur Spiritu Christi inhabitante, gratia sanctificante, virtutibus theologicis et moralibus, donis et fructibus Spiritus

Sancti. Quis non iure miretur ubertatem simul et sublimitatem huius vitae?

Novum elementum doctrinale circa corpus mysticum supeditatur nobis a S. Paulo in hoc capite quarto epistolae ad Ephesios: duplex nempe stadium in corpore mystico accurate est distinguendum: corpus Christi in fieri — et in facto esse. Hic docemur a Paulo corpus Christi nondum esse plene aedificatum, sed continuo aedificatum iri donec attingat mensuram aetatis plenitudinis Christi: hinc consecutaria momentosa pro recta aestimatione corporis mystici. Primo quidem necessaria distinctio inter duplex stadium corporis mystici: corpus Christi inchoatum et imperfectum — corpus Christi consummatum et perfectum. At hic surgit quaestio summi momenti, summaeque gravitatis: hoc stadium consummatum seu perfectum corporis Christi estne stadium *caeleste* corporis mystici? Aliis verbis: existitne ad mentem et doctrinam Pauli corpus mysticum caeleste? Doctores catholici, non pauci nec ignobiles, passim hoc supponunt, et hac distinctione inter corpus Christi terrestre et caeleste utuntur sive ad solvendas difficultates, quae in hac materia occurrunt, sive ad ordinandas suas classificationes et divisiones membrorum in corpore mystico. Mihi res non adeo clara et facilis videtur. Ratio dubitandi inde petitur, quod tota haec metaphora corporis, membrorum ... penes Paulum ad designandam et describendam Ecclesiam Christi, est innixa similitudini, quae adest inter corpus physicum, organicum et humanum ex una parte, et corpus ecclesiasticum et mysticum ex alia parte. Haec porro similitudo in hoc a Paulo reponitur, quod sicut in corpore organico humano datur membrorum multitudo et varietas multiformis salva unitate corporis, sic etiam in Ecclesia Christi seu in corpore ecclesiastico et mystico datur membrorum multitudo et varietas, quae tamen minime destruit unitatem huius corporis. Hic est sensus clarus doctrinae Paulinae in I Cor. 12, 12 ... et in epistula ad Rom. 12, 5 sq. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores? Inde consequitur structuram corporis mystici pro Paulo esse necessario hierarchicam et charismaticam. Age iam: daturne in Ecclesia caelesti et triumphanti haec talis structura hierarchica iuridica et charismatica? Daturne aliqua alia structura com-

pagini humanae similis, quae fundamentum rationabile sup-
peditet metaphorae corporis qua utitur Paulus? Vides rem non
esse adeo planam et simplicem, sicut multis doctoribus vide-
tur. Accedit quod terminus evolutionis progressivae in effor-
matione corporis mystici a Paulo exhibetur *unitas fidei*: « do-
nec omnes occurramus in unitatem fidei ». Atqui in Ecclesia
caelesti seu triumphanti nulla est fides. His non obstantibus.
si quis putat admittendam necessario esse existentiam cor-
poris mystici caelestis penes Paulum, hic prae oculis habeat
oportet aliam esse naturam, aliam structuram, aliam exten-
sionem corporis mystici in suo stadio terreno et caelesti. To-
tus ordo hierarchicus et charismaticus: Primatus, episcopa-
tus, sacramenta, sacrificium, et si quid huiusmodi, sunt ele-
menta necessaria et essentialia cum agitur de notione corpo-
ris mystici terrestri; at haec omnia redundant et sunt incom-
possibilia cum notione corporis mystici caelestis. Quot lites
et complicationes inutiles fiunt in hac materia propter defec-
tum huius distinctionis! Maneat ergo alta mente repositum cor-
pus mysticum, de quo loquitur Apostolus, esse corpus in fieri,
non in facto esse; corpus seu aedificium nondum plene aedi-
ficatum, sed continuo aedificandum.

Tria elementa concurrunt ad hanc aedificationem. Primo
quidem elementum capitale seu Christus, ex quo dimanat tota
vita et totus dynamismus huius corporis. — Accedit concursus
hierarchicus et charismaticus, opus, inquam, seu ministerium
eorum quos Christus dedit apostolos, prophetas, evangelistas,
pastores et doctores ad aedificationem corporis ecclesiastici. —
Nec id satis; quippe necessario requiritur novus concursus ec-
clesiasticus, omnium, inquam, et singulorum christianorum,
qui cum Christo capite et ministris hierarchicis debent libere
cooperari facientes veritatem in caritate, ut corpus mysticum
continuo crescat et acquirat mensuram aetatis plenitudinis
Christi.

Influxus capitalis: Remanet determinanda natura influ-
xus capitalis. Capitalis Christi influxus nostro loco exhibetur
sub duplici formula: a) implere omnia — b) dare bona ho-
minibus. Haec porro bona non sunt omnia in eodem censu
posita, sed sunt varia et multiformia: primo quidem bona *vi-*
talia seu vivifica. Ex Christo capite derivatur in corpus mysti-

cum tota ipsius vita, inchoata per fidem, formata per caritatem, consummata per Spiritum Christi inhabitantem in nobis cum omnibus suis donis et fructibus. — Dein dona seu potestates *hierarchicae*: dedit Apostolos; hinc potestas sacerdotalis, magisterialis et regalis implicata in apostolatu hierarchico. Christus ergo caput est Christus sacerdos — Christus propheta seu Doctor — Christus rex et Dominus. — Accedunt bona *charismatica*: charisma apostolatus, prophetiae, evangelistae, pastoratus, doctoratus, quibus adduntur multa alia charismata quae recensentur in epistula prima ad Corinthios 12, 28, necnon in epistula ad Rom. 12, 6 sq. Christus caput ulterius hic exhibetur (4, 15-16) ut principium unitatis, varietatis et organicae coaptationis in corpore mystico. *Summatim*: Influxus Christi capitalis, qualis exhibetur in hoc secundo textu Paulino, est influxus vivificus, dominativus (unus Dominus), iuridicus, charismaticus, et organice unitivus.

Christus caelestis: Demonstranda demum est indoles caelestis Christi capitis. Sicut in textu priori (1, 22-23), sic etiam in hoc altero textu Christus caput apparet Christus clarificatus. Etenim 1° Christus caput est Christus *implens omnia*, seu pleroma activum (4, 10). Atqui Christus implens omnia est Christus caelestis: ascendit quippe in caelos ut impleret omnia. 2° Christus caput est Christus Dominus. Haec est formula qua hic exhibetur positio capitalis Christi in corpore mystico: Unum corpus, unus Spiritus, unus Dominus. Atqui Christus Dominus est Christus caelestis. Haec est constans Pauli doctrina: Etenim « in hoc Christus mortuus est *et resurrexit* ut et mortuorum et vivorum *dominetur* ». Rom. 14, 9. Item Rom. 7, 4: « vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut *sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit* ». At nullibi hoc solemnius effertur quam in epistula ad Philipp. 2, 8 sq. « Humiliavit semetipsum ... Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est supra omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur ... et omnis lingua confiteatur quia Dominus est Iesus Christus in gloriam Patris ». 3° Christus caput est Christus principium et fons ordinis iuridici et charismatici in corpore mystico. Atqui Christus auctor huius duplicis ordinis est Christus caelestis. Ergo ...

Comparatio utriusque textus: Examinavimus duos priores textus Paulinos de Christo capite corporis mystici. Ad maiorem rei illustrationem utile erit hos duos textus ad invicem conferre. Haec porro mutua comparatio ostendit sequentia:

1° In utroque textu apparet arcta connexio inter notionem capitis, κεφαλή, et notionem plenitudinis, πλήρωμα. Christus caput est Christus pleroma, Ecclesia corpus est Ecclesia plenitudo.

2° In utroque textu apparet Christum esse pleroma activum, ita tamen ut hic character activus clarius illucescat in secundo textu: = ut impleret omnia. In primo textu Christus pleroma est Christus vivificans membra, fideles sunt convivificati, conresuscitati cum Christo. In secundo textu Christus pleroma est Christus implens omnia, effundens sua dona.

3° In utroque textu apparet quoque Christum esse pleroma passivum sensu superius declarato; sed hic etiam character passivus clarius manifestatur in secundo textu. Ubi corpus Christi exhibetur ut continuo aedificandum donec attingat mensuram aetatis plenitudinis Christi. Haec porro aetas est illa in qua corpus Christi mysticum acquirit dimensionem extensivam et intensivam a Deo praedestinatum.

4° In utroque textu rursus apparet arcta connexio inter notionem *capitis* et notionem *Domini*. In primo textu Christus caput Ecclesiae est Christus quem Deus fecit Dominum universae creationis, cui omnia subiecit. In secundo textu positio Christi capitis in corpore mystico exhibetur hac formula: « Unus Dominus », sicut unum est corpus, et unus est Spiritus. Hic porro unus Dominus est evidenter Christus caput, ex quo totum corpus connexum et compactum haurit vim crescendi; ille qui est principium ordinis iuridici in Ecclesia.

5° In utroque textu consonanter manifestatur Christum caput esse Christum caelestem et clarificatum. In primo textu Christus caput est Christus quem Deus miranda operatione suscitavit a mortuis et ad dexteram suam exaltavit. In secundo textu Christus caput est Christus qui in caelos ascendit ut impleret omnia. Attentione dignum est quod in utroque textu et toto contextu aspectus Christi crucifixi, mortui totaliter abest.

6° In utroque textu demum clare apparet Christum caput esse Christum-hominem: divinitas evidenter praesupponi-

tur et connotatur. At ratio capitis *formaliter* adscribitur Christo-homini. Etenim in primo textu Christus elevatus ad dignitatem capitalem est Christus quem Deus suscitavit e mortuis, ad dexteram suam exaltavit. In secundo textu Christus caput est Christus qui ascendit in caelos ... Qui autem ascendit, ipse est qui descendit in inferiores partes terrae ...

Tertius textus Paulinus de Christo capite reperitur in eadem epistula ad Ephes. 5, 22 sq. Explicatio hic quoque procedit quadruplici gressu: considerabimus textum — contextum doctrinalem — influxum capitalem — indolem caelestem Christi capitis.

Textus sic sonat: « Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae: ipse salvator corporis (eius). Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo (vitae), ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ... Nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius (de carne eius, de ossibus eius) ».

Duplex variatio notanda est in textu latino: una in v. 26; altera in v. 30. In v. 26 textus latini legitur « lavacro aquae in verbo *vitae* ». At in textu graeco illud « vitae » desideratur, et simpliciter dicitur ἐν ῥήματι. Haec variatio nullum habet momentum in nostra quaestione. In v. 30 verba « de carne eius, et de ossibus eius » dubiae sunt authenticitatis, quippe quae desint in multis codicibus; cfr. apparatus criticum. At haec quoque variatio nullius est momenti pro nostro scopo.

Contextus doctrinalis: Agitur de mutuis relationibus et officiis inter virum et mulierem in matrimonio christiano. Has relationes Paulus declarat atque illustrat ex relationibus inter Christum et Ecclesiam. Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. Atqui Ecclesia est subiecta Christo. Ergo mulier quoque debet esse subiecta viro suo. Similiter vir debet amare mulierem sicut corpus suum, sicut Christus dilexit Ec-

clesiam sicut carnem suam, quia reapse membra sumus corporis eius, quod est Ecclesia.

Duo recurrunt obscura et controversa in hoc contextu doctrinali: unum in v. 26 ubi sermo est de lavacro aquae *in verbo*. De quo verbo agitur? Duplex sententia: prima interpretatur « verbum » sensu *sacramentali*. Notum est sacramenta constitui materia et forma: lavacrum ergo aquae in verbo designaret aquam ut materiam, verbum ut formam: alia sententia interpretatur « verbum » sensu *evangelico*, i. e. verbum praedicatum, cui respondet fides, quae est dispositio subiectiva ad fructum baptismi. Prima interpretatio videtur probabilior; sed non vacat ingredi in hanc quaestionem, quae pro nostro scopo indifferens est. Alterum punctum obscurum et controversum recurrit in v. 27, ubi Apostolus commemorat gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. De qua Ecclesia agitur? militanti, an triumphanti? Videtur probabilius agi de Ecclesia militanti, sin minus sensu exclusivo, at certe sensu assertivo. Profecto de Ecclesia militanti agitur in toto contextu tum antecedenti, tum consequenti. Nec obstat illud: non habentem maculam aut rugam; siquidem Paulus hic considerat Ecclesiam, qualis constituitur per lavacrum baptismale, non qualis deformatur per peccata hominum. Optima confirmatio habetur ex loco parallelo in epistula ad Titum 2, 14: « qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum ». In utroque loco agitur de Christo semetipsum in mortem tradente pro nobis ad *mundandam sibi* Ecclesiam. In priori textu Paulus adhibet vocem « Ecclesiam »; in altero, vocem populum. Populus ergo respondet Ecclesiae. Atqui vox populus significat populum Dei terrestrem. Ergo etiam Ecclesia intelligatur oportet terrestris.

Synthesis doctrinalis: Paulus docet in hac pericope: 1° identitatem inter Ecclesiam et corpus Christi mysticum, ut apparet ex v. 23 comparato cum v. 30. 2° Christum esse caput corporis mystici, quod est Ecclesia. 3° Paulus explicat notionem capitis per notionem *Salvatoris*: Christus ergo caput est Christus salvator, σωτήρ. 4° Paulus docet quoque modum quo Christus salvat Ecclesiam. Primum quidem opere redemptorio consummato in cruce; dein opere purificatorio et sanctificationis peracto per baptismum; opere demum subsequenti multi-

formi, quo Christus nutrit et fovet Ecclesiam: doctrina, sacramentis, praeprimis sacramento eucharistico, ubi continetur princeps corporis mystici nutrimentum (I Cor. 10, 17).

Influxus capitalis: Ex dictis facile determinatur qualis sit capitalis Christi influxus, prout in hoc loco exhibetur: a) *Influxus soteriologicus*, ideoque *vivificus*. Etenim Christus caput est Christus salvator: influxus ergo capitalis est influxus soteriologicus seu salvificus. Terminus seu effectus huius influxus est Ecclesia (populus Dei) purificata, sanctificata, multifariam nutrita et roborata. Quid ferat Ecclesia sanctificata per baptismum, patescit ex theologia Paulina baptismi apud Tit. 3, 4: « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae ». Influxus ergo capitalis est regenerativus, renovativus, pneumaticus. — b) *Influxus dominativus* seu iuridicus. Ratio capitis, qualis hic exhibetur, implicat evidenter notionem dominii tum in viro, tum in Christo. Mulier debet esse subiecta viro, quia vir est caput mulieris: capitalitas ergo viri implicat superioritatem seu dominationem. Similiter de Christo: Ecclesia debet esse subiecta Christo, quia Christus est caput Ecclesiae. Christus ergo caput est Christus Dominus. Influxus ergo capitalis Christi est dominativus seu iuridicus.

Christus caelestis: Remanet demonstrandum Christum caput Ecclesiae, qualis hic exhibetur, esse Christum clarificatum, id quod facile probatur.

1° Christus caput est Christus salvator. Atqui Christus salvator est Christus caelestis. Ergo... *Minor* probatur: a) Christus est salvator seu sanctificator Ecclesiae per opus redemptorium crucis, per opus sanctificatorium baptismi, per reliquum et subsequens opus sacramentale, praeprimis eucharisticum. Atqui opus sanctificatorium baptismi est opus Christi glorificati; siquidem baptismus valde probabiliter in sua existentia seu institutione, et certo certius in suo dynamismo soteriologico pendet necessario tum a morte, tum a resurrectione Chris-

ti, ut alibi ostendimus: idem dicatur de sacramento eucharistico, in quo carne Christi glorificata vegetamur. — *b*) Christus causa nostrae salutis, ἄτιος σωτηρίας, est Christus *consummatus* τελειωθείς (Hebr. 5, 9). Atqui Christus consummatus est Christus glorificatus, ut alibi late ostendimus. Christus quippe consummatur per passionem; at Christus consummatus per passionem est Christus « gloria et honore coronatus » Hebr. 2, 9-10. — *c*) Paulus in eadem epistula ad Hebr. docet 7, 24 sq. quod Christus « eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. *Unde et salvare in perpetuum potest* accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis ». Inde argumentatio facilis compendio veritatis. Christus ideo potest nos salvare quia habet sacerdotium sempiternum — Christus ideo habet sacerdotium sempiternum quia manet in aeternum — Christus ideo manet in aeternum quia surrexit a mortuis. Etenim Christus resurgens a mortuis amplius non moritur; mors ultra ei non dominabitur. Summatim: Christus causa nostrae salutis est Christus auctor nostrae redemptionis obiectivae et subiectivae. Porro sicuti Christus fit auctor redemptionis obiectivae sua passione et morte, sic fit auctor redemptionis subiectivae sua resurrectione et subsequenti glorificatione, quum fit in spiritum vivificantem: ideo est scriptum quod « traditus est propter delicta nostra, et surrexit propter nostram iustificationem ».

2° Christus caput est Christus sponsus. Atqui Christus sponsus, est Christus caelestis. Ergo ... *Maior* indubia est: Profecto relatio inter Christum et Ecclesiam hic exhibetur a Paulo duplici metaphora seu schemate: Ecclesia corpus, Christus caput — Ecclesia sponsa, Christus sponsus. Porro sicut Ecclesia sponsa est Ecclesia corpus, sic Christus sponsus est Christus caput. *Minor* non minus clare patet: etenim Christus sponsus est Christus, qui *ipse sibi* exhibet seu praesentat Ecclesiam gloriosam, ἵνα παραστήσῃ αὐτὸς ἑαυτῷ ἑνδοξὸν τὴν ἐκκλησίαν. Atqui Christus praesentans ipse sibi gloriosam Ecclesiam non est Christus terrestris et mortalis ante mortem, quia nondum Ecclesiam suo sanguine acquisierat, nec lavacro baptismi sanctificaverat; nec est Christus mortuus pendens in cruce; quis concipiat Christum mortuum praesentantem sibi mortuo Ecclesiam vivam et gloriosam! Christus ergo sponsus, qualis hic exhibetur, est evidenter Christus caelestis seu glorificatus.

Potest hic locus utiliter comparari cum alio eiusdem Pauli loco in epistula secunda ad Corinthios 11, 2: « Armulor enim vos Dei aemulatione; despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere (παρρασησαι, idem verbum ac in loco nostro) Christo ». Eadem habitudo, ac in textu nostro, hic recurrit inter ecclesiam corinthiacam sponsam et Christum sponsum; hoc tamen discrimine, quod hic paranimphus, seu qui praesentat sponsam sponso, non est Christus, sed Paulus. Videtur hoc clara alusio ad nuptias paganas: ubi triplex momentum distinguitur: praecedit lavatorium sponsae — subsequitur praesentatio sponsae iam purificatae ad sponsum per paranimphum — Accedit demum receptio seu acceptatio ex parte sponsi. Haec tria recurring identica in nuptiis christianis, i. e. Christum inter et Ecclesiam seu fideles christianos. Lavacrum baptismale — praesentatio christiani baptizati — acceptatio ex parte Christi. At in hoc mystico desponsorio christiano, ipse Christus est qui lavat et purificat suam sponsam; ipse eam purificatam sibi praesentat; ipse eam acceptat et in matrimonio coniungit; tradit ei potestatem in suum corpus eucharisticum; ipse demum eam Spiritu suo faecundat, seu dat ei semen spirituale ut possit ipsa Filiós Patri procreare. Vides triplicem hunc actum = lavandi — praesentandi — spiritualiter copulandi, esse opus Christi glorificati, quod tamen evidenter praesupponit opus meritorium crucis et mortis.

Quartus textus Paulinus de Christo capite corporis mystici reperitur in epistula ad Coloss. 1, 18-20.

Textus sic habet: « Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit (fiat) in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ».

Contextum consideremus: Agitur de mediatore inter Deum et creaturas. Mediatores non sunt angeli, sicut quidam pseudo-philosophi gnostici et iudaizantes contendebant; mediator verus est Christus: siquidem Christus est per quem Pater nos redemit, eripuit e potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii sui. Sequitur magna descriptio praecellentiae Christi. Cuius triplex habitudo exhibetur: ad Deum Patrem — ad mun-

dum cosmicum universum — ad mundum supernaturalem, mysticum et ecclesiasticum. Singula breviter perstringamus.

Habitudo ad Deum exhibetur per verbum *imago*, εἶχὼν Tria sunt de ratione imaginis secundum doctrinam Doctoris communis: similitudo — deducta vel expressa ex eo, cuius est imago — in specie vel signo speciei. Haec tria admodum verificantur in nostro casu: est quippe Christus similis Deo Patri; ideo dicitur character substantiae eius, splendor claritatis paternae, lumen de lumine, verus Deus de Deo vero. — Haec porro similitudo est expressa vel deducta ex ipsa substantia paterna; oritur quippe Christus secundum suam naturam divinam ex substantia Patris per veram generationem intellectivam, quae est operatio natura sua tendens ad exprimendam similitudinem obiecti cogniti — tertia quoque conditio verificatur in nostro casu modo praecellenti, quia agitur de similitudine in specie, i. e. in ipsa natura individua. — Christus dicitur imago Dei *invisibilis*. Notatur ergo invisibilitas naturae divinae; merito quidem: quia Deus habitat lucem inaccessibilem; quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest (I Tim. 6, 16). Fit autem Deus nobis visibilis per Christum, filium eius. « Deum nemo vidit umquam; unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ». Io. 1, 18. Quibus consonant verba ipsius Christi apud Mt. 11, 27: « Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ». Filius vero revelat substantiam paternam duplici modo: primum verbo evangelico praedicato; dein carne sua clarificata, in qua splendet et refulget gloria Patris. « Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, *in facie Christi Iesu* » (II Cor. 4, 6). Ideo Christus dicitur visibiliter venturus *in gloria Patris*. Hanc Patris gloriam in facie Christi solis instar splendente paulisper viderunt tres discipuli Iesu in monte excelso (Mt. 17, 1).

Habitudo Christi ad mundum cosmicum universum magnifice describitur in vv. 15-16: « Primogenitus omnis creaturae: quoniam *in ipso* condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia *per ipsum et in ipsum* creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant ».

Habitudo ergo Christi ad creationem universam est triplex: causae *exemplaris*: omnia *in ipso*, tamquam in vivo et perlucido Patris exemplari, condita sunt — causae *efficientis*: omnia *per ipsum* creata sunt in caelis et in terris — causae *finalis*: omnia *in ipsum*, εἰς αὐτόν, tamquam in finem condita sunt: omnia demum in ipso et per ipsum consistunt ac conservantur; et ipse dicitur πρὸ πάντων, ante omnia. Triplex ergo, primatus Christo adscribitur: chronologicus seu temporis, ontologicus seu dignitatis, iuridicus seu dominationis.

Primogenitus omnis creaturae, πρωτότοκος πάσης κτίσεως. His verbis exhibetur prima Christi habitudo ad mundum universum. De germana ipsorum significatione apud optimos quosque criticos controvertitur. Triplex sententia: *Prat* in sua Theologia Pauli (1913) I, p. 400-401; II, p. 196-197 primogenitum interpretatur sensu temporali = genitum ante omnem creaturam: significat ergo primatum temporalem, quem habet Christus ratione suae generationis aeternae. *Durand* (Recherches de Science Religieuse, 1910, p. 56-66) post accuratam indaginem significationis biblicae vocis « primogenitura », concludit primogenitum in nostra pericope significare « Dominum »; denotat ergo primatum iuridicum seu dominium, quod Christus habet in universa creatione. *Bover* in sua Theologia de San Pablo, pág. 307 sq. mediam viam ingreditur; putatque primam sententiam (*Prat*) peccare per defectum (queda corto); alteram sententiam (*Durand*) peccare per excessum (« va más allá de lo justo »). *Bover* admittit in hac Christi primogenitura, de qua Paulus, implicari primatum temporalem ad sensum *Prat*; negat vero in ea implicari *formaliter*, vi vocis, primatum iuridicum ad sensum *Durand*. At non negat in hac primogenitura, ad normam theologiae Paulinae, implicari *virtualiter* illum primatum iuridicum seu dominativum, de quo loquitur *Durand*. Nobis videtur in Christi primogenitura, de qua agitur in nostra pericope, implicari triplicem illum primatum, quem superius commemoravimus: chronologicum, ontologicum, iuridicum. Pro nostro scopo minoris est momenti quaestio quid in recto significetur voce « primogenitus », quid in obliquo connotetur.

Habitudo Christi ad mundum supernaturalem seu ad Ecclesiam exhibetur a Paulo hisce verbis: « Et ipse, καὶ αὐτός

est *caput* corporis Ecclesiae ». Positio ergo Christi in mundo supernaturali, seu in corpore mystico et ecclesiastico, est *capitalis*: Christus est caput corporis ecclesiastici. Quid significet vox « caput » explicatur in sequentibus: *Principium*, ἀρχή. Quid significat vox ἀρχή? Duplex sententia: prima interpretatur « originem », fontem corporis mystici, hinc vitae supernaturalis, qua hoc corpus vivit. Vides perfectam consonantiam huius significationis cum doctrina Paulina in epistula ad Ephes. 4, 16; ubi Apostolus exhibet Christum, ut *principium ex quo* totum corpus compactum et connexum ... augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. — Altera sententia tenet significationem huius vocis explicari in verbis sequentibus « primogenitus ex mortuis ». Christus ergo dicitur caput seu principium corporis mystici, quia est primogenitus ex mortuis, quia resurrexit ut *primitiae* dormientium. Vides hanc secundam interpretationem fere incidere in primam: etenim Christus primitiae dormientium implicat Christum fontem vitae in corpore mystico; quod enim Christus resurrexit ut primitiae dormientium a Paulo sic explicatur: per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, sic *in Christo omnes vivificabuntur* ». Suo loco ostendimus in hoc loco agi non tantum de vita corporis glorificandi, sed etiam de vitae animae iustificatae. Conferenda est haec doctrina Pauli cum doctrina principis apostolorum, qui Christum glorificatum appellat ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, principem seu auctorem vitae (Act. 3, 15). Rursus idem Petrus Christum resuscitatum et exaltatum appellat ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα: « hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua » Act. 5, 31. Ipse Paulus Christum glorificatum nominat ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας. Hebr. 2, 10; cfr. 5, 9: ubi Christus consummatus seu glorificatus dicitur causa salutis aeternae. Ex his omnibus sufficienter patet Christum caput corporis ecclesiastici vocari ἀρχή, quia est principium seu causa vitae supernaturalis in corpore mystico. Nova explicatio capitalitatis exhibetur a Paulo voce primogenitus ex mortuis, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. Vides Christo adscribi primogenituram non tantum in sua habitudine ad mundum universae creationis, sed etiam in mundo supernaturali elevationis. Quorsum tendat haec primogenitura explicatur in sequentibus: ut fiat, γένηται, in omnibus ipse primatum tenens. Paulus de-

num explicationem capitalitatis complet: « quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare ». Videtur afferri explicatio praecedentium. Tota Christi capitalitas, principalitas, primogenitura atque primatus radicem et causam ultimam habent in hac plenitudine vitali quam Deus in Christo repositam voluit.

Synthesis doctrinalis: Ditissimus est hic locus, quem sumus commentati. Vix reperietur in scriptis Paulinis ulla pericope, in qua tot elementa Christologica simul contineantur. Hic explicite docetur Christi divinitas simul et humanitas; hic magnifice describitur habitudo Christi ad Deum Patrem, ad mundum cosmicum universum, terrestrem et caelestem, ad mundum supernaturalem seu corpus mysticum; hic celebratur duplex Christi primogenitura: illa nempe quam habet in universa familia creationis ratione divinitatis (primogenitus omnis creaturae), et illa quam habet in universo mundo supernaturali ratione humanitatis clarificatae per resurrectionem (primogenitus ex mortuis); hic extollitur triplex Christi primatus tam in mundo naturali quam supernaturali: primatus inquam chronologicus, ontologicus, iuridicus; hic rursus manifestatur arcta connexio inter notionem capitis — Domini — pleromatis: quin imo et novum elementum aperitur in notione capitis implicatum = principium, ἀρχή; hic demum iterum detegitur connexio capitalitatis Christi cum gloriosa ipsius resurrectione.

Influxus capitalis: Ex his quae praenotavimus, facile apparet natura influxus capitalis Christi in corpore mystico, qualis hic exhibetur: primo quidem influxus *vivificus* seu collativus vitae, et duplicis quidem vitae: animae iustificatae et corporis glorificandi in futura hominum resurrectione. Etenim Christus caput hic exhibetur ut principium corporis mystici vivi, hinc ut princeps et auctor vitae, quae propria est huius corporis: Rursus Christus caput hic exhibetur ut primogenitus ex mortuis, ut primitia dormientium, in qua omnes demum vivificabuntur. Dein influxus Christi capitalis apparet etiam ut *iuridicus* seu dominativus, quippe qui implicat primatum Christi in omnibus.

Christus caelestis: Character caelestis Christi capitis hic palam manifestatur. Siquidem Christus caput est Christus

ἀρχή, principium; et Christus ἀρχή est Christus primogenitus ex mortuis. At hic influxus capitalis Christi glorificati evidenter praesupponit praevium influxum moralem Christi morientis in cruce, ut apparet ex v. 20: « et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans (εἰρηνοποιήσας) per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ». Nota formam aoristi εἰρηνοποιήσας, quae denotat opus pacificationis transactum et praevium operis reconciliationis, quocumque demum modo intelligatur haec reconciliatio (ἀποκαταλλάξαι). — Novo argumento rursus ostenditur indoles caelestis Christi capitis: Etenim Christus caput est Christus Dominus habens primatum in omnibus. Atqui Christus Dominus est Christus glorificatus, ut apparet manifesto ex ipso contextu proximo. Ubi notatur Christum esse primogenitum ex mortuis ἵνα γένηται, ut fiat in omnibus primatum tenens. Id iterum fit manifestum habito prae oculis contextu remoto Rom. 14, 9: « In hoc, εἰς τοῦτο, enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum *dominetur* ». Cfr. Phil. 2, 8 sq.

Quintus textus Paulinus de Christo capite legitur in Coloss. 2, 10.

Textus sic sonat: « Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis ».

Contextus habeatur prae oculis, sive proxime antecedens, sive consequens. In contextu antecedenti asseritur quod in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, σωματικῶς. In contextu subsequenti notatur quod christiani sunt « in Christo circumcisi circumcissione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis, et praeputium carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus erat chi-rographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci ». De sensu vocis « corporaliter » in v. 9 controversatur: Aliqui intelligunt corporaliter = in corpore Christi incarnato. — Alii interpretantur in corpore Christi glorificato. — Alii sumunt corporaliter = substantialiter, non mere dynamice seu per operationem. — Aliis corporaliter aequivalet voci totaliter, non partialiter. Nobis cum Cerfaux praeferenda videtur interpretatio secundo loco

proposita, ita ut *σωματικῶς* sit intelligendum de corpore Christi glorioso, *σῶμα τῆς δόξης*, Phil. 3, 21: vox inhabitare videtur insinuare hic corpus considerari instar templi; porro Christus loquitur apud Ioannem 2, 19-21, de corpore suo glorioso tamquam de templo. Tota haec quaestio minoris est momenti pro nostro scopo.

Doctrina Paulina, in hac pericope contenta, potest revocari ad sequentia: Primo quidem de Christo praedicatur divinitas, quocumque demum modo intelligas vocem « corporaliter » — Christus dein praedicatur caput angelorum; at numquam asseritur, nusquam insinuatur angelos esse membra corporis mystici: aliter ergo est Christus caput angelorum, aliter hominum — Christus hic exhibetur ut pleroma vitale activum respectu christianorum: estis in illo repleti. — Derivatio vitae ex plenitudine capitali Christi fit in Ecclesia ope baptismi — Effectus baptismi recensentur sequentes: remissio peccati — animae vivificatio seu iustificatio — corporis quoque (futura) vivificatio seu resurrectio: « in quo resurrexistis » — chirographi nobis contrarii deletio.

Capitalitas Christi hic quoque manifestatur *vivifica et iuridica*. Primo quidem vivifica; siquidem fideles christiani replentur in Christo et a Christo: fit autem ista repletio seu participatio vitae capitalis mediante baptismo in quo peccata remittuntur, et anima vere vivificatur. Capitalitas dein est quoque iuridica: christiani dicuntur repleti in illo qui est caput angelorum; capitalitas ergo Christi respectu angelorum est iuridica; capitalitas vero Christi respectu hominum christianorum est et iuridica et vivifica, quippe quae est pleromatica — sit venia verbo —; superius notavimus connexionem notionis « pleroma » et « Dominus ». Nihil ergo mirum quod hic quoque in contextu antecedenti (v. 6) Christus exhibetur ut *κύριος*. *Indoles caelestis* Christi capitis hic explicite non significatur, saltem in sententia illorum qui vocem *σωματικῶς* non interpretantur de corpore Christi clarificato; implicite tamen continetur. Profecto Christus caput est Christus in quo sumus repleti; replemur autem a Christo per baptismum; baptismum autem, sin minus in sua existentia seu institutione formali, certe in suo dynamismo vivificatorio est opus Christi mortui et redivivi. Accedit quod Christus caput hic exhibetur ut Christus pleroma activum; at Christus pleroma activum in theologia

Paulina est Christus caelestis: ascendit quippe Christus in caelos ut impleret omnia (Ephes. 4, 10).

Sextus textus Paulinus de Christo capite corporis mystici reperitur in hac eadem epistula ad Colossenses 2, 19: sonat vero sic: « Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei ».

Contextus generalis prae oculis habeatur. Paulus satagit praemunire suos lectores contra quosdam pseudodoctores. Hi pseudodoctores videntur esse philosophi — iudaizantes — ad cultum angelorum mediatorum appellantes, et sic christianos a vero mediatore Christo avertentes. Primo quidem videntur esse quidam *philosophi*; hinc primum monitum: « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. — Videntur quoque esse *iudaizantes*; hinc alterum monitum: « Nemo ergo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum; quae sunt umbra futurorum; corpus autem Christi ». — Videntur demum fuisse *cultus angelici sectatores*; hinc tertium monitum: « Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei ». Doctrinae pseudodoctorum Paulus opponit veram doctrinam = tenete potius Christum: ipse est verus mediator, Deus simul et homo, quippe in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ipse est caput omnis principatus et potestatis; ipse est rex et Dominus angelorum; ipse est caput in quo repleti estis baptisate in quo ei estis consepulti, conresuscitati, convivificati.

Contextus proximus subsequens est maximi momenti pro nostro scopo. Huc fere redit: Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quare sinitis vobis imponi dogmata: ne tangatis, ne gustetis, ne contrectetis haec alimenta, quae in usum sunt destinata, et ipso usu evanescent. Haec speciem quidem habent sapientiae, sed reapse sunt vana, et in saturitatem carnis demum vergunt. Baptismo estis non modo comortui Christo, sed conresuscitati quoque cum ipso: quae sur-

sum sunt ergo quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ... mortui estis, et vita nostra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

Synthesis doctrinalis: Textus noster est perfecte parallelus cum alio textu Paulino (Ephes. 4, 16), de quo superius egimus; hinc doctrina theologica, quae in nostra pericope continetur, fere patescit ex iis quae ibi adnotavimus: Paulus iterum expresse docet Christum esse caput corporis mystici et ecclesiastici — Paulus rursus nobis suppeditat notionem capitis. Christus est caput, principium ex quo corpus ecclesiasticum trahit unitatem, motum, vitam, augmentum — Paulus praeterea dat nobis notionem corporis mystici eiusque structuram: Ecclesia est corpus stricte unum, solide compactum, influxu capitis nutritum, vivum, crescens, structura hierarchica-charismatica ordinatum: corpus ecclesiasticum hic exhibetur subministratum et constructum per nexus ἀφῶν et coniunctiones συνδέσμων; hi nexus et coniunctiones, ut apparet ex loco parallelo (Ephes. 4, 16), sunt illi quos Christus dedit apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores ad aedificationem seu constructionem corporis mystici.

Influxus capitalis: character vivificus fit manifestus attento textu et contextu. Textus nobis exhibet Christum caput ex quo totum corpus trahit motum, vitam, augmentum. — Contextus antecedens idem demonstrat; siquidem vita nostra supernaturalis derivatur ex plenitudine capitali ope baptismi, in Christo consepelimur et convivificamur. — Contextus demum subsequens rem totam novo lumine collustrat: Christus enim caput est Christus, *vita nostra*, non certe sensu formali, quasi nos essemus iusti ipsa formaliter iustitia inhaerente Christi, sed sensu causali, quatenus Christus est auctor et causa nostrae salutis, ut dicitur Hebr. 5, 9.

Indoles caelestis Christi capitis hic iterum non obscure manifestatur. Profecto Christus caput Ecclesiae est Christus, vita nostra, seu auctor vitae nostrae; hic porro Christus exhibetur ut sedens a dextris Dei, ut Christus nunc absconditus et invisibilis, qui suo tempore apparebit.

Septimus textus Paulinus de Christo capite recurrit in epistula prima ad Corinthios, XI, 3. « Volo autem vos scire quod omnis viri caput, Christus est; caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus ». En novam affirmationem de Christo capite. Christus dicitur caput viri, non sensu exclusivo, quasi non foret caput mulieris. Christus est caput tum viri, tum mulieris, hoc tamen discrimine, quod inter Christum caput et mulierem, adest media capitalitas viri respectu mulieris. Quid ferat notio capitis hoc in loco, apparet ex contextu. Paulus docet fideles ordinem tenendum in conventibus publicis liturgicis: « Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro.* Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum ».

Ex hoc contextu apparet significatio capitis in nostro textu. Velum est signum subiectionis. Ablatio veli est signum reiectae subiectionis et effrenatae libertatis. Capitalitas ergo viri significat dominationem et superioritatem viri respectu mulieris, sicut capitalitas Christi respectu viri significat ipsius superioritatem dominativam. Id ipsum fit manifestum ex comparatione textus nostri cum alio textu quadantenus parallelo, quem superius consideravimus Ephes. 5, 22. « Mulieres viris suis subditae sint, *quoniam* vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae ». Textus ergo noster egregie confirmat et illustrat notionem *influxus iuridici* in notione capitis implicatam, quam in aliis textibus toties a Paulo assertam vidimus. De influxu *vivifico* Christi capitis in hoc loco nihil, saltem explicite, contineri videtur: item de indole caelesti Christi capitis hic nihil insinuat.

CAPUT QUARTUM

DE CHRISTO CLARIFICATO DATORE SPIRITUS IN CORPORE MYSTICO

Egimus de Christo capite Ecclesiae. Tria inde constant: 1° positionem Christi in corpore mystico esse vere capitalem — 2° capitalem Christi influxum pertinere ad ordinem vitalem et iuridicum — 3° Christi capitalitatem eiusque plenum exercitium proxime fundari in gloriosa eius resurrectione et clarificatione. Porro inter capitales Christi influxus vivificos eminent suo momento theologico largitio Spiritus Sancti, quod est donum princeps et characteristicum in corpore mystico. De hoc ergo influxu uberius et accuratius agere operae pretium duximus; inde nova luce illucescet indoles caelestis Christi capitatis. Accedit quod hisce ultimis annis germana traditio de Christo clarificato datore Spiritus, obscurari ac deformari incepit, praeprimis apud nonnullos Encyclicae « Mystici Corporis » commentatores, qui ad integram Encyclicae doctrinam minus attendentes, in quosdam scopulos inciderunt. Audiantur aliqui ex his commentatoribus:

Fr. Grivec, in Universitate Lubiana Theologiae Professor, in suo noto commentario documenti Pontificii scribit: « Quidam theologi affirmabant Ecclesiam adventu Spiritus Sancti in die Pentecostes institutam esse. Quam sententiam Encyclica corrigit et valde eloquenter demonstrat Spiritum Sanctum iam in morte Christi in cruce abundanter super Ecclesiam effusum esse una cum institutione Novi Testamenti, quamquam nondum signis et miraculis tam manifestis sicut in die Pentecostes ».

T. Leite-Penido eandem doctrinam proponit in suo recenti opere « O corpo mistico ». Quin imo, Penido contendit hoc punctum doctrinale de Spiritu Sancto in cruce effuso in Ecclesiam esse a Pio XII ex cathedra definitum: « Se é verdade que o Corpo Mistico não pode existir formalmente sem estar animado por sua alma, o Espírito Santo, e também ver-

dade que ja no Calvário foi a Ygreja enriquecida daquela abundantissima comunicação do Espirito ».

J. Salaverri ad hanc doctrinam accedere videtur scribens (de Ecclesia Christi, n. 152): « Consummata igitur in cruce dicenda esse videtur Ecclesia, non solum considerata absolute et est supernaturalis Dei domus supra Christum ut fundamentum primum et principale et proprium aedificata, vel prout est corpus morale Christo ut capiti primario, principali et proprio unitum, atque ideo *α Spiritu Christi animatum et vivificatum* ». Notandum quod hi tres auctores rem nostram valde breviter et leviter pertractant.

S. Tromp aliter interpretatur Encyclicam: dum enim commentatur n. 30 huius documenti in quo agitur de illa uberissima Spiritus communicatione qua Ecclesia ditata est, scribit: « Non agitur hic de *actuali* effusione charismatum, sed de communicatione Spiritus, prout ut fons charismatum opponitur Spiritui Sancto, ut fons erat donorum veteris foederis, quod patet ex sequentibus ». Fit ergo distinctio inter communicationem Spiritus *cum actuali effusione donorum*, et communicationem Spiritus sine actuali effusione donorum. Eo ipso concedi videtur communicationem Spiritus cum actuali effusione donorum et gratiarum esse opus Christi gloriosi et clarificati. Et hoc est quod reapse in Encyclicam docetur in contextu proximo antecedenti, n. 29: « per crucis victoriam in immensum nobis auxit thesaurum illum gratiarum, quas *gloriosus regnans in caelo, membris suis* mortalibus nulla intermissione *elargitur* ». Quibus perfecte consonant quae Encyclicam tradit in contextu consequenti, n. 54: « Hunc Spiritum proprio effuso cruore Christus nobis *in cruce promeruit*; hunc denique super Apostolos eflans, Ecclesiae ad peccata remittenda *largitus est* ». Fit rursus distinctio inter actum *merendi* in cruce consummatum, et actum *largiendi*, qui gloriosam resurrectionem consequitur. Cfr. Tromp, « Litterae Encyclicae », nova editio, 1948, pag. 98-99. Quomodo sit intelligenda communicatio Spiritus sine actuali effusione donorum mihi non sufficienter liquet. Ad hoc intelligendum forte iuvare possint quae ipse auctor scribit in p. 96-97 eiusdem operis: « Morte Christi *Lex evangelica sancitur* pro universo mundo, ideoque

exoritur Ecclesia catholica qua talis ... Morte Christi Spiritus Sanctus ut fons donorum et charismatum recedit a populo Israëlitis ut fecundet Ecclesiam catholicam, *in cruce sancitam* ». Videtur ergo agi de communicatione Spiritus *sensu iuridico* intelligenda, cum vix possit concipi actualis et formalis seu effectiva communicatio Spiritus Sancti sine actuali communicatione donorum et gratiarum (?). Quidquid sit de hac re, nostra praesens quaestio est de Christo clarificato donatore Spiritus corpori mystico cum actuali effusione donorum et charismatum. Vides ergo ultimam positionem Tromp in hac quaestione non multum a nostra differre.

De notione Spiritus apud Paulum ceterosque N. T. Sacros Scriptores.

Vox *Pneuma* recurrit frequentissime in Sacra Scriptura, praecipue apud Paulum. Praedicatur vero tum de homine, tum de Deo, et quidem significatione varia et multiformi. Primo quidem

De homine: Potest *primo* significare animam humanam sine ulla oppositionis idea. Sic in I Cor. 2, 11: « Quis hominum scit ea quae sunt hominis, nisi spiritus qui in ipso est? »

Potest *secundo* significare partem spiritualem hominis, prout oppositam corpori. Sic rursus in eadem epistula 5, 3: « Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est ... congregatis vobis et meo spiritu ... tradere huiusmodi satanae ». Similiter in epistula Iacobi 2, 26: « Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est ».

Potest *tertio* significare partem spiritualem hominis, prout oppositam carni. Sic Christus dicitur in epistula prima Petri 3, 18: « Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu ». Similiter apud Mt. 26, 41: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma ». Similis oppositionis idea saepe alias recurrit, ut quum dicitur: caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ... Potest *quarto* significare partem spiritualem et superiorem hominis prout oppositam corpori et animae. Sic in epistula prima ad Thessal. 5, 23: « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur ». Similiter in I Cor. 14, 14-16:

« Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est ... Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente ». Potest *quinto* significare tendentiam bonam animae, prout oppositam tendentiae malae. Sic in epistula ad Rom. 8, 4 sq.: « ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem ambulant, quae carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax ».

Potest *sexto* significare animas separatas a corpore. Sic in epistula prima Petri 3, 19: « In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe ».

Potest *septimo* significare animam hominis Spiritu Sancto vivificatam. Sic in epistula ad Rom. 8, 10: « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem ».

Potest *octavo* significare charismata spiritualia a Spiritu Sancto homini christiano communicata. Sic in epistula prima ad Cor. 14, 12: « Sic et vos quoniam aemulatores estis spirituum, ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis ». Et haec quidem valent de significatione vocis « spiritus » praedicatae de homine.

De Deo: Vox pneuma, praedicata de Deo, potest rursus varias significationes habere.

Potest *primo* significare naturam spiritualem divinitatis. Sic in evangelio Ioannis 4, 24: « *Spiritus est Deus*; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare ».

Potest *secundo* significare intellectum (aut conscientiam) divinum. Sic in epistula prima ad Cor. 2, 11: « Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei ».

Potest *tertio* significare Spiritum Dei homini communicatum. Sic in epistula ad Rom. 8, 16: « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei ... Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ».

Potest *quarto* significare tertiam personam Sanctissimae Trinitatis. Sic in noto et celebrato toties loco evangelico Mt. 28, 19: « Euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ». Similiter in epistula secunda ad Cor. 13, 13: « Gratia Domini nostri Iesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis ».

Nota: Dedimus varias significationes vocis « spiritus » in scriptis inspiratis Novi Testamenti. Saepe est difficile determinare utrum Spiritus sumatur sensu personali, an non; num agatur de Spiritu increato, an de donis creatis ... Hisce ergo notatis et praestabilitis, veniamus ad nostram quaestionem de Christo clarificato largitore Spiritus in Corpore Mystico.

Primus textus, vere fundamentalis, reperitur in Evangelio Ioannis 7, 37-39: « In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: *nondum enim erat (datus) Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus* » (ἐδοξάσθη). Tria notanda veniunt:

1° Duplex lectio probabilis huius textus datur: prima recurrit in textu latino quem exscripsimus; ubi flumina aquae vivae dicuntur exire de *interiori credentis*: alia datur lectio, in qua punctuatio diversa est: Si quis sitit, veniat ad me. Et bibat qui credit in me; sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent. Ubi flumina aquae vivae dicuntur procedere de *interiori Christi*. Nostri argumenti efficacia non pendet ab hac controversia; hinc supersedemus ab ulteriori disquisitione.

2° In versu 39 textus originalis graeci non legitur vox « datus », quae recurrit in textu latino, οὐπω γαρ ἦν πνεῦμα; at recte suppletur in versione latina; quia agitur de Spiritu quem *accepturi erant credentes in Iesum*.

3° Quid significet vox pneuma patet ex contextu, nempe Spiritum Sanctum cum suis donis: item apparet quid significant flumina aquae vivae; sunt nempe haec bona gratiae sanctificantis et vivificantis, id quod bene illustratur his quae dixerat Christus in suo colloquio cum muliere Samaritana Io. 4, 13-14. « Omnis qui bibit ex hac aqua (materiali), sitiet ite-

rum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ».

Conclusio: Habemus hic primam et sollemnem Scripturae affirmationem de Christo *glorificato* datore Spiritus fidelibus corporis mystici. Fautores tamen sententiae contrariae non acquiescunt: notant totam hanc argumentationem esse innixam falso supposito. In nostra argumentatione praesupponitur glorificationem Iesu, de qua loquitur evangelista v. 39, esse intelligendam de Christi resurrectione eiusque consequenti clarificatione. Atqui haec suppositio est falsa: Patres enim interpretantur praefatam glorificationem Iesu non de Resurrectione, non de Ascensione, sed de morte et crucifixione. Tromp oportune commemorat testimonia Didymi Alexandrini., I. Chrysostomi et Cyrilli Alexandrini scribens:

« Did. Alexandrinus, de Spir. Sancto 33: MG 39, 1063: « Ante adventum dominicae passionis non erat datus hominibus Spiritus Sanctus, evangelista dicente: Non erat cuiquam Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, glorificari dicens mortem gustare pro cunctis ». *Chrysost.*, S. Pent. hom. I, 3: MG 50, 457: « Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Quoniam enim nondum erat crucifixus, non erat Spiritus Sanctus in hominibus datus. Illud enim *glorificatus* idem valet quod *crucifixus* ... Quoniam nondum fuerat crucifixus Christus, reconciliatio nondum facta fuerat; non iam facta reconciliatione merito neque Spiritus S. mittebatur »; idem Chrysostomus in illud: Pater, si possibile 2: MG 51, 35: « *Gloriam* esse crucem, audi quomodo testetur evangelista dicens: Nondum enim erat datus Spiritus Sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Horum autem verborum haec est sententia: Nondum erat data gratia, quia nondum erat extinctum Dei erga homines odium: quod nondum Christus ad Crucem processisset ». Idem In Ioh. 51, 2: MG 59, 284: « Nondum erat Spiritus Sanctus, i. e. datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, gloriam appellans Crucem ... Oportebat prius pro nobis offerri sacrificium, et inimicitiam in carne solvi, nosque Dei amicos effici, et tunc donum accipere ». — Eodem sensu *Cyrillus Alexandr.*, in Ioh. 12, 27: MG 74, 91: « Quod vero evangelista alibi (i. e. non solum Ioh. 17, 1) *gloriam* Crucem appellat, doceris ex eius verbis: Nondum erat

Spiritus Sanctus, quia nondum Iesus clarificatus erat, in quibus manifeste *crucifixum* esse *clarificatum* dicit ».

Conclusio: Primus textus biblicus a nobis allatus ex Io. 7, 39 pro nostra thesi de Christo clarificato datore Spiritus, nedum probet eam, potius ostendit thesim contrariam. Patres enim interpretantes glorificationem Iesu de crucifixione et morte ipsius, potius supponunt Spiritum Sanctum fuisse corpori mystico communicatum in ipsa hora mortis Iesu.

Nequit huic difficultati aptum responsum suppeditari sine praevia et seria inquisitione in doctrinam Patrum qui obiiciuntur. Peracti examinis fructus erit nostrae theses nostraeque argumentationis non obscuratio aut ulla infirmitas, sed egregia ipsius collustratio et corroboratio. Singulos tres Patres obiectos examinemus.

Didymus Alexandrinus: Duae quaestiones examinandae occurrunt: prima et principalis quaestio est *de tempore collocationis Spiritus*; altera *de sensu glorificationis* Iesu in textu Ioannaeo. *Prima quaestio*: Estne verum Didymum interpretatum esse locum Ioannaicum (7, 39) de Spiritu Sancto dato fidelibus in ipsa hora mortis Christi? Responsum huic quaestioni habemus in ipso textu obiecto integre exhibito. En verba Didymi: « ante adventum Dominicæ passionis non erat datus Spiritus Sanctus hominibus, evangelista dicente: Non erat cuique datus Spiritus, quia Iesus necdum erat glorificatus. Glorificari dicens Iesum, mortem gustare pro cunctis. *Itaque post resurrectionem* apparens discipulis suis et insufflans in faciem eorum. Accipite, inquit, Spiritum Sanctum: et rursum; accipietis virtutem Spiritus Sancti venientis super vos ». Verba clara et perspicua nimis, quae obiicientem, proh dolor!, prae-terfugerunt.

Secunda quaestio est de sensu clarificationis Iesu in textu Ioannaeo: Didymum intellexisse hanc glorificationem de morte Iesu, est evidens: sed surgit quaestio: intellexit Didymus glorificationem *consummatam* in cruce? an potius glorificationem *inchoatam* in Cruce, *consummatam* in Resurrectione et Ascensione Domini? Clarum huic quaestioni responsum dabit nobis ipse Didymus in opere De Trinitate, l. 3, c. 34 MG 39, 959. Ubi Didymus hunc locum Ioannaicum (7, 39) ex professo commentatur. En eius verba: « Illa verba »: « Iesus nodum glori-

ficatus fuerat », *hoc sibi volunt*: nondum passus erat, *nec resurrexerat*, nec semel cum semetipso mortuorum multitudinem excitaverat, *nec in caelum assumptus fuerat* ». Verba rursus perspicua, quae obiicientem rursus praeterfugerunt.

Cyrillus Alexandrinus: Positio Cyrilli in nostrā quaestione clare apparet ex his quae scribit in suo fuso et accurato commentario in hunc Ioannis locum evangelicum: MG 73, 750 sq. Locus integer citari deberet; sed longior est quam ut hic possit transferri totus. Dabimus rei summam sextuplici gressu procedentem.

1° Primum proponitur difficultas: Quomodo asserit Ioannes nondum esse datum Spiritum ante Christi glorificationem, cum sit evidens Spiritum Sanctum adfuisse in Prophetis Antiqui Sacramenti? Ergo quaerendum potius est *quomodo in eis non fuerit Spiritus Sanctus*.

2° Explicatur sic: Deus initio creationis concessit Spiritum Sanctum universo generi humano in suo protoparente Adamo. Peccante Adamo, recessit Spiritus ab humanitate.

3° Optimus Deus voluit rursus dare suum Spiritum humanitati per suum Filium incarnatum. Primum ergo datur ipsi Christo, qui accepit Spiritum non tam sibi, quam nobis communicandum. Communicavit porro Spiritum post suam e mortuis resurrectionem. « Datus est itaque nobis renovans Spiritus, sanctus videlicet, aeternae causa vitae, postquam Christus glorificatus est, *hoc est, post resurrectionem*, cum diruptis mortis vinculis omni corruptione maior apparuit, revixitque totam habens in seipso naturam, secundum quod homo erat, et unus ex nobis » (73, 755).

4° Quaeritur quare post, et non ante resurrectionem communicatus sit Spiritus. Respondetur sic: nequit planta vivificari ante radicem, nec fructus possunt consecrari ante primitias. Atqui Christus factus est radix novae humanitatis et primitia novi frugis per resurrectionem. En verba S. Doctoris: « Porro curiosius inquirens causam cur post resurrectionem non ante effusus est Spiritus, illud rursus audies: Primitiae renovatae naturae Christus tunc factus est, cum spretis mortis vinculis, excitatus est a mortuis. Qui ergo consentaneum esse potest ut ante ipsas primitias vivificarentur qui post eas erant? Qua enim ratione numquam planta e terra pullulabit,

nisi radix primum enata fuerit, nam inde principium habet succrescendi » (ibid.).

5° Hisce praemissis, respondetur ad propositam quaestionem: Spiritum Sanctum fuisse in Prophetis admodum illuminantis et praelustrantis futura et occulta, *non vero per modum inhabitantis et hospitantis*, qualis reperitur in filiis Novi Testamenti post resurrectionem Christi. Unde concluditur ad singularem ipsorum dignitatem, secundum quam minimus in Regno caelorum seu in N. T. baptizatus, est maior maximo in A. T., qualis fuit Ioannes Baptista. Verba Cyrilli sunt sequentia: « In sanctis quidem prophetis velut uberem quamdam illuminationem et praelustrationem fuisse Spiritus, quae dirigere posset ad futurorum comprehensionem, et occultorum notitiam; in iis vero qui credunt in Christum, non simpliciter illustrationem Spiritus esse censemus, sed ipsum Spiritum inhabitare penitus et hospitari confidimus. Unde iure quoque templa dicimur; cum nullus sanctorum prophetarum Dei templum appellatus sit umquam » 73, 758.

6° Unde haec conclusio finalis perhibetur: « Cum ergo divinus evangelista nobis ait: Nondum erat datus Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus, *integram perfectamque in hominibus Spiritus habitationem* eum significare colligamus » 73, 759.

Conclusio: Ex hoc primo loco tria clare colliguntur: a) Cyrillus docet glorificationem Iesu, de qua agit Ioannes (7, 39) esse non crucifixionem aut mortem Christi, sed gloriosam ipsius e mortuis resurrectionem. — b) Cyrillus docet Spiritum Sanctum fuisse datum humanitati, non in hora mortis Christi, sed post eius resurrectionem. — c) Cyrillus docet praeterea rationem, quare Spiritus non fuerit datus nisi post resurrectionem, in eo esse, quod Christus in resurrectione et per resurrectionem factus sit primitiae dormientium, et radix novae humanitatis, id quod nos hodie diceremus caput corporis mystici. Advertas perfectam consonantiam doctrinae Cyrillianae cum doctrina Paulina ad Coloss. 1, 18: « Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis ».

Eadem doctrina proponitur a Sancto Doctore, dum explicat verba Christi ad Mariam Magdalenam: « Noli me tangere » Io. 20, 17: « Nonne ergo Mariam oportebat a tangendo sacro corpore arceri, cum Spiritum Sanctum nondum acceperit? Ta-

metsi enim Christus excitatus erat a mortuis, *nondum tamen Spiritus datus erat humanitati* a Patre per Ipsum. Reversus enim ad Deum ac Patrem demisit nobis eum ».

Eadem invariabiliter doctrina recurrit apud Cyrillum, dum quaerit quare circumcisio fieret octava die: « Igitur octava die fit circumcisio propter resurrectionem Christi, neque ante octavam; *non enim ante resurrectionem datus est Spiritus*, sed post ipsam, sive in ipso resurrectionis tempore, cum suis quoque discipulis insufflavit et dixit: Accipite Spiritum Sanctum ».

Qua ratione et quo sensu Cyrillus crucem et mortem appellaverit *gloriam* in loco allegato a nostro obiiciente, apparet ex his quae alibi scribit (MG 74, 83): « Vita ipsa mortem pro omnibus pertulit, ut omnes in eo viveremus. *Propterea enim suam gloriam vocat mortem*. Et quamvis esset semper glorificatus ab Angelis in caelo, attamen *crux* ei tamquam Deo consequendae in terra apud gentes *gloriae initium fuit* ». Item alibi: « Et fuit illi (Christo) *pudendum et inglorium pati*; sed postquam templum suum excitavit de insolito mortis genere, et corruptelam devicit, passionis ignominia et excessus e vita turpido posteriori successu deletae fuerunt, et *clarificatus est per resurrectionem* ».

Nota: Auctor obiectionis, re melius considerata, mutavit sententiam priorem, et in extremum oppositum devenit scribens: « S. Cyrillus hac in re vel audacius procedit. Etenim in Ioannem 7, 39 asserit merita Christi Sanctis Veteris Testamenti non fuisse applicata nisi post mortem Christi. In Veteri Testamento Spiritum Sanctum datum fuisse ut fontem *charismatum*, non vero in remissionem peccatorum. Id enim non accidisse ante diem Pentecostes, si excipis Apostolos iam prius sanctificatos ». Cfr. Tromp, Corpus Christi, quod est Ecclesia, 1946, p. 196.

I. Chrysostomus: Positio Chrysostomi in nostra quaestione patet primo ex his quae disserit in suo commentario in nostrum locum Ioannaeum 7, 39; sic enim scribit: « Haec autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat datus Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Quomodo ergo prophetae prophetaverunt, et innumera edidere miracula? Apostoli enim non Spiritu, sed eius virtute daemonia eiecerunt, ut ipse dicit: Si ego in Beelzebub eiicio daemo-

nia, filii vestri in quo eiiciunt? Hoc autem dicebat significans non omnes Spiritu ante crucem, sed eius virtute eiicere daemonia. *Cum ergo illos missurus erat*, tunc dixit: Accipite Spiritum Sanctum: ac rursus: Venit in eos Spiritus Sanctus, tunc signa faciebant. Cum autem *missit illos*, non dixit: dedit eis Spiritum Sanctum; sed dedit eis potestatem, dicens: leprosos mundate, daemonia eiicite, mortuos suscitare; gratis accepistis, gratis date (Mt. 10, 1 et 8). Prophetis autem in confesso est apud omnes Spiritum Sanctum esse datum; sed gratia illa contracta erat et avulsa, atque in terra desierat ab illa die, qua dictum fuit: relinquitur vobis domus vestra deserta (23, 38). Et ante illum diem iam rarior esse caeperat. Nullus apud ipsos propheta erat. Cum igitur Spiritus Sanctus iam ablatum esset, futurumque esset, ut largius effunderetur; *cuius doni principium post crucem* fuit, non abundantius modo, sed etiam cum maioribus charismatibus, mirabilius enim donum fuit, ut cum dicit, nescitis cuius Spiritus sitis (Lc. 9, 55), et iterum: non enim accepistis Spiritum servitutis, sed accepistis Spiritum adoptionis (Rom. 8, 15). Nam veteres illi quoque Spiritum habebant, sed aliis non dabant; apostoli vero innumeros illo replebant: quoniam ergo illam gratiam accepturi erant, nondum enim data erat, ideo ait: Nondum erat Spiritus Sanctus. *De hac ergo gratia* evangelista dicebat: Nondum enim erat Spiritus Sanctus, nempe datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, gloriam appellans crucem ».

Synthesis: I. Chrysostomus in hoc commentario distinguit inter haec duo: habere *potestatem* Spiritus — et habere *ipsum Spiritum*: Rursus distinguit inter haec: Habere Spiritum *perfecte* — et habere Spiritum *imperfecte*. Quo posito, sic decernit: 1° Ante mortem Christi apostoli non habebant ipsum Spiritum, sed potestatem Spiritus. 2° Prophetae A. T. habebant ipsum Spiritum, sed imperfecte. 3° Apostoli post mortem *et resurrectionem* Christi habuerunt Spiritum Sanctum modo abundantiori et nobiliori. Apostoli praeterea habuerunt potestatem communicandi aliis Spiritum, id quod Prophetis illis non fuit concessum.

II. Chrysostomus rursus distinguit inter duas Christi missiones: unam iam factam (Mt. c. 10), quae fuit prima discipulorum missio, — et alteram futuram (cum missurus erat) in ipso die Resurrectionis (Io. 20, 21). Porro Chrysostomus ex-

plicite fatetur Spiritum Sanctum fuisse Apostolis datum *prima vice* in hac secunda missione, i. e. in die Resurrectionis, communicatum.

III. Chrysostomus aperte fatetur glorificationem Iesu, de qua agitur in textu Ioannaes (7, 39), esse Crucem. Remanet examinandum num crucem intelligat gloriam iam consummatam, an potius gloriam *inchoatam* in cruce, *consummandam* post resurrectionem et Ascensionem. Porro asseri fidenter potest Chrysostomum hoc loco loqui de gloria inchoata quidem in Cruce, consummanda post Resurrectionem. En magnifica et explicita Chrysostomi testimonia: Primo quidem in suo commentario in Mt. homil. IX, MG 57, 197 scribit: « Oportebat enim immolari agnum, et peccatum deleri, inimicitiam solvi, sepulturam succedere *et resurrectionem, et postea Spiritum Sanctum advenire*. Quinque ergo facta debebant praecedere adventum Spiritus Sancti: agni immolatio, delictio peccati, inimicitiae solutio, Christi sepultura, resurrectio Christi.

Novam lucem affert commentarius Chrysostomi in verba Ioannis (13, 22): « Et nunc statim clarificabit ». « Sol namque obscuratus est, petrae scissae sunt, velum quoque scissum est, *corpus surrexit, et post quadraginta dies Spiritus datus est* ».

Magnifica tertio sunt quae alibi in rem nostram scribit MG 50, 456: « Natura nostra ante decem dies ad regium thronum ascendit (die Ascensionis), et *hodierno die* (Pentecostes) Spiritus Sanctus ad naturam nostram descendit; primitias nostras Dominus in caelum evexit, et Spiritum Sanctum demisit ... Nondum decem dies elapsi erant, ex quo Christus ascenderat, et spiritualia nobis dona misit reconciliationis illius munere ». Quibus perfecte consonant quae alibi scribit MG 60, 20: « Alioquin oportebat *in caelo comparere nostram naturam, et perfectam reconciliationem fieri, ac tunc venire Spiritum, puramque percipi voluptatem* ».

Conclusio: Primum argumentum biblicum pro nostra thesi de Christo clarificato datore Spiritus ex evangelio Io. 7,39 manet firmum, immotum. Obiectiones allatae ex doctrina Didymi, Cyrilli Alexandrini et I. Chrysostomi, nedum illud obscurant aut enervent, clarificant potius et egregie corroborant. Caeterum qualiter ipse Ioannes evangelista intelligat glorificationem Iesu (ἐδόξασθη) de qua loquitur in 7, 39, clare apparet ex his quae scribit in capite 12, 16: « Haec non cognoverunt di-

scipuli eius primum, sed quando *glorificatus est Iesus* (ἔδοξάσθη Ἰησοῦς), tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo ». Manifestum est quod haec recordatio, et haec intelligentia Scripturarum non fuit facta durante triduo mortis, sed post Christi resurrectionem.

Secundus textus biblicus pro re nostra reperitur in eodem evangelio Io. 16, 17: « Expedi vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos ». Textus clarus, qui vix indiget ulla explicatione. Agitur de Christo abeunte non in crucem, sed ad Patrem in caelis, ut clare apparet ex contextu praecedenti: « Et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me quo vadis ». Duplici modo effertur necessitas clarificationis Christi in sua Ascensione pro mittendo Spiritu: negative et positive. Primo negative: si non abiero, Spiritus non veniet ad vos: positive; si abiero, mittam eum ad vos. Hic textus, et thesim nostram ex sese demonstrat, et textum priorem clarificat: Spiritus fidelibus dandus, est Spiritus a Christo mittendus; necessaria porro conditio huius missionis erat praevia Christi clarificatio et exaltatio ad dexteram Patris.

Tertius textus legitur rursus in Ioanne 20, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec quum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ». Notum est haec sollemnia verba fuisse a Christo pronuntiata in ipso die Resurrectionis, quum prima vice apparuit apostolis collective spectatis. Argumentum est nimis clarum. Christus mittens apostolos (missio iuridica) eisque Spiritum communicans (missio pneumatika) ad remittenda peccata membris corporis mystici, est Christus, non pendens in cruce, sed per Resurrectionem glorificatus.

Quartum textum, vere egregium, dabit princeps apostolorum Petrus in Act. Apost. 2, 32-33: « Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus accepta, effudit hunc, quem vos videtis et auditis ». *Quaestio praevia*: In textu recurrit *promissio Spiritus Sancti*, ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος. Porro aderat du-

plex promissio: una Patris per Prophetas; alia Christi ad discipulos. De qua promissione agitur in nostro textu? De prima, an de secunda? Num forse de utrâque? Habitis prae oculis tum iis quae dicuntur in c. 1, 4: « sed expectarent promissionem Patris », tum iis quae praemittuntur ab ipso Petro 2, 16-17 ubi appellatur ad prophetiam Ioel, probabilius videtur in textu nostro agi de promissione prima: quidquid sit de hac interpretatione, tota haec quaestio est indifferens pro nostro scopo. Maioris est momenti notare in hoc textu clare affirmari: a) Christum receptorem Spiritus promissi esse Christum clarificatum. — b) Christum effusorem Spiritus esse Christum exaltatum. — c) Hanc effusionem Spiritus esse illam effusionem largam et opulentam a propheta Ioel praedictam et promissam pro novissimis temporibus i. e. pro Ecclesia Novi Testamenti. Nequit ergo asseri terminum a quo huius largioris effusionis esse horam mortis Christi. Iuvat demum advertere hanc opulentam effusionem pneumaticam factam in die Pentecostes non esse restringendam ad illos 120 viros reclusos in caenaculo, sed modo invisibili fuisse protensam ad totam illam turbam (animae circiter tria millia) illo die collectam et baptizatum iuxta promissa Petri: « Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti ».

Quintus textus est Pauli in epistula prima ad Cor. 15, 45: « Factus est primus homo Adam in animam viventem, secundus Adam in spiritum vivificantem ». De hoc textu superius egimus. Breviter ergo colligimus quae ibi tractavimus. Paulus distinguit duplex corpus: unum psychicum seu animale; alterum pneumaticum seu spirituale. — Corpus psychicum est infirmum, ignobile, mortale; corpus pneumaticum est dynamicum, splendidum, immortale — Corpus psychicum trahimus ex primo Adamo; corpus pneumaticum trahimus ex secundo Adamo. Porro primus Adam factus est in animam viventem = habentem corpus vivum psychicum; secundus Adam factus est in spiritum vivificantem = habentem corpus pneumaticum, vivum et vivificans. — Iamvero Christus factus est in spiritum vivificantem in resurrectione et per resurrectionem. Profecto corpus pneumaticum est immortale; atqui Christus ante resurrectionem habuit corpus mortale. Christus ergo pneumaticus

est Christus resuscitatus, primitiae dormientium, in quo omnes vivificabuntur.

Unde argumentum: Christus, factus in spiritum vivificantem, est Christus dator Spiritus, cum non nisi per Spiritum vivificet (Io. 6, 63 — Rom. 8, 11). Atqui Christus, factus in spiritum vivificantem, est Christus resuscitatus. Ergo Christus, largitor Spiritus in corpore mystico, est Christus clarificatus.

Sextus textus in epistula ad Rom. 1, 3-4: « Qui factus est ex semine David secundum carnem; qui praedestinatus — ὁρισθέντος — est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, πνεῦμα ἁγιοσύνης, ex resurrectione mortuorum, Iesu Christi Domini nostri ».

Hic textus obscurus est, et laboriosam habet interpretationem; nihilominus operae pretium ducimus illum accuratae crisi subiicere. Recte monet Lagrange (in h. l.) clavim rectae interpretationis reperiri in verbis illis (v. 3) « de Filio suo », qui constituit obiectum vel subiectum circa quod versatur evangelium a Deo promissum. Filius porro Dei hic exhibetur in duplici stadio: primo antecedente Incarnationem; altero eam consequente. Sed Filius Dei incarnatus exhibetur in duplici rursus stadio: primo antecedente resurrectionem κατὰ σαρκά (in infirmitate); altero subsequente resurrectionem, κατὰ πνεῦμα, in virtute (ἐν δυνάμει).

Distinguamus in hac pericope ea quae sunt clara et communiter admissa, ab his quae sunt obscura et in controversiam vocata. Clara et certa est significatio primae partis: Filius Dei dicitur factus ex semine David secundum carnem. Ex semine David evidenter significat Filium Dei secundum naturam humanam esse filium David. « Secundum carnem »: Caro sine ullo dubio significat naturam humanam integram, non partem tantum corpoream, sicut quum dicitur: Verbum caro factum est. Nec caro hic sumitur sensu morali peiorativo, sed sensu physico, utique implicante infirmitatem, debilitatem, formam servi. Obscura et controversa est significatio secundae partis. Singulas particulas controversas examinemus:

Praedestinatus = ὁρισθέντος : Triplex sententia: Prima S. Thomae, aliorumque intelligit ὁρισθέντος = *praedestinatus* sensu theologico. Opinio iam antiquata et obsoleta: praedestinatus graece non dicitur ὁρισθέντος, sed προορισθέντος

— Secunda sententia interpretatur ὁρισθέντος = declaratus, manifestatus: unde sensus foret divinitatem Christi, valde obscuratam tempore vitae mortalis, fuisse palam manifestatam per resurrectionem ex mortuis. Sic Chrysostomus, et partim S. Thomas — Tertia sententia interpretatur vocem ὁρισθέντος = constitutus, definitus. Haec tertia interpretatio videtur praevalere nostris diebus apud optimos quosque criticos. Sic Lagrange, Rosadini ...

In virtute = ἐν δυνάμει: Potest cohaerere vel antecedenti remotiori ὁρισθέντος vel proximiori υἱοῦ θεοῦ. In primo casu sensus est: divinitas Christi manifestata est potenter in resurrectione: in secundo casu sensus est: Christus in resurrectione manifestatus (vel constitutus) est filius Dei potens secundum spiritum sanctificationis: haec secunda interpretatio multo connaturalior et planior esse videtur.

Secundum spiritum sanctificationis = κατὰ πνεῦμα ἀγιοσύνης. En punctum omnium obscurissimum, et vere neuralgicum in tota hac pericopa. Triplex sententia: *Prima sententia* interpretatur πνεῦμα = animam humanam: falsa et iam obsoleta, si anima nude sumatur pro sola anima sine donis Spiritus Sancti: notio animae iam est implicata in voce caro, quae non intelligitur mortua, sed viva et animata; accedit additum *sanctificationis*, quod vix intelligi potest in hac interpretatione — *Secunda sententia* interpretatur πνεῦμα = Spiritum Sanctum. Sensus ergo foret: Christum fuisse manifestatum Filium Dei secundum quod dat Spiritum Sanctum iam inde a Resurrectione (Io. 7, 39). Sic Chrysostomus, S. Thomas, alii. — *Tertia sententia* interpretatur πνεῦμα = naturam divinam Filii. Sic Cornely, Lagrange, Trinidad, multi alii

Ex resurrectione mortuorum: Haec est quarta particula controversa. Sententia fere communis interpretatur resurrectionem Christi ex mortuis; at Cornely tenet Paulum loqui de resurrectione mortuorum generali in consummatione saeculi.

Summatim ergo: Habita prae oculis diversitate sententiarum circa singulas particulas controversas in nostra pericope, potest efformari quadruplex typus seu schema interpretationis exegeticae:

Prima forma exegetica est S. Thomae: Christus factus homo ex semine David, praedestinatur (et apparet) Filius Dei secundum quod dat Spiritum Sanctum ex resurrectione mor-

tuorum. — Haec interpretatio favet nostrae thesi de Christo clarificato datore Spiritus; sed habet contra se has difficultates: *Primo* male interpretatur vocem ὁρισθέντος, quae non significat *praedestinationem*, ut superius notavimus — *Secundo* non explicat *oppositionem* a Paulo signanter notatam inter formulas: secundum carnem — secundum spiritum. — *Tertio* non bene explicat vocem πνεῦμα; etenim vox caro significat attributum Christo intrinsecum: ergo et vox spiritus, quae ei respondet, debet significare attributum Christo intrinsecum. Atqui Spiritus Sanctus non est quid Christo intrinsecum. Ergo ...

Secunda forma exegetica est Cornely: Christus factus filius David secundum naturam humanam, declaratus (constitutus) est Filius Dei potens secundum (prout decet) naturam divinam per virtutem (exercendam) in resurrectione universalis mortuorum. — Haec quoque interpretatio habet contra se tres difficultates: *Primo*, perperam explicat « resurrectionem mortuorum », quae in textu nostro non significat *futuram* resurrectionem in consummatione saeculi, sed iam factam seu resurrectionem, siquidem agitur de manifestatione Christi non futura, sed quae iam facta supponitur; hinc singularitas huius interpretationis contra torrentem Doctorum. — *Secundo*, in hac interpretatione duplex significatio diversa gratis apponitur uni eidemque voci «κατὰ»: in primo membro vox κατὰ significat secundum i. e. « quod attinet » naturam humanam; in secundo membro eadem vox significat « prout decet » naturam divinam — *Tertio*, non bene explicat vocem πνεῦμα: quae vox, maxime cum addito « sanctificationis » nusquam significat in Scripturis naturam divinam Filii vel Verbi incarnati. Cornely appellat ad duos textus biblicos: a) I Petri 3, 18: ubi Christus dicitur mortificatus carne, vivificatus spiritu; b) appellat dein ad I Tim. 4, 16: « Et manifeste magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis ... ». At in nullo ex his duobus textibus ostenditur vocem « spiritus » significare naturam divinam Verbi: accedit quod in his textibus non recurrit vox « spiritus » cum addito « sanctificationis ».

Tertia forma exegetica habet auctorem Lagrange in suo commentario in hunc locum: Christus factus homo ex semine David, constitutus est Filius Dei potens (quoad nos) in sua

Resurrectione. Lagrange interpretatur ὁρισθέντος = constitutus — πνεῦμα = naturam divinam Filii — « ex resurrectione mortuorum » = resurrectionem Christi; sed particula « ex » non significat causalitatem vel posterioritatem, sed potius quandam concomitantiam bene adaptatam « une concomitance bien adaptée ». — Haec interpretatio habet duas potissimum graves difficultates. *Prima* est illa, quam nuper commemoravimus contra Cornely; scilicet, quod vox spiritus — πνεῦμα maxime cum addito « sanctificationis » numquam significat in Scripturis divinitatem Filii. Lagrange concedit hoc ita esse *vi vocis*; sed appellat ad oppositionem inter carnem et spiritum in Scripturis Antiqui Testamenti, ubi spiritus oppositus carni est divinitas seu natura divina. At haec explicatio videtur longius quaesita, parum obvia et naturalis. Oppositio inter carnem et spiritum in nostro loco potest explicari multo clarius et conaturalius ad mentem Pauli, ut deinceps apparebit. — *Secunda* difficultas inde petitur, quod non explicatur bene quomodo Christus *constituatur* Filius Dei potens in resurrectione, cum iam ante resurrectionem fuisset constitutus in ratione Filii Dei potentis. Distinctio inter potentiam Filii Dei quoad se et quoad nos aliquantulum arbitraria videtur; nec rem demum explicat. Filius Dei potentiam suam *divinam* sanctificatricem iam ante resurrectionem exercebat v. g. remittendo peccata. Nec multum nobis probatur illa significatio *intemporalis* assignata particulae « ex » (resurrectione mortuorum).

Quarta forma exegetica proponitur a Trinitate in « Verbum Domini », 1940, pag. 146 sq.: Christus factus filius David secundum carnem in Incarnatione, constituitur Filius Dei potens per virtutem soteriologicam quam exercet post suam resurrectionem. — Haec interpretatio affinis est praecedenti (Lagrange), a qua tamen differt duplici titulo, seu duplici novitate inducta: *Primo quidem* Trinitas satagit probare vocem « spiritus - pneuma » posse significare naturam divinam Filii appellando ad Hebr. 9, 13-14: « Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum aeternum (διὰ πνεύματος αἰωνίου) semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? » Ubi vox spiritus aeternus nequit significare Spiritum Sanctum, nec ani-

mam humanam Christi: significat ergo naturam divinam Filii. — *Dein*, Trinitas explicat constitutionem Christi in ratione Filii Dei potentis *post resurrectionem* appellando ad doctrinam Paulinam de momento soteriologico resurrectionis Christi (Rom. 4, 25). Haec quoque interpretatio est obnoxia variis ac gravibus difficultatibus:

a) Nova ratio allata ex epistula ad Hebraeos l. c. ad demonstrandam significationem vocis « spiritus » pro natura divina Filii, apparet inefficax. En argumentum Auctoris: « Aeterna efficacia sacrificii Christi provenit ex hoc, quod a Spiritu aeterno oblatum est ». *Resp.*: actus oblationis sacrificialis non est actus Spiritus aeterni seu naturae divinae Christi (ad mentem Auctoris), sed est actus voluntatis *humanae* Christi. Triplex elementum concurret in efficaciam et valorem huius actus: voluntas humana a qua habet ut sit liber; caritas per Spiritum Sanctum inspirata, a qua habet ut sit supernaturalis; dignitas personae Verbi, a qua habet ut sit valoris infiniti. Formula Auctoris: Christus se obtulit *per naturam divinam*, durior est atque impropria.

b) Tentamen explicationis, innixum doctrinae Paulinae de valore soteriologico resurrectionis, destruit ipsam theoriam. En explicationem allatam: « Iesus ergo constitutus est Filius Dei, non quidem de iure et in se, quod iam erat antea, sed potius effective et relate ad nos, quando inde a resurrectione sua effecit nostram iustificationem nostram *mediante potestate ab Eo acquisita sua passione et morte*, et operante secundum spiritum sanctificationis, *sub ductu divinitatis suae*. Hoc opere, eius divinitas ita *splenduit*, ut omnibus bonae voluntatis patefacta fuerit ». — Licebit subsumere: Atqui potestas a Christo sua passione acquisita, et operans sub ductu divinitatis, non est potestas Christo competens secundum *naturam divinam*, sed secundum naturam *humanam* glorificatam. Ergo perperam explicatur quomodo Christus *constituitur* Filius Dei potens quoad nos secundum naturam divinam *post* resurrectionem: argumentum potius probat pneuma sanctificationis significare naturam humanam glorificatam Christi, quippe quae virtute passionis et mortis, et operans sub ductu divinitatis (instrumentaliter) fuit constituta potens nos iustificare post resurrectionem: « resurrexit propter iustificationem ».

Conclusio: Examinavimus singulas interpretationes a cri-

ticis hactenus propositas ad explicandam difficilem et obscuram pericopen Paulinam; et vidimus omnes has interpretationes laborare difficultatibus hactenus insolutis, et, ut videtur, insolubilibus. Estne possibilis aliqua nova explicatio exegetica, in qua omnes hae difficultates supprimantur, vel saltem, vehementer attenuentur?

Nostra interpretatio haec est: In nostro textu agitur primo de aliqua virtute (ἐν δυνάμει), quae competit Christo. — Agitur secundo de aliqua virtute quae Christo competit, non ante, sed post resurrectionem. — Agitur tertio de aliqua virtute quae Christo glorificato competit in ordine ad sanctificationem (secundum spiritum sanctificationis). Qualis sit haec talis virtus videtur posse convenienter declarari ex doctrina Paulina de momento soteriologico resurrectionis, qualis potissimum proponitur in epistula prima ad Cor. 15, 45: Factus est primus homo Adam in animam viventem, secundus Adam in spiritum vivificantem ». Profecto spiritus vivificationis, est spiritus iustificationis; et spiritus iustificationis, est spiritus sanctificationis. Si ergo Christus factus est in resurrectione et per resurrectionem spiritus vivificationis, ut superius ostendimus, quid mirum si Christus, Filius Dei, nostro loco dicatur constitutus potens secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum? Connexio inter vivificationem et iustificationem evidens est in theologia Paulina et catholica: sic in Rom. 8, 10: « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus vero *vivit propter iustificationem*: connexio vero inter iustificationem et sanctificationem non minus est manifesta. Sic in eadem epistula ad Rom. 6, 19: exhibete membra servire iustitiae in sanctificationem »: Item in I Cor. 6, 11: « sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei Nostri ». Putamus ergo vocem pneuma-spiritum in Rom. 1, 4 habere eandem significationem ac in I Cor. 15, 45. Porro vox spiritus in hoc ultimo loco non significat naturam divinam Filii, nec personam Spiritus Sancti, nec animam humanam nude sumptam; sed significat animam Christi corpori clarificato unitam et vero dynamismo soteriologico auctam et ditatam ope Spiritus Sancti.

Remanet explicandum qualiter in hac nostra interpretatione possit retineri significatio *constitutus* pro voce ὁρισθέντος.

1° Primoquidem Paulus docet Christum in resurrectione fuisse generatum Filium Dei. Sic in Act. Apost. 13, 33: « Et nos vobis annunciamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans ἀναστήσας Iesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit ἀνέστησεν. eum a mortuis amplius iam non reversurum in corruptionem ... ». Resurrectio ergo Christi est vera ipsius *generatio* qua Christus (homo) constituitur Filius Dei. — 2° Christus resuscitatus vocatur a Paulo *primogenitus* ex mortuis (Coloss. 1, 18); unde iterum constat resurrectionem Christi esse veram quandam generationem, ita quidem ut necessario inferat alias resurrectiones seu generationes = primitiae dormientium. — 3° Nostram quoque resurrectionem Paulus appellat adoptionem filiorum Dei, Rom. 8, 23: « et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei υἰοθεσίαν expectantes redemptionem corporis nostri ». — 4° Ipse Christus apud Lucam 20, 35-36 docet quod fideles gloriose resuscitandi « aequales angelis sunt, et filii Dei, quum sint filii resurrectionis ». Constat ergo ex Scripturis resurrectionem sive Christi, sive nostram esse veram quandam generationem. Atqui per generationem quis vere *constituitur* in ratione filii. Ergo in nostra pericope Rom. 1, 4 potest vere retineri sensus *constitutionis* pro voce ὁρισθέντος.

Ulterior explicatio si quaeratur, res tota posset sic illustrari: Generare est filium conceptum in lucem proferre. Porro in resurrectione, divina Christi filiatio, quae in Incarnatione obiecta erat propter formam servi carnisque infirmitatem, plene in lucem prolata est, absorbens formam servi per formam Domini (Phil. 2, 8 sq.), et carnis infirmitatem per dynamismum vivificantem spiritus. Hanc porro generationem et plenam in lucem prolationem petebat Christus a Patre in sua oratione sacerdotali: « Pater, clarifica Filium tuum ea claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te ».

In hac nostra interpretatione pericopes Paulinae videntur eliminari difficultates, quibus premuntur aliae sententiae, quas crisi subiecimus. Siquidem retinetur sensus *constitutionis* pro voce graeca ὁρισθέντος — retinetur oppositio inter carnem et spiritum — retinetur qualitas seu attributum intrinsecum in utroque membro — retinetur demum significatio

vere Paulina pro voce pneuma-spiritus. Quin imo videtur explicari melius oppositio inter duas formulas: secundum carnem — secundum spiritum. Oppositio, ad mentem Pauli, non consistit in hoc, quod Christus constituitur filius David per carnem, et Filius Dei per spiritum. Oppositio potius stat in hoc, quod Christus, verus Filius per generationem aeternam, in tempore constituitur successive in duplici stadio seu statu diverso et opposito: in Incarnatione fit caro, ideoque ponitur in statu humiliationis et infirmitatis; in Resurrectione fit spiritus, ideoque ponitur seu constituitur in statu gloriae et dynamismi vivificantis. Oppositio breviter posset efferi sic: Christus (aeternus Dei filius) fit filius hominis in infirmitate secundum carnem ex semine David, constituitur filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Hisce praestabilitis:

Sit iam argumentum pro nostra thesi: Christus in resurrectione constituitur spiritus sanctificationis; spiritus porro sanctificationis est spiritus vivificationis. Atqui Christus nos vivificat in corpore mystico per missionem sui Spiritus, quia Spiritus est qui vivificat. Ergo Christus largitor Spiritus in corpore mystico est Christus clarificatus.

Septimus textus de Christo clarificato datore Spiritus legitur in epistula secunda ad Cor. 3, 17: « Dominus autem Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas ». En celeberrimam pericopen, quae tot olim controversiarum causa exstitit, quae nostris quoque temporibus amplam disputationum segetem criticis et theologis praebet. Ad clariorem rei intelligentiam utile est habere prae oculis totum contextum antecedentem et consequentem. Sit ergo

Status quaestionis: Paulus tuetur suam dignitatem et auctoritatem apostolicam iniuste vexatam; necnon satagit iustificare suum apostolicum procedendi modum, in quo nihil est subdoli, nihil dedecoris, nihil fictionis aut adulterationis, nihil demum superbiae ac iactantiae; sed plena sinceritas, veritas, claritas, sancta quaedam *παρρησία* ac libertas. Unde haec tanta libertas ac fiducia? Non sanè ex propriis viribus, sed ex Dei misericordia et gratia, qui idoneum eum fecit ministrum Novi Testamenti. Novum porro Testamentum constat non littera, sed Spiritu. — Sequitur comparatio et oppositio utriusque

Testamenti, et utriusque ministerii: Antiqui Testamenti ministerium erat mortis, condemnationis, et characteris transitorii (mortiferum, condemnatorium, transitorium). Novi Testamenti ministerium est vitae, iustitiae, indolis permanentis (vivificans, iustificans, permanens). Lex antiqua erat scripta in tabulis lapideis; Lex nova est insculpta in cordibus hominum. Hinc lex antiqua occidit, condemnat, transit; lex nova vivificat, iustificat, manet. En indolem propriam utriusque Testamenti; en oppositionem irreductibilem utriusque ministerii. Succedit explicatio mysteriosi veli impositi super faciem Moysis de quo agitur in Exodo 34, 29 sq. Moyses cum accedebat ad colloquium cum Iahve in monte Sinai gestabat faciem non velatam, sed apertam, et ex suo cum Domino colloquio et consortio trahebat faciem cornutam i. e. splendorem et speculi instar potenter irradiantem; et sic populo Israelitico trementi oracula divina communicabat. At finito colloquio cum populo faciem suam velo celabat, donec ad novum cum Domino colloquium, sublato velo, accedebat. Isto singulari agendi modo Moyses impediabat quominus populus Israel posset percipere indolem transitoriam suae claritatis facialis.

Duplici causa et scopo, ut videtur, appellat Paulus ad hanc velaminis allegoriam. Primo ut ostendat gloriam ministerii Mosaici, et inde victoriose concludat in maiorem seu praestantiores gloriam ministerii apostolici. Si enim transitoria gloria Moysis tanta fuit, ut Aaron et filii Israel non possent ferre fixis oculis intensissimum eius splendorem, quanto maior atque praestantior non erit gloria permanens apostolorum? — Paulus secundo loco appellat ad allegoriam veli ut ostendat oppositionem inter modum agendi Moysis, et modum procedendi apostolorum. Moyses celabat faciem suam interposito velo, nec audebat gloriam suam facialem exhibere coram populo trementi. Apostoli vero, praeprimis Paulus ipse, muniti spe sui gloriosi ministerii, palam et intrepide, cum multa fiducia et libertate loquuntur populo christiano, eique annuntiant Christum Dominum et finem Legis. — At non obstante hac tanta claritate, oculi Iudaeorum sunt obtusi, nec intelligunt Legem transitoriam evacuari in Christo, siquidem velamen illud Moysis celans faciem suam, et impediens percipere indolem transitoriam suae claritatis, manet in cordibus Iudaeorum impediens intelligentiam characteris transitorii Le-

gis. *Atqui velamen non tollitur nisi quum fit conversio ad Dominum*: clara allusio ad Moysis conversionem ad Dominum; sublato velo. Ubi latere videtur duplex tentata conclusio: una pro Iudaeis = si ergo increduli Israelitae volunt se liberare a velo et inde consequenti servitute et caecitate, debent se convertere ad Dominum. *Siquidem Dominus Spiritus est*; et ubi Spiritus Domini, ibi libertas. — Alia conclusio, ut videtur, pro christianis = nos autem christiani omnes, Spiritu Domini ditati, revelata facie, (sicut Moyses), gloriam Domini (Christi) recipimus et irradiamus, quippe qui Spiritu Domini transformamur in eandem imaginem (Christi gloriosi) de claritate in claritatem. En textum et contextum in quo nostra pericopes posita est. Hisce porro praestabilitis, accedamus ad eius studium et examen. Habeatur semper textus prae oculis: Dominus Spiritus est — ὁ δὲ κύριος το πνεῦμα ἔστιν.

Duplex difficultas adest in hoc textu: una grammaticalis, altera exegetica. Prior consistit in determinando subiecto et praedicato; altera in determinanda significatione tum subiecti, tum praedicati. Haec duplex difficultas provocavit duplicem typum seu formam interpretationis. Prima est eorum qui tenent subiectum esse Spiritum, praedicatum vero Dominum. Bifariam proponitur. Prima forma est *Patristica*, multorum nempe Patrum, qui textum nostrum sic interpretantur: Spiritus Sanctus est Dominus i. e. Deus. Sic multi Patres in controversia cum Macedonianis appellabant ad hunc textum ad probandam divinitatem Spiritus Sancti. — Secunda forma est *Scholastica*, multorum nempe scholasticorum mediaevalium, qui textum sic interpretantur: Spiritus Sanctus est Dominus i. e. potest operari quod vult (V. Strabon), vel: Spiritus Sanctus est Dominus i. e. operatur ex proprio libertatis arbitrio (S. Thomas).

Haec duplex interpretatio habet has difficultates: Primo gratuita inversio terminorum i. e. subiecti et praedicati contra textum, ubi non dicitur Spiritus Dominus est; sed Dominus Spiritus est. — Secundo non respondet contextui, in quo non agitur de probanda divinitate vel libertate Spiritus Sancti, sed de ostendendo quare conversio ad Dominum trahit secum ablationem veli et inde exurgentem libertatem seu liberationem a servitute. — Tertio non respondet significationi quam vox Do-

minus retinet penes Paulum. Hinc est quod haec duplex interpretatio tum patristica tum scholastica nostris diebus amisit iam omne fere patrocinium.

Secundus typus interpretationis est illorum qui tenent subiectum (in nostro textu) esse « Dominum », praedicatum vero « Spiritum ». Multifariam proponitur:

Prima forma sic habet: Dominus (Deus Pater) est Spiritus i. e. habet naturam spiritualem; eo fere modo ac dicitur in evangelio Io. 4, 24: « Spiritus est Deus — πνεῦμα ὁ θεός. Sic Hilarius inter Patres; Franzelin, Pesch ... inter theologos. — Hec interpretatio habet tres difficultates. Primo praesentia articuli, τὸ πνεῦμά. — Secundo non respondet contextui, in quo non agitur de ostendenda spiritualitate Dei. — Tertio non respondet significationi Paulinae vocis « Dominus ».

Secunda forma interpretationis sic effertur: Dominus (ad quem se convertebat Moyses) est Spiritus Sanctus, tertia persona Trinitatis. Sic Cornely, Holzmeister, Lattey, Ceulemans, alii. — Contra hanc interpretationem moventur duae difficultates: primo et potissime quod non retinetur significatio constans vocis « Dominus » penes Paulum; secundo non explicatur quare dicatur Spiritus *Domini*, et non Spiritus Dominus.

Tertia forma interpretationis, nostris diebus sat diffusa, habet auctorem F. Prat. Huiusmodi est: Dominus est Christus — Spiritus, τὸ πνεῦμα, non significat Spiritum Sanctum, sed sensum spiritualem seu pneumaticum Legis. Sensus ergo nostri textus est: Dominus seu Christus est obiectum significatum per Legem spiritualiter seu sensu spirituali intellectam. Princeps argumentum pro hac interpretatione sumitur ex v. 6 ubi legitur: « idoneos ministros nos fecit novi Testamenti: non litterae, sed Spiritus ». Unde fit argumentum: Idem est sensus vocis pneuma in v. 17 ac in v. 6. Atqui vox pneuma in v. 6 significat sensum spiritualem Legis: etenim pneuma opponitur litterae. Sed littera significat sensum litteralem Legis. Ergo pneuma significat sensum spirituales eiusdem Legis. — Haec interpretatio habet contra se varias graves difficultates. Primo quidem gratuita praetensio determinandi sensum vocis pneuma tantum ex versiculo 6. Vox pneuma recurrit septies in hoc capite tertio: nequit ergo eius sensus ex uno

tantum loco determinari. Eodem iure ac obiiciens posset quis argumentari in hunc modum: idem est sensus pneuma in v. 17 ac in v. 3. Atqui in v. 3 vox pneuma significat Spiritum Sanctum. Ergo etiam in v. 17. — Accedit quod pneuma in v. 6 non significat sensum spirituales Legis. Etenim vox pneuma recurrit bis in hoc v. 6: « non litterae, sed Spiritus; littera enim occidit, Spiritus autem vivificat ». Unde argumentum: idem significat pneuma in primo et secundo membro. Atqui in secundo membro pneuma significat Spiritum Sanctum: profecto non Lex spiritualiter intellecta, sed ipse Spiritus Sanctus est qui vivificat: similiter id, quod occidit, non est litteralis intelligentia Legis, sed ipsa Lex imponens iugum insupportabile, et non dans vires ad eius impletionem. — Tertia et gravior difficultas contra sententiam Prat desumitur ex contextu subsequenti proximo, ubi vox pneuma recurrit bis. Unde fit argumentum: Idem significat pneuma in primo et secundo membro v. 17, necnon in v. 18. Atqui pneuma in secunda parte v. 17 et in v. 18 significat, non sensum spirituales Legis, sed Spiritum Sanctum, auctorem nostrae libertatis ac transformationis spiritualis. Ergo ...

Quarta forma interpretationis proponitur a P. Allo O. P. in suo commentario in hunc locum. Allo vidit bene difficultates quibus laborat sententia Prat; hinc eam censuit modificandam in hanc formam: Vox pneuma in primo membro versiculi 17 (Dominus Spiritus est) significat primario, formaliter, in recto, sensum spirituales Legis, ut iure contendit Prat; sed secundo, consecutive, in obliquo, significat quoque ipsum Spiritum Sanctum auctorem nostrae libertatis spiritualis. In prima ergo parte agitur de sensu *obiectivo* Legis i. e. de obiecto significato per Legem spiritualiter intellectam; sed in secunda parte versiculi 17, necnon in v. 18 fit transitus a sensu obiectivo ad sensum subiectivum, dynamicum et effectivum, qui est ipse Spiritus Sanctus auctor nostrae transformationis supernaturalis. — Quid dicendum de hac interpretatione? Sententia Prat, sic modificata a P. Allo, vitat quidem aliquas difficultates superius propositas, ideoque apparet magis acceptabilis. Nihilominus manet subiecta duplici difficultati. *Primo* quidem gratis asseritur sensus *obiectivus* Legis primario significatus in prima parte v. 17. — *Dein* gratis rursus asseritur transitus a sensu obiectivo in sensum subiectivum in secundo

membro eiusdem v. 17 necnon in v. 18. Multo satius videtur retinere eundem sensum in utroque membro, imo in toto capite.

Quinta forma interpretationis est recentissima; habetque auctorem *B. Schneider* O. F. M. Qui in praeclaro et accuratissimo opere, cui titulus « Dominus autem Spiritus est », totam hanc quaestionem funditus pertractavit, et in hanc demum conclusionem et interpretationem devenit. In nostra pericope (Dominus autem Spiritus est) vox « Dominus », ὁ κύριος, sumitur sensu *personali*. Unde sensus demum est sequens: Illa persona determinata, ad quam oportet converti (v. 16), ad quam se convertebat Moyses (Exodo 34, 24), est Spiritus Sanctus. — Haec interpretatio, etsi subtilis et ingeniosa, habet contra se difficultatem, quae, nostro iudicio, gravissima est. Vox Dominus in primo membro versiculi 17 significat personam divinam, quae est Spiritus Sanctus. Eadem vox in secundo membro eiusdem versiculi (Spiritus *Domini*) significat Christum. Sic explicite fatetur Schneider scribens p. 84: « Ergo κύριος in 17b est alius quam κύριος 17a, et proinde, secundum usum ordinarium Pauli, κύριου hic significat Christi. Genitivus est genitivus originis vel missionis ». At ista duplex significatio, adeo diversa, unius eiusdemque vocis in eodem contextu, in eodem versiculo, difficulter admitti potest. In pericope Paulina: « Dominus autem Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas », idem est Dominus de quo agit Paulus in utroque membro. Pauli explicatio atque argumentatio videtur procedere hoc modo. In versu 16 quasi ponitur thesis: Ubi fit conversio ad Dominum, ibi habetur ablatio veli, et inde consequens libertas a servitute. In v. 17 exhibetur probatio thesis hoc modo: Ubi habetur Dominus, ibi habetur Spiritus Domini. Atqui ubi habetur Spiritus Domini, ibi habetur libertas. Ergo ubi abetur conversio ad Dominum, ibi habetur libertas. Quis non videt in hac argumentatione servari ac retineri unam eandemque significationem pro voce « Dominus »? Nova difficultas inde videtur oriri, quod in hac interpretatione seu sententia Schneider, vox « Dominus », iam in A. Testamento acciperetur sensu *personali*, et quidem cum referentia exclusiva ad tertiam personam Sanctae Trinitatis, id quod difficultate non caret.

Nostra interpretatio: Quaestionem grammaticalem definitive solutam cum sententia communi supponimus. Quaestionem exegeticam quod attinet, tria sunt praestanda: Determinanda primum est significatio subiecti (Dominus), dein praedicati (Spiritus), demum determinandus est sensus pericopes Paulinae = Dominus autem Spiritus est.

Significationem subiecti quod attinet, sequimur sententiam communiorem criticorum, secundum quam vox Dominus in nostra pericope significat *Christum*. Potest id ostendi ex contextu antecedenti et consequenti. Primum ex *contextu antecedenti*. Idem est sensus vocis in v. 17 et in v. 16. Atqui vox Dominus in v. 16 significat Christum. Etenim Dominus est ille, ad quem cum fit conversio, tollitur velum. Atqui velum tollitur in Christo, ut expresse asseritur in v. 14: « Usque in hodiernum diem manet velum non revelatum, *quoniam in Christo evacuatur* ». Profecto velum est id quod impedit videre characterem transitorium Mosaismi i. e. finem Legis esse Christum. Hoc porro velum tollitur per conversionem ad Christum Dominum. — Item probatur ex *contextu subsequenti*: Etenim idem est sensus vocis Dominus in v. 17 et in v. 18 = « Nos autem omnes revelata facie *gloriam Domini* speculantes ... ». Atqui vox Dominus in v. 18 significat Christum: siquidem Dominus in hoc versiculo est *subiectum gloriae*. Atqui Dominus subiectum gloriae est Christus, ut expresse asseritur in contextu subsequenti 4, 5: « Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii *gloriae Christi*, qui est imago Dei ». Accedit quod in 4, 5 explicite statuitur identitas inter Dominum et Christum: « Non enim nosmetipsos praedicamus, sed *Iesum Christum Dominum* ».

Significationem praedicati quod attinet, putamus vocem « Spiritus » in v. 17 significare *Spiritum Sanctum*. Etenim tria attributa praedicantur in contextu proxime subsequenti de Spiritu: Primum dicitur Spiritus *Domini* — Secundo dicitur quod hic Spiritus est auctor nostrae libertatis spiritualis = « Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas ». — Tertio hic Spiritus exhibetur ut causa nostrae renovationis seu transformationis supernaturalis: « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu ». Atqui in theologia Paulina Spiritus qui sit Domini, qui sit auctor nostrae

libertatis spiritualis nostraeque transformationis supernaturalis, non est alius quam Spiritus Sanctus. Cfr. Rom. 8, 9-10, 15; Gal. 4, 6-7.

Hisce praestabilitis, determinatur sensus pericopes seu formulae Paulinae: « Dominus autem Spiritus est ». a) Haec formula nequit significare strictam *identitatem personalem* inter Christum Dominum et Spiritum Sanctum; quia Dominus dicitur esse Spiritus ita ut Spiritus *sit Domini*. Porro haec formula = Spiritus Domini aperte denotat distinctionem personalem inter Dominum et Spiritum, sicut cum dicitur Spiritus Patris. — b) Haec formula, salva analogia fidei, posset significare *identitatem essentialem* inter Dominum et Spiritum. Fide quippe docemur unam et eandem esse essentiam divinam Christi Domini et Spiritus Sancti. Sic reapse interpretantur nostrum textum non pauci critici. Sed obstare videtur: primo praesentia articuli, τὸ πνεῦμα; secundo ipsa formula: Spiritus *Domini*, loco Spiritus Dominus. — c) Remanet ergo sequens probabilior significatio: Dominus (Christus) est Spiritus Sanctus, non sensu personali aut essentiali, sed potius sensu causali, dinamico et soteriologico i. e. Christus est auctor Spiritus nobis donati, seu Christus Dominus est donator Spiritus Sancti. Hic sensus causalis seu dynamicus perfecte cohaeret cum theologia et nomenclatura Paulina. Sic Christus dicitur a Paulo *pax nostra* (Ephes. 2, 14), *vita nostra* (Coloss. 3, 4) certe non sensu formali, sed causali. Christus est pax nostra, vita nostra, quia est auctor nostrae pacis, nostraeque vitae supernaturalis in corpore mystico. Similes formulae identitatis causalis et dynamicae recurrunt in ore Christi: « Ego sum resurrectio et vita » (Io. 11, 25). Haec nostra interpretatio illustrem habet intellectum ex alio textu Paulino I Cor. 15, 45: Factus est primus homo Adam in animam viventem, secundus Adam in spiritum vivificantem ». Si recte Christus dicitur factus in spiritum vivificantem; quare Christus Dominus non dicatur esse Spiritus vivificans? Non quod eadem est significatio vocis pneuma in utroque textu, sed eo potius sensu, quod si Christus dicitur factus in spiritum vivificantem, iure dicitur quod Christus sit Spiritus vivificans sensu causali et soteriologico; siquidem auctor nostrae vivificationis est auctor nostrae transformationis spiritualis. Habet quoque noster textus perfectam cohaerentiam et consonantiam cum textu rursus

Paulino I Cor. 6, 17: « Qui adhaeret Domino, unus Spiritus est ». Si conversio et adhaesio ad Christum Dominum implicat coinoniam pneumaticam, vides quare Paulus in nostra pericope potuerit dicere: « Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen ». Adhaerens quippe Christo Domino, fiet particeps seu consors Spiritus Domini; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas et liberatio a velamine.

Vi huius intimae connexionis dynamicæ in ordine soteriologico Christum glorificatum inter et Spiritum Sanctum, Paulus non veretur uti quadam synonymia et quasi communicatione idiomatum ita ut ea quae sunt Spiritus Sancti, attribuat Christo, et vice versa. En aliqua exempla illustria: *Iustificari* in Christo (Gal. 2, 17) est idem ac iustificari in Spiritu Sancto (I Cor. 6, 11). — *Sanctificari* in Christo (I Cor. 1, 2) est idem ac sanctificari in Spiritu Sancto (Rom. 15, 16). — *Esse* in Christo (I Cor. 1, 30) est idem ac esse in Spiritu Sancto (Rom. 8, 9). — *Stare* in Domino (Christo) Phil. 4, 1 est idem ac stare in Spiritu (Phil. 1, 27). — *Loqui* in Christo (2 Cor. 2, 17) est idem ac loqui in Spiritu (I Cor. 12, 13). — *Circumcidari* in Christo (Coloss. 2, 11) est idem ac circumcidari in Spiritu (Rom. 2, 29). — *Unum corpus* in Christo (Rom. 12, 5) = unum corpus in uno Spiritu (I Cor. 12, 13).

At nullibi forte haec synonymia adeo signanter manifestatur ac in Rom. 8, 9-11: « Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum, habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis ». En tres formulas perfecte synonymas penes Paulum: Christum habitare in nobis. — Spiritum Christi habitare in nobis. — Spiritum Dei habitare in nobis. Haec ergo tria: Spiritus Dei in nobis, Spiritus Christi in nobis, Christus in nobis in ordine dinamico et soteriologico censentur ut synonyma. Si ergo Christum esse in nobis idem est ac Spiritum Christi esse in nobis, rursus apparet quomodo Paulus potuerit scribere: « Dominus autem Spiritus est ».

Remanet demonstrandum Christum, de quo Paulus in no-

stra pericope loquitur, esse Christum caelestem seu clarificatum, id quod nullo negotio ostenditur. Etenim Paulus hic loquitur de suo glorioso ministerio cuius auctor est Christus. Atqui Christus auctor ministerii Paulini est Christus caelestis (Rom. 1, 5 et historia Act. 9, 1 sq.). — Paulus hic loquitur de Christo in cuius facie refulget gloria Dei. Atqui hic talis Christus est caelestis: hanc gloriam vidit Paulus in via Damasci. — Paulus hic loquitur de Christo Domino. Atqui Christus Dominus in theologia Paulina est Christus exaltatus et clarificatus (Phil. 2, 9 sq.; Rom. 14, 9 etc.).

Conclusio. Sit iam argumentum pro nostra thesi de Christo clarificato largitore Spiritus in corpore mystico. Paulus in nostra pericope (II Cor. 3, 17) asserit Christum Dominum esse Spiritum i. e. datorem Spiritus. Atqui Paulus hic loquitur de Christo caelesti. Ergo iterum constat Christum datorem Spiritus esse Christum clarificatum.

*Scholion. Doctrina Leonis XIII de Spiritu S.
in Encyclica « Divinum Illud » ASS 29,644.*

Nostram thesim de Christo caelesti datore Spiritus in corpore mystico demonstravimus ac illustravimus ex Verbo Dei scripto, quale prostat in scriptis inspiratis Ioannis, Petri et Pauli. Argumentum *Traditionis* hac in re uberrimum est atque conspicuum. Patres iam inde ab initio aetatis christianae mira uniformitate et constantia doctrinam nostram proponunt dum explicant textus biblicos Ioannacos, quos superius examinavimus, maxime dum commentantur verba Ioannis 7, 39: « Nondum erat datus Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus », nec non illa alia Christi Domini Io. 16, 7: « Expedi vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Spiritus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos ». Quin imo, aliqui Patres insigniores, ut Cyrillus Alexandrinus in Oriente, et Augustinus in Occidente, explicite proponunt quaestionem subtilem: quare Spiritus Sanctus Ecclesiae communicari non potuit antequam Christus ipse glorificaretur in caelis. Studio brevitatis, non sine dolore, constringimur supersedere a toto isto traditionis argumento uberius pertractando. Silentio tamen praeterire non possumus praeclaram de nostro argumen-

to doctrinam a Leone XIII propositam in Encyclica « Divinum illud munus », ubi traditio christiana fastigium obtinuit.

Encyclica constat duplici parte: una doctrinali, altera exhortatoria. Quorsum spectat pars doctrinalis clare effertur p. 645 (ASS vol. 29): « Propositum Nostrum quo melius uberiusque eveniat deliberatum habemus alloqui per sollemnia proxima sacrae Pentecostes de praesentia et virtute mirifica eiusdem Spiritus, quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum animis ipse agat efficiatque praeclara copia charismatum supernorum ». — Haec pars doctrinalis continet: a) brevem quandam introductionem (p. 644); b) brevem explicationem mysterii Trinitarii (p. 645-647); c) expositionem praesentiae et efficaciae Spiritus Sancti in Christo (p. 648); d) expositionem praesentiae et efficaciae in Ecclesia (p. 649-651).

Encyclica distinguit duplicem missionem Spiritus Sancti Christo communicati: unam invisibilem, alteram visibilem. Priori tribuitur Christi conceptio in sinu virgineo, unctio, omnis Christi actio, oblatio sacrificialis in cruce, mira et multiformis Christi sanctificatio, gratiarum et donorum cumulatio. Altera seu visibilis peracta est in aquis Iordanis Christi baptismo consecratis. — Haec duplex missio Spiritus in Christum est praesignificatio duplicis missionis Spiritus S. in Ecclesiam, quarum una est visibilis, facta Ecclesiae; altera secreta et invisibilis facta animis iustorum singulorum. Prima illa visibilis facta est die Pentecostes secundum vaticinia sive Ioelis prophetae, sive ipsius Christi (Io. 16, 12-15). Confert Ecclesiae doctrinae complementum — infallibilitatem — vitam et virtutem perennem — potestatem iuridicam et pastorem episcoporum — potestatem remittendi peccata episcopi et presbyteri. — De hoc demum Spiritu Ecclesiae toti communicato asseritur illum tenere locum animae in corpore mystico: « Atque hoc affirmare sufficiat, quod quum Christus sit caput Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima ». — De altera seu invisibili missione Spiritus singulorum animis facta, asseritur illam esse mirabilem — abundantem — a Ioanne 7, 39 significatam — a Christo clarificato peractam. Hisce ergo praestabilitis, colligamus et ordinemus doctrinam Leonis XIII in hoc praeclaro documento contentam circa nostrum argumentum.

I. Encyclica docet in Introductione 1. Christum accepisse a Patre munus sanctificandi et salvandi homines: « Divinum illud munus quod humani generis causa a Patre acceptum Iesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tamquam ad ultimum spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beata, ita huc proxime attinet per saeculi cursum, ut divinae gratiae habeant colantque vitam, quae tandem in vitam floreat caelestem ». 2. Encyclica docet secundo Christum agentem in terris non absolvisse hoc opus, sed illud explendum ac perficiendum reliquisse Spiritui Sancto: « Hic tamen, secundum altissima quaedam consilia, eiusmodi munus noluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit perficiendum ». 3. Encyclica tertio docet *hunc Spiritum fuisse missum a Christo caelesti* seu glorioso: « Atque iucunda memoratu ea sunt, quae Christus, paulo ante quam terras relinqueret, in discipulorum coetu affirmavit: Expedi vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Haec enim affirmans, causam discessus sui reditusque ad Patrem eam potissimum attulit, utilitatem ipsis alumnis suis profecto accessuram ab adventu Spiritus Sancti ». *En ergo primam assertionem, in Encyclica factam, de Christo clarificato datore Spiritus in corpore mystico.*

II. Encyclica distinguit duas Spiritus Sancti missiones seu communicationes: unam visibilem factam Ecclesiae; alteram invisibilem factam singulorum animis. Encyclica porro expresse affirmat illam priorem communicationem i. e. visibilem fuisse factam die Pentecostes: « Ecclesia quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. *Ipsaque die* beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea nimirum effusione quam Ioel propheta iam pridem viderat ». *En secundam affirmationem, in Encyclica contentam, de Christo clarificato datore Spiritus in Corpore Mystico.*

III. Encyclica docet illam secundam communicationem i. e. invisibilem singulorum animis factam, esse mirabilem, abun-

dantem, a *Ioanne significatam* 7, 39: « Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Haec autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat datus Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus ». Restat demonstrandum hanc Christi glorificationem, ad mentem Encyclicae, non esse crucifixionem et mortem, sed gloriosam ipsius resurrectionem et Ascensionem, id quod nullo negotio conficitur, idque bifariam:

a) Encyclica distinguit duas Spiritus communicationes: unam *ante Christum*; alteram *post Christum*. Primo ante Christum factam prophetis: Zaccariae, Ioanni Baptistae, Simeoni, Annae. Secundo post Christum. Encyclica porro attestatur hanc secundam communicationem, priore multo copiosorem, esse illam de qua Ioannes loquitur 7, 39: « Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus », glorificationem intelligens Christi resurrectionem et ascensionem. En verba Encyclicae: « Communicatio Spiritus post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut arram pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes: Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. *Statim igitur ut Christus, ascendens in altum*, regni sui gloria tam laboriose parta potitus est, *divitias Spiritus Sancti munifice reclusit*, dedit dona hominibus ». *En tertiam affirmationem* in Encyclica contentam *de Christo glorioso et exaltato largitore Spiritus in corpore mystico*.

b) Encyclica rursus distinguit duas Spiritus Sancti communicationes: unam *ante Christi clarificationem*, alteram *post Christi clarificationem*; docetque hanc ultimam esse illam copiosam, *qualis numquam antea fuerat*: « Nam, certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis numquam antea fuerat, neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat ». *En quartam affirmationem, in Encyclica contentam, de Christo clarificato datore Spiritus* in corpore mystico, in qua aperte *excluditur* sententia, nostrae contraria, asserens duas esse Spiritus Sancti communicationes: unam visibilem die Pentecostes Apostolis factam, alteram invisibilem et copiosam, Novi Testamenti propriam, cuius terminus a quo fuerit *ipsa hora mortis Christi*.

Eadem prorsus doctrina proponitur a Pio XII in Encyclica

« Mediator Dei » AAS. « Sacra autem Liturgia nobis Christum proponit in omnibus vitae suae conditionibus: eum nempe qui aeterni Patris est verbum, qui e Deipara virgine nascitur, qui veritatem nos docet, qui aegrotos sanat, qui moerore affectos solatur, qui dolores patitur, qui moritur; ac deinde qui ex triumphata morte resurgit, *qui in coelo gloria regnans Paraclitum in nos immittit Spiritum*, qui perpetuo denique in sua Ecclesia vivit ».

CAPUT QUINTUM

DE ANIMA CORPORIS MYSTICI

In corpore vivo praeter membra et caput adest *anima*, a qua corpus et caput vegetantur. Quaeritur quid locum animae teneat in corpore mystico et ecclesiastico. Positio porro Doctorum hac in re varia est et multiformis.

Prima sententia docet animam corporis mystici esse gratiam sanctificantem creatam et caritatem: quam sententiam passim referunt manualia theologica, in quibus ceteroquin videre est aliquale discrimen in tota rei conceptione.

Palmieri admittit duplicem vitam in corpore ecclesiastico: prima competit ei, quatenus est societas quaedam visibilis: anima huius vitae potest dici *auctoritas*. Alia vita competit Ecclesiae quatenus est societas quaedam supernaturalis. Haec est vita quaedam interior quae *singulos* afficit vel afficere potest. Ope huius vitae eduntur opera meritoria vitae aeternae: ratione huius vitae distinguuntur in Ecclesia *anima et corpus*. Hoc corpus *proxime* constituitur triplici ministerio ecclesiastico: sacerdotio nempe, magisterio, imperio cum respondenti subditorum professione fidei, communionem sacramentorum et subordinationem voluntatum: *remote* possunt dici corpus Ecclesiae singuli fideles. — *Animam* Ecclesiae constituit donum supernaturale creatum e capitali Christi influxu in membra descendens et nostrae animae formaliter inhaerens, unde haec fit principium idoneum operationum supernaturalium. Hoc principium constituitur fide, spe, caritate, gratia

sanctificante, ceterisque connexis virtutibus. Charismata, ut donum linguarum, prophetia etc. potius pertinent ad corpus. Gratia actualis, si sit coniuncta cum habituali, pertinet et ipsa ad animam; secus nec ad animam nec ad corpus.

Wilmers paulo aliter rem concipit: Ecclesia est constituta ad modum corporis organici vivi et animati. *Anima* huius corporis praecipue constituitur gratia sanctificante creata. Remotius rationem animae participant habitus infusi, gratia actualis, character sacramentalis, potestas iurisdictionis, dona charismatica. — *Corpus constituitur* elemento visibili seu ordine ecclesiastico divinitus constituto: unius nempe fidei professione, eorundem sacramentorum communione; eidem potestati supremae subiectione. Breviter: Corpus est ordo divinus visibilis; animam constituit ordo divinus invisibilis.

Secunda sententia, nostris diebus facile et merito praevalens, defendit animam Ecclesiae constitui non gratia ulla creata, sed gratia increata seu ipsa persona Spiritus Sancti. Quae sententia ut bene intelligatur, iuvat notare sequentia:

a) Si nomine animae significari velit *totum elementum invisibile* in contrappositione ad elementum externum et visibile, tunc gratia sanctificans potest vocari anima Ecclesiae, sed non adaequata; nam caetera quoque dona, maxime vero donum increatum Spiritus Sancti, participant rationem animae.

b) Si nomine animae significatur, *ut debet significari*, primum et radicale principium vitae theandricae in corpore mystico et ecclesiastico, hoc tale principium constituitur unice et adaequate dono increato Spiritus Sancti. Caetera dona creata i. e. fides, spes, caritas, gratia sanctificans, charismata varia et multiformia, potius dicenda sunt effectus vitales huius principii animici, vel, si mavis, *principia proxima* instar facultatum seu potentiarum, quibus anima operatur in corpore mystico.

c) Haec anima determinatur *appropriative* Spiritus Sanctus: corpus quippe mysticum et ecclesiasticum *realiter* animatur seu vivificatur a tota divinitate; at opus sanctificationis, quod est opus amoris, merito appropriari consuevit illi personae, quae ratione processionis est Amor i. e. Spiritui Sancto.

d) Spiritus Sanctus dicitur vegetare Ecclesiam *instar animae*: siquidem Spiritus S. nequit esse et dici proprie et univoce anima, sed analoga quadam ratione; quatenus Spiritus ille divinus operatur in corpore mystico, in linea causae efficientis, similes effectus ac operatur anima humana in corpore nostro physico in linea causae formalis.

e) Notat d'Herbigny quod anima illa exercet in corpore ecclesiastico quasi duas activitates: unam ad socialis compaginis unitatem organicam constituendam, videlicet ut corpus ecclesiasticum *sit* unum et varium, prout requirit indoles organismi; aliam qua singula membra plus minus vitam communem participant, videlicet ut corpus ecclesiasticum *opere-*
tur.

Tertia sententia contendit admittendas esse in corpore mystico *duas animas*: unam increatam et inhabitantem, qui est Spiritus Sanctus, ut vult secunda sententia; alteram creatam et formaliter inhaerentem, ut vult prima sententia. Praecipui fautores huius novae tendentiae nostris diebus sunt *Ch. Journet* (L'Eglise du Verbe Incarné), et *E. Sauras O. P.* (El cuerpo místico de Cristo). Modus tamen rem concipiendi et exponendi non est idem apud hos duos auctores: hinc separatim de utroque agemus.

Journet admittit duas animas in corpore mystico hac lege intellectas: primo quidem Spiritus Sanctus merito dicitur anima (increata) corporis ecclesiastici, quippe qui est principium vitae in hoc corpore. Est autem Spiritus Sanctus anima Ecclesiae non per proprietatem, sed per appropriationem, idque bifariam: primo praesentia sua *dynamica* seu per modum causae efficientis; dein et principaliter sua praesentia *obiectiva* seu per modum inhabitationis. At in corpore mystico oportet admittere non tantum animam increatam, sed etiam creatam: Huius porro animae creatae duplex definitio exhibetur a *Journet*: una causalis et analytica; altera synthetica. Prior respectus si attendatur, anima creata potest spectari primo prout est in sua origine seu centro irradiationis, i. e. prout est in Christo capite corporis mystici; dein prout reperitur et subiectatur in ipso corpore ecclesiastico. Porro si anima creata consideratur prout est in suo centro capitali, nihil est aliud quam totalitas pleromatica ex beneplacito divino in Christo

inhabitans, per quam Christus constituitur caput corporis mystici et ecclesiastici, i. e. principium novi cultus, novae vitae, novarum veritatum revelatarum: anima ergo creata Ecclesiae, prout est in suo capite Christo, implicat plenitudinem sacerdotii, plenitudinem vitae, plenitudinem regalitatis- propheticae: aliis verbis, anima creata, prout est in Christo, est idem ac gratia capitalis: Christus porro constituitur caput corporis mystici triplici potestate: sacerdotali-culturali; regali-prophetica; vitali-soteriologica.

Anima creata Ecclesiae, prout est in ipso corpore ecclesiastico seu in membris Ecclesiae, nihil est aliud quam ipsa gratia capitis in corpus mysticum irradiata et in membris Ecclesiae participata ac subiectata. Fit autem haec participatio hoc modo: gratia seu potestas sacerdotalis Christi participatur per characteres sacramentales baptismi, confirmationis, ordinis: gratia seu sanctitas Salvatoris participatur per septem Ecclesiae sacramenta, praepriis per baptismum et eucharistiam: gratia seu potestas regalis-prophetica Christi participatur per praedicationem evangelicam authentice propositam ex parte praeconum hierarchicorum, et fidei obedientiam susceptam ex parte fidelium et sic in eorum animis interiorizatam. Et haec quidem valent de causali et analytica definitione animae creatae. Quod si haec omnia elementa implicata in anima creata Ecclesiae in synthesim redigantur, et ad suum primum principium reducantur, aliis verbis, si animae creatae definitio synthetica consideretur, anima creata Ecclesiae nihil est aliud, quam *caritas culturalis, sacramentalis et iuridice ordinata* (orientée). Audiamus ipsum auctorem: « C'est ce don qui tiendra dans l'Église le rôle d'ultime détermination formelle inhérente; il sera l'âme créée et indivisible de l'Église, son premier principe inhérent de vie et d'unité. Ce don suprême, c'est la charité de la loi nouvelle, c'est-à-dire la charité modifiée et enrichie par son triple rapport au culte chrétien à la perfection des sacraments chrétiens, à la prédication chrétienne; bref, la charité en tant que culturelle, sacramentelle, orientée » o. c. vol. II, pag. 649.

Fatetur Journet hanc doctrinam duplicis animae in corpore mystico et ecclesiastico *explicitè* non contineri in S. Thoma, nec in documentis ecclesiasticis Leonis XIII et Pii XII, nec in scriptis theologorum; putat tamen praefatam doctrinam

implicite contineri tum in S. Thoma, tum in scriptis auctorum de Ecclesia: profecto omnes hi autores ex una parte incunctanter recipiunt doctrinam S. Thomae et Ecclesiae de Spiritu Sancto anima corporis mystici; ex alia vero parte multi ex his doctoribus explicite proponunt doctrinam de anima creata Ecclesiae sita in donis fidei, spei, et caritatis: sic Bellarminus, Bossuet, Billuart, Perrone, De Groot, Billot, Schultes, catechismus Pii X, catechismus Cardinalis Gasparri, alii.

Necessitas admittendi animam creatam in corpore mystico derivatur secundum Journet ex duplici capite: primo quidem ex ipsa notione animae. Anima est primum vitae principium in corpore. Porro sicuti Spiritus Sanctus est primum vitae principium in corpore ecclesiastico per modum causae efficientis, sic caritas est primum principium vitae in Ecclesia per modum causae formalis et inhaerentis. Ex alia vero parte ipsa existentia et munus animae increatae in Ecclesia vix potest convenienter explicari sine admissa existentia animae creatae, qualem superius descripsimus. Certo constat dynamicam et obiectivam Spiritus Sancti praesentiam seu inhabitationem adfuisse in iustis Antiqui Testamenti; nihilominus corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, nondum in actu perfecto erupit: rursus constat Spiritum Sanctum adesse tum per modum efficientiae, tum per modum inhabitationis in iustis Novi Testamenti qui non sunt membra realia et actualia Ecclesiae Romanae catholicae, quae est corpus Christi mysticum. Ex hoc duplici facto manifeste consequitur meram praesentiam et inhabitationem Spiritus Sancti minime sufficere ad originandam et constituendam Ecclesiam quae est corpus Christi. Quidam ergo specialis et plenior gradus praesentiae seu inhabitationis Spiritus Sancti requiritur ut de facto oriatur et constituatur corpus Christi quod est Ecclesia. At quomodo certo constare nobis poterit ubinam reperiatur hic specialis et plenior modus inhabitationis Spiritus Sancti? ubinam reperiatur vera Christi Ecclesia, et verum corpus Christi mysticum? Hoc ex mera ipsius inhabitationis consideratione constare vix poterit: unicum criterium planum et securum suppeditabit existentia animae creatae in Ecclesia, caritas nempe plene christiana, i. e. caritas culturalis, sacramentalis et iuridice ordinata. Ipsa ergo ratio et munus animae increatae cogit nos admittere existentiam

animae creatae in mystico et ecclesiastico Christi corpore. Cf. Journet, o. c., pag. 578-579.

Sauras agit de anima increata Ecclesiae o. c. p. 736-820; de anima creata, p. 820-844. Doctrina Auctoris de anima increata, qui est Spiritus Sanctus, perfecte concordat cum doctrina Journet, quem sequitur et explicat. Doctrina vero et tota conceptio animae creatae apud utrumque auctorem non parum differt. Princeps dissidii caput est ipsa notio corporis mystici. Journet, duce Pio XII in Encyclica «Mystici Corporis» et «Humani Generis», identificat corpus Christi mysticum cum Ecclesia visibili romana-catholica. *Sauras*, duce Thoma, identificat corpus Christi mysticum cum Ecclesia invisibili universalis, quae constituitur ecclesia militante in terris, triumphante in caelis, patiente in purgatorio. «En realidad no son del todo coincidentes los conceptos de cuerpo místico y de Yglesia en cuanto sociedad visible, pero sí en cuanto sociedad de los que se unen a Cristo. La Yglesia en el primer sentido es de la tierra, constituida pro los bautizados; en el segundo son todos los que de una manera u otra tienen la gracia cristiana: en la tierra, en el purgatorio, en el cielo» o. c. pag. 744. Hinc diversus modus ponendi et solvendi quaestionem apud utrumque auctorem. Journet vult determinare animam creatam Ecclesiae visibilis romanae-catholicae, et concludit hanc animam esse caritatem cultualem, sacramentalem et iuridice ordinatam. *Sauras* satagit determinare animam creatam Ecclesiae invisibilis et universalis, et concludit caritatem posse quidem esse animam creatam Ecclesiae visibilis et catholicae, minime vero Ecclesiae universalis, quae est communitas omnium redemptorum. Audiamus ipsum auctorem:

«Esto quiere decir que el planteamiento del problema en nuestro caso y en el de algunos autores de los que acabamos de citar en nota es distinto; de ahí que, aunque sea distinta la solución, no quiera decir que no sea coincidente. Nosotros vamos a demostrar que el alma de la Yglesia es la gracia en lo que tiene de cristiana; pero es que por Yglesia entendemos el cuerpo místico con toda la amplitud que acabamos de recordar. Si otros autores dicen que el alma o la forma es la fe, o la caridad, o el poder de jurisdicción, como quiera que el sujeto al que atribuyen no es idéntico al nuestro, no tendremos opiniones encontradas. Puede ser que la Yglesia, en cuanto con-

tiene a todos los redimidos, tenga por alma la gracia cristiana, y en cuanto sociedad constituida por los bautizados que viven en el mundo sea, por ejemplo, la fe, o cualquiera otro de los dones citados » o. c. p. 835.

Sauras contendit gratiam christianam creatam eodem iure, imo potiori iure, posse dici animam Ecclesiae universalis quae est corpus Christi mysticum. Etenim ad hoc sufficit ut habeat quasdam analogias seu similitudines cum anima humana. Atqui hae similitudines minime desunt: profecto sic ut anima humana informat, dat esse, vivificat et unificat corpus humanum; sic gratia christiana informat, vivificat et unificat corpus Christi mysticum. Omnes difficultates, quae moventur contra existentiam animae creatae in corpore mystico, proveniunt ex falso quodam supposito. Supponitur videlicet in casu nostro agi de stabilienda aliqua anima, quae sit talis sensu *univoco*. Porro si hoc praesupponitur, tunc nec Spiritus Sanctus dici poterit anima Ecclesiae. Logica ergo et legitima conclusio haec est: vel negare existentiam cuiuslibet animae in corpore mystico; vel admittere existentiam duplicis animae, increatae et creatae in hoc corpore.

Gratia constituens animam creatam corporis mystici secundum Sauras est *gratia christiana qua christiana*. Haec gratia dicitur christiana ratione originis et termini seu finis; habet originem a Christo redemptore, et ordinatur ad finem redemptionis seu salutis christianae; includit ergo gratias actuales, gratiam habituales, fidem, spem, caritatem, gratiam sanctificantem, gratiam beatificantem; includit quoque gratias gratis datas hierarchicas et charismaticas; includit consequenter potestatem sacramentalem, sacrificalem, magisterialem et regiminis. At haec gratia non consideratur sub ullo determinato particulari respectu, qualis foret fides, caritas, gratia sanctificans, potestas regiminis etc., sed consideratur sub respectu quodam generali, qui significatur, cum dicitur gratia christiana qua christiana et redemptrix. Haec talis gratia dicitur esse praedita quodam dynamismo seu quadam virtualitate universalis, quae diversimode manifestatur in singulis membris corporis mystici, eo fere modo quo virtus multiformis animae humanae diversimode participatur et manifestatur sive in singulis ipsius potentiis vegetativis, sensitivis, intellectivis,

affectivis; sive in singulis organis corporeae compaginis; oculo, aure, tactu etc. Sed praestat audire ipsum auctorem.

« Concluycamos, pues, que el alma del cuerpo místico es la gracia cristiana *en lo que tiene de cristiana*. Esta gracia tiene *virtualidad universal* y tiene manifestaciones universales; a la manera como el alma humana tiene en nosotros manifestaciones múltiples también, desde las más imperfectas, como las vegetativas y motivas, hasta las más perfectas como las intelectivas y afectivas. La gracia cristiana, en cuanto cristiana o redentora, y no en cuanto santificante, puede en ocasiones manifestarse como gracia simplemente actual; otras veces como fe; otras como caridad que santifica; otras como gloria; otras como poder gobernante, como poder de magisterio, como poder de administrar las cosas divinas. El único que la posee en toda su plenitud, y con toda su virtualidad es Cristo, la cabeza del Cuerpo místico. En los demás miembros se manifiesta de maneras diversas, todas coincidentes en una cosa, en ser manifestaciones de una gracia ordenada a la salvación por vía de redención, o sea, en ser manifestaciones de una gracia *cristiana* » o. c. p. 840.

Auctor ad probandam suam thesim utitur duplici argumento: uno positivo et bíblico; altero negativo et exclusivo. Argumentum bíblicum sumitur e doctrina Pauli. Profecto Apostolus multifariam docet nostram vivificationem supernaturalem esse opus Christi transcendentis (influxus capitalis) et Christi immanentis (influxus animicus). Christus est caput corporis mystici, et qua talis manet extra nos, exercet influxum vitalem extrinsecum. At Christus est quoque *vita nostra* ut expresse dicitur in epistula ad Coloss. 3, 4; et qua talis est anima, manetque intra nos (Christus immanens). Sed Christus immanens non est Christus personalis, sed est gratia Christi; gratia, inquam, quae est in capite eiusque animam vivificat, et ex Christo capite derivatur ad membra, quorum animas sanctificat et vivificat. « No se trata aquí de otro Cristo más que de la gracia que le santifica a El, que de El, como cabeza, viene a nosotros, y que nos santifica a nosotros. Esta gracia es el alma e el don creado que vivifica a todos cuantos pertenecen al cuerpo místico » o. c. p. 837. — Accedit quod Christus, sicut dicitur *vita nostra*, sic etiam dicitur *iustitia nostra*, ut apparet in epistula ad Rom. 8, 10: « Si autem Christus in

vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem ». Ubi rursus apparet nostram iustificationem ac vivificationem esse opus gratiae christianae. — Gratia porro christiana non tantum vivificat membra corporis mystici, sed ea *unit* Christo et inter se, quod est alterum animae munus. Sane gratia christiana nobis communicatur per baptisma et reliqua novae legis sacramenta. Atqui baptismate Christo incorporamur et unimur ita quidem, ut ipsum vere induamus. « Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis ». Gal. 3, 27. Quod si qui forte iustificantur et Christo uniuntur ante receptum baptisma, id non fit sine voto explicito vel implicito sacramenti. « Los que se santifican antes de recibir este sacramento es porque reciben *su gracia* mediante un voto explicito o implícito del mismo, y esta gracia es cristiana » o. c. p. 837. *Summatim ergo*: Anima est principium immanens vitae et unitatis in corpore organico. Atqui gratia christiana, qua christiana, est principium immanens vitae et unitatis in corpore mystico. Ergo gratia christiana iure merito dici potest anima creata corporis mystici.

Argumentum negativum procedit via exclusionis: Nullum donum creatum, praeter gratiam christianam, potest fungi munere animae in corpore mystico. Non *gratia sanctificans*; quia tunc nullus remaneret locus peccatoribus in corpore mystico. Atqui pro certo retinendum est peccatores quoque esse membra actualia corporis mystici. — Non *caritas*; propter eandem rationem; quia sunt in Ecclesia multi qui carent caritate, recte tamen computantur intra membra Ecclesiae. — Non *fides*; quia beati in caelo carent fide, et nihilominus recensentur inter optima quaeque membra corporis mystici, quippe qui sint uniti cum Christo capite unione perfecta et definitiva. — Non *potestas regiminis*; quia in hoc casu oporteret eliminare a censu membrorum corporis mystici omnes iustos non baptizatos, necnon iustos caelites, quippe qui non sunt subiecti potestati regiminis ecclesiastici. Audiamus ipsum auctorem: « Veamos la prueba negativa: Los otros dones sobrenaturales creados dan solamente soluciones *parciales*; nada extraño, pues son manifestaciones parciales también de la gracia cristiana. Solamente explican la vivificación de *determinados miembros*, pero no la de *todos*. Por eso no se puede decir que sean alma

del cuerpo místico, que es un organismo que consta *de todos*. En cambio, la gracia cristiana, no en cuanto santificante, o en cuanto caridad, o en cuanto fe, o en cuanto poder jurisdiccional, sino *en cuanto cristiana*, abarca todas esas manifestaciones y llega a todos los hombres que forman parte del organismo sobrenatural del que Christo es cabeza » o. c. p. 838-839.

Nostra sententia: Nostra opinio est quod inter quatuor propositas sententias doctorum, unice sit retinenda ut vera illa quam secundo loco proposuimus. Videlicet, una, non duplex, est agnoscenda anima in corpore mystico; haec anima non constituitur ullo dono creato, vel complexu donorum; sed dono increato, qui est Spiritus Sanctus. Spiritus porro dicitur non proprie et univoce anima, sed *quasi* anima, idque per appropriationem, quia Spiritus Sanctus in linea causae efficientis producit in corpore mystico similes effectus vitales et organicos ac anima humana producit in corpore organico humano. Exhibeamus argumentum biblicum — Traditionis — rationis theologiae — Sequetur examen sententiarum oppositarum.

Argumentum ergo biblicum praecedat: Paulus in sua epistula prima ad Cor. capite duodecimo egregie describit indolem corporis organici humani, eiusque habitudinem ad corpus mysticum et ecclesiasticum. Quatuor requiruntur ad constitutionem corporis organici humani: membrorum multitudo et varietas, corporis unitas et vita. Primo quidem membrorum multitudo: « Nam et corpus non est unum membrum, sed multa » (12, 14) — « quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? » (12, 19). Requiritur etiam membrorum varietas tum anatomica, tum physiologica seu functionalis: « Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? » (12, 17). Similiter ad Rom. 12, 4-5: « In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent? » Tertio requiritur corporis unitas: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt » (12, 12). Similiter ad Rom. 12, 5: « Sicuti in uno corpore multa membra habemus ». Quarto loco requiritur evidenter vita, cum agamus de corpore humano non mortuo, sed vivo. Porro imma-

nens unitatis, varietatis, vitaeque principium in corpore humano est anima: quae non immerito definitur a philosophis: primum vitae principium in corpore organico; vel etiam: actus corporis organici. Quam sit vera et realis haec definitio quotidiana experientia fit manifestum. Recedente quippe anima a corpore, illico recedit vita, recedit corporis unitas et varietas, et succedit compaginis organicae ad pulverem usque dissolutio. Age iam: quem locum tenet anima in corpore organico et humano, eundem tenet Spiritus Sanctus in corpore mystico et ecclesiastico, id quod venit iam demonstrandum.

Primo quidem Spiritus Dei est immanens et primum *unitatis principium* in corpore Ecclesiae. « Etenim *in uno Spiritu* omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; et unum Spiritum omnes potavimus ». Ad rem Cornely in h. l.: « Omnia membra, quamvis multa et diversa sint, unum idemque corpus constituunt, quia uno eodemque principio informantur, a quo et totum corpus vitam suam habet; ex uno enim eodemque principio in unum corpus organicum omnia sunt generata, ex eodemque varias suas vires facultatesque habent. Iamvero utrumque etiam in membris obtinet, quibus mysticum corpus Christi constituitur. Generationi enim naturali respondet supernaturalis regeneratio ». His harmonice resonant quae leguntur ad Ephes. 4, 4: « Unum corpus et unus Spiritus »: ideo christiani iubentur solliciti esse servare *unitatem Spiritus* in vinculo pacis. Similia leguntur in eadem epistula 3, 14 sq. « Ipse (Christus) est pax nostra, qui fecit utraque unum ut reconciliet ambos *in uno corpore* ... quoniam per ipsum habemus accessum *in uno Spiritu* ad Patrem ».

Spiritus S. dein est *principium varietatis* in corpore mystico. Ubi « divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus ... Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alii autem fides in eodem Spiritu; alii autem gratia sanctorum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spiritum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* » (12, 4-11).

Spiritus Sanctus tertio loco est primum *vitae principium*

in corpore mystico, id quod multifariam demonstrandum venit:

a) Prima demonstratio institui potest instar corollarii: Etenim quod est principium unitatis in corpore mystico, eo ipso est principium entitatis, cum unitas nihil sit aliud, quam ipsa entitas prout est indivisa in se. Atqui corpus mysticum est ens vivum, vita supernaturali praeditum. Ergo si Spiritus Sanctus est principium unitatis in corpore Ecclesiae, eo ipso est principium vitale ipsius corporis.

b) Vita membrorum in corpore mystico obtinetur mediante adhaesione ad Christum caput per fidem. Etenim « qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae ». Io. 7, 38. Atqui principium huius vitae est Spiritus Sanctus, ut apparet ex contextu proxime subsequenti: « Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat datus Spiritus quia Iesus nondum erat glorificatus ». Ibid. v. 38.

c) Constans est Pauli doctrina nos iustificari per fidem in Christo. Fidei porro iustificantis obiectum est Christus resuscitatus et Dominus. « Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris » (Rom. 10, 9-10). Atqui Spiritus Sanctus est causa principalis huius fidei. Etenim « nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto ». I Cor. 12, 3.

d) Vita corporis mystici formaliter constituitur fide et caritate: etenim si quis est in Christo, est nova creatura (II Cor. 5, 17). Haec autem nova creatura est fides informata per caritatem. « Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides quae per caritatem operatur » (Gal. 5, 6). Atqui principium caritatis infusae est Spiritus Sanctus ». Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » (Rom. 5, 5).

e) Vita nostra in corpore mystico est fructus iustificationis. Atqui principium huius iustificationis est Spiritus Christi et Dei ut fit manifestum ex Rom. 8, 9-10: « Vos non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus vero vivit propter iustificationem ». Duo hic asseruntur: 1° vitam spiritus seu animae esse

fructum iustificationis; 2° iustificationem esse opus Christi inhabitantis in nobis. Porro Christus habitat in nobis per suum Spiritum, qui est Spiritus Dei.

f) Vita nostra in corpore mystico est intime conserta cum filiatione Dei, quam per fidem et baptismum obtinemus: « Omnes enim filii Dei estis per fidem quae est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis » (Gal. 3, 26-27). At principium huius divinae filiationis est Spiritus Sanctus. « Quicumque enim aguntur Spiritu Sancto, hi sunt filii Dei » (Rom. 8, 14). Similiter « quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum filii sui, clamantem: Abba Pater » (Gal. 4, 6). Hic est Spiritus qui nos liberat a servitute. « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei ... Similiter et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » (Rom. 8, 15-16, 26). Huic Spiritui debemus, quod iteratos concupiscentiae insultus superare ac refrenare possimus. « Lex enim Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis » (Rom. 8, 2).

g) Nostra in corpore Christi vivificatio implicat animi munditiam et sanctificationem; sed auctor huius munditiae et sanctificationis Spiritus est. « Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Sancto » (I Cor. 6, 11).

h) Nostra sanctificatio et perfectio christiana est opus lentae cuiusdam et progressivae evolutionis, per quam transformamur ad imaginem Christi capitis. Sed Spiritus est auctor principalis huius mirae transformationis. « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur tamquam a Domini Spiritu » (II Cor. 3, 18).

i) Adaequata nostra vivificatio in corpore mystico importat vitam non tantum animae sed etiam corporis glorificandi. Atqui Spiritus Sanctus est causa huius vitae in corpore glorificato. Etenim « si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a

mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis » (Rom. 8, 11).

Novum analogiae genus inter animam humanam et Spiritum Sanctum in eo detegitur, quod, sicut anima nostra exhibet suam praesentiam in corpore ita ut sit tota in toto, et tota in singulis partibus; sic etiam Spiritus Dei est praesens in corpore mystico ita ut sit totus in toto corpore, et totus in singulis ipsius partibus. « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei estis vos » (I Cor. 3, 16-17). — « An nescitis quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? » (I Cor. 6, 19). Longae et diffusae argumentationis haec esto

Conclusio: Sicut anima humana in corpore physico et organico, sic etiam Spiritus in corpore mystico et ecclesiastico est immanens unitatis, varietatis, vitaeque principium. Iure ergo merito hic Spiritus dicitur anima vel quasi anima corporis mystici.

Argumentum traditionis patristicae fuse evolvit Tromp in « *Textus et Documenta* » Series theologica, 1 et 7. Pauca excerptimus.

Irenaeus exhibet Spiritum Sanctum primo ut principium unitatis et vitae in corpore mystico: « Dominus pollicitus est mittere se Paracletum qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Iesu sine aqua quae de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem non fructificat; sic et nos, lignum aridum existentes primum, numquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia ». Haec aqua de coelo quae facit nos unum in Christo capite, et fructificare in vitam aeternam est Spiritus Sanctus, ut apparet tum ex his quae initio citationis dicuntur de Domino promittente mittere Paracletum, tum ex contextu proximo subsequente, ubi sermo est de Christo « policiente (Samaritanae) *aquam vivam* salientem in vitam aeternam, quam Dominus accipiens munus a Patre, ipse quoque his donavit, qui ex ipso participantur, in universam terram mittens Spiritum Sanctum ». — Hic Spiritus primo datus est ipsi Christo

ut eum ditaret gratia septiformi; et per Christum dein datus est Ecclesiae: « In omni autem terra fieri vos, quod est Spiritus Dei, qui descendit in Dominum, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiae et pietatis, spiritus timoris Dei; quem ipsum iterum dedit Ecclesiae, in omnem terram mittens de coelis Paracletum ». Adv. Haer. 111, 17. MG 7, 929-930.

Irenaeus exhibet secundo Spiritum Sanctum ut *fontem gratiarum et charismatum* pro tota Ecclesia: « Hoc enim Ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum aspiratio plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur; et in eo disposita est communicatio Christi, id est Spiritus Sanctus, arrha incorruptelae, et confirmatio fidei nostrae, et scala ascensionis in Deum. In Ecclesia enim posuit Deus apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem Spiritus; cuius non sunt participes omnes qui non concurrunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem ». Vides Spiritum Sanctum esse pro Irenaeo principium unitatis et vitae in corpore mystico, fontem gratiarum et charismatum in Ecclesia apostolica et hierarchica.

Origenes; « Dicimus divinas Scripturas affirmare totam Dei Ecclesiam esse corpus Christi a Deo Filio animatum, membra autem illius corporis, ut totalitatis cuiusdam, esse ipsos illos qui credunt. Quoniam, sicut anima vivificat et movet corpus, quod a seipso natura sua vitaliter moveri nequit, ita Verbum totum corpus, Ecclesiam dico, movens ad ea quae opus sunt et intrinsece agens, singula quoque membra eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, movet, cum nihil sine Verbo faciant ». Contra Celsum VI, 79: MG 11, 1417. Origenes hoc loco functionem animandi Ecclesiam tribuit Verbo; at superius monuimus Spiritum esse quasi animam Ecclesiae non per proprietatem, sed per appropriationem. Reapse haec functio animica a tribus simul personis divinis exercetur. Ceterum Origenes explicitè docet unctionem Spiritus Sancti, quae est functio sancti-

ficatrix, primum fieri in Christo capite, et inde ad corpus derivari: « Novimus advenisse Christum, et videmus multos in mundo per eum factos esse Christos, qui sicut et ille dilexerunt iustitiam et oderunt iniquitatem; propterea et illos unxit Deus, Deus ille Christi, oleo letitiae. Sed ille, cum prae consortibus suis dilexerit iustitiam et oderit iniquitatem, primitias unctionis accepit, imo totam unctionem huius olei laetitiae. Participes autem eius, prout quisque capere potuit, unctionem eius quoque participabant. Qua de causa, cum Christus sit caput Ecclesiae, ita ut unum corpus sint Christus et Ecclesia, unguentum a capite descendit in barbam Aaron — barba enim est symbolum viri perfecti — et simul descendit unguentum illud in oram vestimenti eius ». Idem docet Origenes in aliis quoque locis: « Quos autem offert (Christus) Patri, Spiritus Sanctus suscipit ut sanctificet eos, et tamquam coelestis Ecclesiae primitivorum *membra vivificet*, atque in *soliditatem totius corporis* perfectionemque restituat, et ita demum Ecclesia Dei non habens maculam neque rugam appellari mereantur ». Comment. in Epist. ad Rom. 8, 5. Similiter in eodem Comment. 8, 11.

« Huic namque radici (Christo) omnis qui salvatur inseritur, et ex hac delibatione sancta massa humani generis sanctificatur; et vere sicut radix sancta manentibus in se ramis sanctitatis pinguedinem praebet, dum *per Spiritum suum Sanctum adhaerentes sibi vivificat* ». Similia sunt quae leguntur In Ezech. homil. 9, 1. MG. 13, 752. « Ut Pater et Filius unum sunt, sic *qui unum Spiritum habent, in unionem coarctantur*. Ait quippe Salvator: Ego et Pater unum sumus; et: Pater sancte: sicut ego et tu unum sumus, ut et isti in nobis unum sint; et in Apostolo legitur: donec perveniamus omnes *in unitatem corporis et Spiritus Christi* ».

Methodius: « Hunc in modum enim et illud: *Crescite et multiplicamini* impletur: nam Ecclesia in magnitudinem et decorem et amplitudinem in dies augetur per copulam et unionem Verbi ... Non enim aliter Ecclesia credentes concipere et per lavacrum regenerationis regenerare poterit, nisi etiam propter eosdem Christus se ipsum exinaniverit, ut per passionis recapitulationem capiatur, et iterum de coelo descendat, et admixtus uxori suae, Ecclesiae videlicet, moriatur, et vim

quamdam suam ex latere auferendam praebeat, ut augmentum sumant omnes qui in ipso aedificantur, illi videlicet qui per lavacrum nati sunt, et ex ossibus eius et carne eius, hoc est, ex sanctitate eius et gloria eius, acceperunt. Sapientiae enim ossa et carnem, qui dicat consilium esse atque virtutem, rectissime dixerit; *costam autem Spiritum veritatis, Paracletum*; ex quo sumentes, ad incorruptionem convenienter regenerantur illuminati. Fieri autem nequit ut quis particeps fiat Spiritus Sancti, et velut membrum Christi adnumeretur, nisi prius super ipsum quoque Verbum condescenderit et ... reformatus consors fieri possit renovationis et instaurationis Spiritus. Ille enim proprie dicitur costa Verbi, videlicet Spiritus veritatis septiformis; de quo sumens Deus post extasim Christi, id est, postquam homo factus et passus est, feminam ei in adiutorium comparat: dico animas ei adaptatas et desponsatas ». Convivium decem virginum, 111, 8: MG 18. 74.

Eusebius: Apostoli ... statim operibus suis ostendebant quantum posset praesentia Spiritus Sancti. Primo quidem, quia dum essent multi, unum erant spiritu et anima, *quia unus et idem Spiritus erat*, qui has efficientias dividebat. Sicut enim lapides et lateres multi coniuncti et compositi in aedificium unum, et membra plura praecepto aedificantis in unam compaginem aedificantur; ita et Apostoli *uno baptizati Spiritu* separationem multitudinis deposuerunt. *Coniunctione autem Spiritus arctati*, unum erant omnes et spiritu et anima et consensione et concordia ». De operibus bonis. MG 24, 1199.

Athanasius: « Scribit itaque Ioannes hisce verbis: In hoc cognoscimus quia in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Ergo *propter datam nobis Spiritus gratiam et nos in ipso sumus*, et ipse in nobis; et quia Spiritus ille, Spiritus Dei est, hac de causa ob praesentiam Spiritus in nobis, iure merito et nos, quippe qui Spiritum habemus, in Deo esse reputamur, et sic Deus est in nobis. Non igitur sicut Filius est in Patre, ita et nos in Patre sumus. Etenim Filius non particeps est Spiritus ut hanc ob rem in Patre evadat; nec ipse Spiritum accipit, sed potius eundem omnibus suppeditat; nec Spiritus est qui Verbum cum Patre coniungit, sed potius Spiritus a Verbo accipit ». Orat. III contra Arian. MG 26, 374. —

« Hac de causa Verbum ac Filius Patris, unitus carni, caro factus est, homo perfectus, ut homines *uniti Spiritui, unus spiritus efficerentur*. Ille igitur est Deus carnem gerens, et nos homines gerentes Spiritum. Primitias enim sumens ex substantia hominum, id est ex semine Adae (quae est forma servi), et in similitudinem hominum factus, dedit nobis ex substantia Patris *primitias* Spiritus Sancti, ut efficiamur nos omnes filii Dei, in similitudinem Filii Dei. Ipse igitur verus et secundum naturam Filius Dei omnes nos portat, ut nos omnes unum portemus Deum ». Exposit. in Psalm. 132, MG 27, 524. — « Ecce quam bonum et iucundum. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam. Quando congregata fuerit Ecclesia, et unum veluti concentum fecerit, tunc profecto unctio sacerdotalis Spiritus Sancti proferetur, primum quidem in caput Ecclesiae, quod est Christus; deinde in barbam, quae est decus faciei Ecclesiae: hac voce intelliguntur Apostoli. Postremo autem ad totum corpus transivit, id est ad omnes qui in Ecclesia Christum induxerunt ». Ibid. — « Quia Verbum est in Patre, Spiritus autem ex Verbo datur, vult nos accipere Spiritum, ut hoc accepto atque habentes Spiritum Verbi, quod est in Patre, ostendamus et nos *per Spiritum unum esse* in Verbo, et per Verbum in Patre. Unde quemadmodum filii et dii efficitur per Verbum in nobis inhabitans, ita in Filio et Patre erimus et censebitur unum facti in Filio et Patre, quia in nobis est Spiritus, qui est in Verbo, et Verbum in Patre ». Contra Arian. Oratio III MG 26, 373.

Basilius: « Dispensationes circa hominem quae facta sunt a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo secundum bonitatem Dei, quis negabit *per Spiritus gratiam esse impletas*? Primum enim adfuit ipsi carni Domini, unctio factus, et Domino inseparabiliter praesens, sicut scriptum est: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est filius meus dilectus ... Nec post resurrectionem ex mortuis Christum reliquit. Nam cum Dominus renovat hominem et denuo reddit ei gratiam, quam ex afflatu Dei acceptam perdidit, quid dicit insufflans in faciem discipulorum? Accipite Spiritum Sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. Iamvero *Ecclesiae constitutio nonne, clare et evidenter per Spiritum perficitur?*

Ipsē enim dedit, dicit Apostolus, in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Hic enim ordo secundum distributionem donorum Spiritus constitutus est ».

« Iamvero etiam ut totum in partibus intelligitur Spiritus secundum distributionem donorum. Omnes enim sumus invicem membra, sed habentes dona secundum gratiam Dei nobis datam diversa. Quapropter non potest oculus dicere manui: opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: non estis mihi necessarii; sed omnia quidem simul complent corpus Christi *in unitate Spiritus*, necessarium autem auxilium sibi invicem ferunt ex donis. Nam posuit Deus membra in corpore, unumquodque eorum sicut voluit. Membra autem eadem pro se invicem habent sollicitudinem, secundum spiritualem communionem affectus mutui ipsis insiti. Quare si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Et sicut partes sunt in toto, sic singuli nos sumus in Spiritu, quia *omnes nos in uno corpore et in unum Spiritum baptizati sumus* ». Liber de Spiritu Sancto, XXVI, 61. MG 32, 181.

Cyrrillus Hierosol.: « Cur autem gratiam spiritualem aquam vocavit? Hac de causa, quia aqua omnia consistunt; quia herbas et animalia producit; quia ex coelis imbrium aqua descendit; quia uniformis quidem procedit, multiformiter autem operatur: unus enim fons totum paradisum irrigat, unus et idem imber ubique in orbe descendit, ac in lilio albus efficitur, in rosa ruber, in violis et hyacinthis purpureus, diversus quoque et versicolor in diversis rerum generibus. Et alius quidem est in palma, alius rursus in vite, et in omnibus est omnia, licet uniformis nec alius a seipso existat. Non enim semetipsum transformans in diversis formis imber descendit, sed constitutioni suscipientium sese ubique adaptans, unicuique id fit, quod ipsi convenit. *Eodem modo Spiritus Sanctus*, licet unus sit et unius formae sit indivisibilis, singulis dividit gratiam sicut vult. Licet unius formae, multas tamen nutu Dei et in nomine Christi virtutes operatur ». Catech. XVI, 12. MG 33, 933.

Gregorius Nazianzenus: « Sicut in corpore aliud est principium regendi et quasi praesidendi, aliud quod regitur et agitur, sic a Deo in ecclesiis constitutum est vel aequitatis lege, qua uniuscuiusque dignitatem respicit, vel etiam providentiae lege, qua omnia inter se connectit, ut alii, quibus illud utilius est, pascantur et regantur, et tum verbo tum opere ad officium implendum dirigantur; alii autem ad Ecclesiae perfectionem pastores et doctores sint, ii scilicet qui virtute et coniunctione cum Deo vulgus superat, ad alios se habentes sicut anima ad corpus, vel mens ad animam; ut haec duo, id est quod minus est, velut in membris inter se composita et compacta, *Spiritusque harmonia connexa* et colligata, unum corpus constituent integrum et revera dignum ipso Christo capite nostro ». Oratio II Apolog. 3, MG 35, 409.

« Ordo quoque in ecclesiis constituit, ut illud oves sint illud pastores; illud regat, illud regatur; et illud velut caput sit, illud pedes, illud manus, illud oculi, illud aliud quoddam e corporis membris, ad totius concinnitatem, sive nobilium sive inferiorum. Et sicut in corporibus nec membra inter se diversa sunt, sed totum corpus unum est ex diversis componentibus; nec eadem omnium operatio est, quamquam mutua membrorum inter se quae est indigentia omnibus aequae necessariam facit unitatem et concordiam; nec oculus ambulat, sed viam demonstrat; nec pes prospicit, sed in alium locum progreditur ... mens vero omnibus praeest, quia ab ea vis sentiendi procedit et ad eam sensus referuntur: sic etiam apud nos in communi Christi corpore. — Omnes enim unum corpus sumus in Christo, singuli autem Christi atque alter alterius membra. Illud enim regit et praesidet, illud agitur et dirigitur, nec idem ambo perficiunt, siquidem imperare et imperari non est idem. Fiunt tamen unum in unum Christum *ab eodem Spiritu constructa atque connexa*. Et rursus, sicut inter illos qui reguntur ratione proportionis singuli inter se differunt et cultura et exercitatione et aetate; eodem modo inter eos qui regunt haud parva est differentia; et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, sicut Paulus dicit; ne dubitaveritis. Et quosdam quidem, inquit, posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores: primum propter veritatem, alterum propter umbram, tertium propter perfectionem auxilii et illuminationis. Et *Spiritus qui-*

dem unus est, non autem paria sunt dona, quia differunt Spiritus receptacula ». Oratio 32, de moderatione in disputando 10 et 11. MG 36, 185 et 188.

Gregorius Nysenus: « Postquam verbis consecrationis potestatem omnem in discipulis suis deposuerat, tum alia bona per verba, quae ad Patrem dirigit, sanctis tribuit, tum addit quoque bonorum omnium supremum: scilicet, ut iam non diversitate voluntatum in diiudicando bono essent divisi, ut omnes fierent unum, cum uno illo et solo bono coalescentes; ita ut *per unitatem Spiritus Sancti*, quemadmodum dicit Apostolus, in vinculo pacis constructi, *unum corpus fierent et unus Spiritus*, per spem unam, in quam erant vocati. Melius autem erit ad verbum afferre divinas voces evangelii: Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te; ut et ipsi unum sint. *Huius autem unitatis nexus est claritas*. Claritatem autem appellari Spiritum Sanctum, nemo eorum qui res bene perspexerint, negaverit, si respicit ad ipsa Domini verba, dicentis: claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. Revera enim discipulis suis dedit hanc claritatem, ipse dicens illis: Accipite Spiritum Sanctum. Atque hanc claritatem, quam semper habuit priusquam mundus esset, accepit, cum naturam humanam indueret; *ex qua natura clarificata a Spiritu, omnis distributio claritatis Spiritus Sancti in propinquos originem sumit*, incipiens ab Apostolis. Hanc ob causam dicit: claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum ». In Cant. hom. 15. MG 44, 116-117.

Didymus Alexandrinus: « Vos autem ... non estis in carne, id est, in carnis operibus, neque eius opera perpetratis, siquidem Spiritum Dei habetis in vobis. Idem autem Spiritus Dei, et Spiritus Christi est, deducens et *copulans eum qui in se habuerit, Domino Iesu Christo*. Unde et in consequentibus scribitur: Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius ». Lib. de Spiritu Sancto, 39. MG 39, 1068. — « Nonne omne quod bonum inter homines christianos habetur et gloriosum; nonne omne virtutis laudisque honestae studium, omnisque denique ad veritatem alacrior progressus, uni debentur Spiri-

tui Sancto, divino illi atque *Ecclesiae auctori, ductori, promotori*, cuius largitionibus inde a prima donorum effusione nec intermissis nec intermittendis umquam, hi ipsi dies (Pentecostales) sacri habentur? » Enarrat. in epist. 2 Petri 3, 5 MG 39, 1774.

Ioannes Chrysostomus: « Sicut ergo unum quid est corpus nostrum, etiamsi ex multis membris constituatur; sic etiam in Ecclesia unum quid omnes sumus. Quamquam enim Ecclesia ex multis membris constat, tamen illa multa unum fiunt corpus. Quomodo illud est? Etenim in uno Spiritu, inquit, omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi. Quod dicit, hoc significat: *illud quod efficit, ut unum corpus fiamus*, et quod nos regeneravit, *unus est Spiritus*. Non enim in alio hic, in alio ille baptizatus est Spiritu. Non solum autem illud, quod baptizavit nos, unum est, sed et illud in quod baptizavit, id est, in cuius finem baptizavit, unum est. Non enim ut diversa fierent corpora, baptizati sumus, sed ut omnes unius corporis integritatem mutuo servaremus, id est, ut omnes unum corpus essemus, in hoc baptizati sumus ». In Epist. I ad Cor. homil. 30. MG 61, 250 et 251.

« Quid est unitas Spiritus? Sicut in corpore est unus spiritus omnia continens, unum quid efficiens, quod consistit in diversis membris; eodem modo et hic. Hac enim de ratione datus est Spiritus, ut uniat genere moribusque disiunctos. Nam senex et iuvenis, pauper et dives, puer et adultus, mulier et vir, et omnis anima fit unum quid, et magis unum quam si esset unum corpus. Hac enim corporali colligatione multo maior est illa spiritualis, pleniorque unionis absolutio. Animae enim coniunctio eo magis absoluta est, prout est magis simplex et unius formae. Quomodo autem illa servatur? In vinculo pacis ». In Epist. ad Ephes. homil. 9, 3. MG 62, 72.

Cyrillus Alexandrinus: « Concorporei enim Christi facti sumus per mysticam benedictionem. Sed et alio modo uniti sumus inter nos, quia scilicet divinae eius naturae consortes facti sumus *per Spiritum*. Inhabitat enim sanctorum animas, et sicut beatus Ioannes dicit: In hoc scimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis. Ipse igitur est nostra

vita, ipse est nostra iustificatio. Et ille quidem (Adam) in unam carnem suscepit mulierem et per eam periit; Christus vero *Ecclesiam sibi coniungens per Spiritum*, eam liberat et salvat ». Glaph. in Gen. VI, 3. MG 69, 296. — « Divinus Paulus saepe miscet et utrumque tamquam unum idemque inducit: Paracletum videlicet et Filium. Invenies enim sic loquentem: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius; et tamen mox addit: Si autem Christus in vobis est, corpus quidem est mortuum propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Audisne quomodo apertis verbis profiteatur *Christum habere eos qui eius Spiritum acceperint?* Dicit etiam alibi: puto quod et ego Spiritum Dei habeam, qui tamen illud quoque nobis dixit: « An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? Et nobis credentibus inhabitare Christum per fidem adprecatur, licet accipiamus Spiritum Sanctum ». In Ioannes Evang. lib. IX, c. 14, 18. MG 74, 261.

« Ut ad unitatem cum Deo et inter nos invicem contenderemus, et una comisceremur, licet singulorum differentiis individualiter diversi et quoad corpora et quoad animas, rationem quamdam excogitavit Unigenitus singulari ipsius sapientia et Patris consilio inventam. Uno enim corpore, proprio suo scilicet, in se credentes benedicens, per mysticam participationem et sibi et eos inter se concorporales efficit. Nam si omnes de uno pane participamus, unum corpus efficimur. Quare etiam corpus Christi nuncupatur Ecclesia, nos autem membra ex parte. Quoad unionem vero in Spiritu, eandem fere considerationum sequemur viam; et dicemus denuo, nos omnes, uno et eodem accepto Spiritu, Spiritu Sancto scilicet, quodammodo commisceri inter nos et cum Deo. Licet enim separatim multi simus, et in singulis Christus Spiritum Patris et suum Spiritum inhabitare faciat, unus tamen et indivisus est Spiritus, qui spiritus singulorum separatim existentes — scilicet in quantum secundum existentiam individualitatem gaudent — in unitatem colligit per semetipsum, et omnes velut unum quid manifestat in semetipso. Sicut enim virtus sanctae carnis concorporales efficit eos, in quibus est, eodem modo, ni fallor, unus in omnibus indivisibilis habitans Spiritus Dei, ad unitatem spiritualem cogit omnes. Uno enim in nobis habitante Spiritu, unus in nobis aderit Pater omnium Deus, per Filium ad unitatem mutuam et ad unionem

sui coniungens ea, quae Spiritum participant. Quod autem Spiritui Sancto per participationem unimur, ex sequentibus quoque quodammodo apparet. Nam si modo animaliter vivendi repudiato, subito tradimur legibus spiritus obtemperandis, nonne tunc evidens est omnibus, nos vita propria quodammodo relicta, et coniuncto nobis Spiritu Sancto, in naturam quasi aliam esse transformatos, non iam solummodo homines, sed et filios Dei et coelestes homines esse nuncupandos, ex eo quod divinae naturae consortes sumus effecti? » In Ioannis Evangelium lib. XI, 11, c. 17, 20-21 : MG 74, 557 sq.

Augustinus : « Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligent. *Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi.* Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes et corpus habes : spiritum dico, quae anima vocatur, qua constat quod homo es ; constat enim ex anima et corpore. Habes itaque spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi quid ex quo vivat : spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus ex spiritu tuo? Respondet omnis qui vivit ; qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo et tuum de tuo. *Non potest vivere corpus Christi nisi de Spiritu Christi.* Inde est quod exponens nobis Apostolus hunc panem, inquit : Unus panis, unum corpus multi sumus. O Sacramentum pietatis ! O signum unitatis ! O vinculum charitatis ! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur ». Tract. in Ioh. 26, c. 6, 13. ML 35, 1612-1613.

« Diximus, fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suae et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, et ipse in nobis. Manemus autem in eo, cum sumus membra eius ; manet autem ipse in nobis, cum sumus templum eius. Ut autem simus membra eius, unitas nos compaginat. Ut compaginet unitas, quid facit nisi caritas? Et caritas Dei unde? Apostolum interroga : Caritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ergo *Spiritus est qui vivificat.* Spiritus enim facit viva membra.

Nec viva membra Spiritus facit nisi quae in corpore, quod vegetat ipse Spiritus, invenerit. Nam spiritus, qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivificat membrum, quod separatum invenerit a carne tua? spiritum dico animam tuam: anima tua non vivificat nisi membra, quae sunt in carne tua: unum si tollas, iam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur. Haec dicuntur, ut amemus unitatem, et timeamus separationem. Nihil enim sic formidare debet christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum eius; si non est membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. Quisquis autem, inquit Apostolus, non habet Spiritum Christi, hic non est eius. Spiritus ergo est, qui vivificat, caro autem non prodest quidpiam ». In Ioh. Tract. 27, c. 6, 6. ML 35, 1618.

« Nemo ergo dicat: accepi Spiritum Sanctum; quare non loquor linguis omnium gentium? Si vultis habere Spiritum Sanctum, intendite, fratres mei. Spiritus noster quo vivit omnis homo, vocatur anima; spiritus noster quo vivit singulus quisque homo, anima vocatur; et videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat; per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat. Omnibus simul adest membris, ut vivant; vitam dat omnibus, officium singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris, nec oculos, sed tamen vivit; vivit auris, vivit lingua: officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei: in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur; sed pariter vivunt. *Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia.* Hoc agit Spiritus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes. Numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat; praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit; praecisus haereticus factus est: membrum amputatum non sequitur Spiritus ». Sermo 267, 4. ML 38, 1231.

« Membra nostra attendite. Multis membris constitutum est corpus, et vegetat membra omnia unus spiritus. Ecce humano spiritu quo sum ego ipse homo, membra omnia colligo; impero membris ut moveantur, intendo oculos ad videndum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum. Officia membrorum dispartita sunt, sed unus spiritus continet omnia. Multa iubentur, multa fiunt; unus iubet, uni servitur. *Quod est spiritus noster, id est, anima nostra ad membra nostra; hoc est Spiritus Sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia.* Inde apostolus, cum corpus unum nominasset, ne intelligeremus mortuum corpus: unum, inquit, corpus. Sed rogo te: vivit hoc corpus? Vivit. Unde? De uno Spiritu. Et unus Spiritus. Attendite ergo fratres in nostro corpore, et dolete eos, qui de Ecclesia praeciduntur. In membris nostris quamdiu vivimus, cum sani sumus, implent omnia membra officia sua. Si unum membrum dolet alicunde, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore est, dolore potest. Quid est expirare nisi spiritum amittere? Iam vero, si membrum praecidatur de corpore, numquid sequitur spiritus? Et tamen membrum agnoscitur quid est: digitus est, manus est, brachium est; auris est; praeter corpus habet formam, sed non habet vitam. Sic et homo ab Ecclesia separatus. Quaeris ab illo sacramentum, invenis; quaeris baptismum, invenis; quaeris symbolum, invenis: forma est; nisi intus Spiritu vegeteris, frustra foris de forma gloriaris ». Sermo 268, 2: ML 38, 1232-1233.

« Unde probamus Sancto Spiritui deputari septenariam numeri rationem? Dicit Isaias Spiritum Dei venire super fidelem, super christianum, super Christi membrum: sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, Spiritum timoris Dei. Si secuti estis, septem res percurri, tamquam descendentem ad nos Spiritum Dei a sapientia usque ad timorem, ut nos ascendamus a timore ad sapientiam: initium enim sapientiae timor Domini. Ita ergo et septenarius Spiritus et unus Spiritus, *septenaria operatione unus* ». Serm. Frangipane, 1. 17, Miscell. Agost. I. 2, 185.

Prosper Aquitanus: « Per Aaron sacerdotem ille indicatur sacerdos, qui veri pontificis sacramentum, non in alieni generis hostia, sed in oblatione corporis et sanguinis sui so-

lus implevit: idem sacerdos, idem victima, propitiator et propitiatio, omniumque mysteriorum quibus nuntiabatur effector; qui mortuus, sepultus, resuscitatus, ascendit in coelos, naturam humanam super omne nomen exaltans et mittens Spiritum Sanctum, *cuius unctio omnem Ecclesiam penetraret*. A capite enim, id est, a Christo manans benedictio, non solum in barbam, sed etiam in ora vestimenti eius, id est usque ad infima membra descendit. In barba autem, quae unguentum fluens a capite prima suscepit, apostoli significantur et martyres, in quibus virtus capitis et sacramento eminent et exemplo ». Exposit. Psalm. 132, 2: ML 51, 381-382.

Fulgentius Ruspensis: « Per hunc Spiritum Sanctum tanta est unitas Christi et Ecclesiae, ut cum vas electionis dicat: quia Christus caput est corporis Ecclesiae, ipsum tamen corpus Christi non dubitet Christum appellare. Denique sic ait ad Corinthios scribens: Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus. Et ut ostenderet quia hoc corpus quod sic est Christi, ut Christus sit, cum multa membra habeat, non nisi gratia Spiritus Sancti unum permaneat atque consistat, sequitur statim dicens: Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes unum Spiritum potavimus. Ipsa ergo spiritualis gratia per unitatem pacis et caritatem corpus Christi per dies singulos aedificare non desinit, quae in utero Mariae virginis domum sapientiae, quod est caput huius corporis, fabricavit ». Ad Monimum 2, 10: ML 65, 189. — « Unum corpus et unus Spiritus. Hunc Spiritum discedendo amittunt, si qui aut perfidia depravati aut superbia inflati, ab unitate corporis Ecclesiae segregantur. Quod Iudas apostolus sine hoc Spiritu esse evidenter ostendit dicens: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. Hi enim, quia animales sunt, Spiritum non habent. Tales itaque faciles sunt ad divisionem, quia Spiritum non habent, in quo uno membra Christi caram servant spiritualiter unitatem. Unde manifestum est apud omnes haereticos Spiritus gratiam non esse » ibid. ML 65, 191.

Gregorius Magnus: « Sicut est una anima quae diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spi-

ritus Sanctus vegetat atque illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiae, de Spiritu Sancto conceptus est, sic sancta Ecclesia, quae corpus eius est, eodem Spiritu Sancto repletur ut vivat; eius virtute firmatur, ut in unius fidei et caritatis compage consistat. Unde dicit Apostolus: Ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. Istud est corpus, extra quod non vivificat Spiritus. Unde dicit beatus Augustinus: Si vis vivere de Spiritu Christi, esto in corpore Christi. De hoc Spiritu non vivit haereticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus; non enim sunt de corpore. Ecclesia autem Spiritum vivificantem habet, quia capiti suo Christo inseparabiliter adhaeret ». In sept. Psalm. poem, expos. ML 79, 602.

Beda Venerabilis: « Dedit Dominus Ecclesiae Spiritum gratiae suae, quo ipso foecundata genuit ei sobolem spiritua-lem partim ad indaganda vel praedicanda sanctae Trinitatis sacramenta potentem, partim cum perfecto Dei et proximi amore sua simplicitate contemptam; quia suscepta ad tempus a Christo Incarnationis humilitas, magna habita est apud Patrem, a quo omnis qui se humiliat, exaltabitur ». In Samuel proph. alleg. expos. I. 5: ML 91, 515. — « Liquido patet quia inde catholica vocatur Ecclesia, quod per totas mundi partes in una pace, in uno Domini timore aedificatur, una eademque Spiritus Sancti consolatione repleatur. A qua unitate Spiritus, ipsa etiam recte columba vocatur: Spiritus etenim super Dominum in specie columbae descendit, ut et suam simplicitatem, et eius, in quem descendebat Domini, hac specie monstraret. Cuius simplicitatis Spiritus, quia participem fecit Ecclesiam suam Dominus, recte hanc columbam nuncupat suam, recte et perfectam nominat; non solum quia ex omnibus iustorum populis ipsa una completur, verum etiam quia omnium virtutum charismaticorumque divinorum acceptione perficitur ». In Cantic. Cantic. alleg. exposit. V, 23: ML 91, 1182-1183. — « Ecclesia in exemplum beatae semper virginis Mariae nupta simul et immaculata, concepit nos virgo de Spiritu, parit nos virgo sine gemitu, et quasi alii quidem desponsata, sed ab alio foecundata, per singulas sui partes quae unam catholicam faciunt, praeposito sibi Pontifici visibiliter iungitur, sed invisibiliter ».

bili Spiritus Sancti virtute cumulatur ». In Luc. evang. expos. I, cap. 2: ML 92, 330.

Bruno Cartusianus: Sicut enim ab eadem anima diversa membra in eodem corpore sensificantur; ita nos in corpore Ecclesiae *per eundem Spiritum omnes vivificamur* ». Exposit. in epist. ad Rom. c. 12.

Albertus Magnus: « Non enim fieri potest Communio Sanctorum in bonis nisi per Spiritum Sanctorum *totum corpus unientem et vivificantem* ». IV Sentent. 1. 3, dist. 24, q. 1.

Thomas Aquinas: « In corpore naturali invenitur quadruplex unio membrorum: prima est secundum conformitatem naturae ... Secunda est per colligationem eorum ad invicem per nervos et iuncturas, et sic dicuntur unum continuatione: tertia est secundum quod diffunditur vitalis spiritus et vires animae per corpus; quarta est secundum quod *omnia membra perficiuntur per animam quae est una numero in omnibus membris*. Et hae quatuor uniones reperiuntur in corpore mystico: prima est in quantum omnia membra sunt unius naturae specie vel genere; secunda est in quantum colligata sunt invicem per fidem, quia sic continuantur in uno credito; tertia est secundum quod vivificantur per gratiam et caritatem; quarta est secundum quod in eis est *Spiritus Sanctus, qui est ultima perfectio et principalis totius corporis mystici quasi anima in corpore naturali* ». III D. 13, q. 2, a. 1 ad secundum. Inde est quod Spiritus Sanctus sit habendus ut principium vitae et unitatis in corpore mystico, id quod explicite docetur a Thoma in II-IIae q. 183, a. 2, ad tertium: « Sicut in corpore naturali membra diversa continentur in unitate per virtutem spiritus vivificantis, quo abscedente membra corporis separantur; ita etiam in corpore Ecclesiae conservatur pax diversorum membrorum virtute Spiritus Sancti, qui corpus Ecclesiae vivificat, ut habetur Ioan. 6; unde et apostolus dicit ad Ephes. 4: sollicit servare unitatem Spiritus in vinculo pacis ». His similia sunt quae scribit in S. Theol. III, q. 8, a. 1 ad tertium: « Spiritus Sanctus Ecclesiam vivificat et unit ». Identitas porro numerica principii vivificantis et unientis Ecclesiam signanter praemitur in De veritate, q. 29, a. 4: « Spiritus Sanctus

unus ac idem numero totam Ecclesiam replet et unit. ». Tot quum sint praeconia veritatis in Traditione patristica et theologica, nihil mirum quod haec doctrina clare iam proponatur et sanciat *auctoritate magisterii ecclesiastici*. Duo sunt documenta principalia et papalia in hac materia.

Leo XIII in praeclara Encyclica « *Divinum illud munus* » ASS 29. p. 644 sq. egregie describit multiformem et animum Spiritus S. influxum in corpore mystico: primo quidem in Christo capite, dein in Ecclesia tota, demum in singulorum animis. Unde iure concluditur: « Hoc affirmare sufficit: quod, cum Christus sit caput Ecclesiae, *Spiritus Sanctus sit eius anima* ».

Pius XII in Encyclica « *Mystici Corporis* » (AAS 35, 1943) doctrinam Leonis resumit, eamque amplificat et corroborat. Tria loca ad rem nostram maxime spectant: Encyclica primo exhibet Spiritum Sanctum tamquam primum vitae unitatisque principium in corpore mystico, ideoque tamquam veram (analogice) ipsius animam: « Huic autem Christi Spiritui tamquam non adspectabili principio id quoque attribuendum est, ut omnes Corporis partes tam inter sese, quam cum excelso Capite suo coniungantur, totus in capite cum sit, totus in corpore, totus in singulis membris; quibus pro diversis eorum muneribus atque officiis, pro maiore vel minore, quo fruuntur spiritualis sanitatis gradu, diversis rationibus praesens est atque adstitit. Ille est qui coelesti vitae alitu in omnibus corporis partibus cuiusvis est habendus actionis vitalis ac reapse salutaris principium. Ille est, qui licet per se ipse in omnibus membris habeatur, in iisdemque divinitus agat, in inferioribus tamen etiam per superiorum ministerium operatur; ille denique est qui dum Ecclesiae nova semper in dies, sua afflante gratia, incrementa parit, membra tamen a corpore omnino abscissa, renuit sanctitatis gratia inhabitare. Quam quidem Iesu Christi Spiritus praesentium operationemque sapientissimus Decessor Noster imm. mem. *Leo XIII* Encyclicis Litteris *Divinum illud* per haec verba presse nervoseque significavit: « Hoc affirmare sufficiat, quod cum Christus caput sit Ecclesiae, *Spiritus Sanctus sit eius anima* ».

Encyclica secundo Spiritum Sanctum exhibet ut internum nobilissimumque socialis in Ecclesia conspirationis principium: « In hoc enim, quod morale vocant, nihil aliud est uni-

tatis principium, nisi finis communis, communisque omnium in eundem finem conspiratio; dum in mystico, de quo agimus, corpore, conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, quod tam in universa compage, quam in singulis eius partibus reapse existens virtuteque pollens, talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat. Hoc est, ut supra diximus, aliquid non naturalis, sed superni ordinis, imo in semet ipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus, qui, ut ait Angelicus, « unus et idem numero, totam Ecclesiam replet et unit » ... Quamvis enim iuridicae rationes, quibus Ecclesia etiam innititur atque componitur, ex divina oriuntur a Christo data constitutione, ad supernumque finem assequendum conferant, id tamen quo christiana societas ad gradum evehitur, qui omnem naturae ordinem prorsus evincit, Redemptoris nostri Spiritus est, qui ceu fons gratiarum, donorum, ac charismatum omnium, perpetuo et intime Ecclesiam replet et in ea operatur ». — Encyclica tertio Spiritum S. exhibet ut invisibilem Ecclesiae rectorem seu moderatorem et Christi in coelos abeuntis vicarium: « Quemadmodum enim divinus Redemptor paraclitum misit veritatis Spiritum, qui suas partes agens, arcanam sumeret Ecclesiae gubernationem, ita Petro eiusque successoribus mandavit, ut suam gerentes in terris personam perspicibilem quoque christianae reipublicae moderationem agerent ».

Ratio theologica eccedit rem totam illustrans atque confirmans: Sicut organica et humana compago plasmat vi secreta animae, sic mysticum Christi corpus efformatur mira et multiformi virtute Spiritus Sancti. Profecto corpus mysticum et ecclesiasticum essentialiter constituitur Christo capite, membris Christo incorporatis, et vita divina quae e plenitudine capitali derivatur ad membra. Prima ergo operatio est *Spiritus Sancti* efformantis primam et capitalem ecclesiastici organismi cellulam, Christum: Spiritus Sancti opus est Christi conceptio in sinu virgineo, unctio sacerdotalis, prophetica et regalis; praecellens sanctificatio, donorum et charismatum cumulatio. Ipsa quoque oblatio cruenta et sacrificialis exhibetur in Scripturis facta per Spiritum Sanctum. « Si enim sanguis hir-

corum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi qui *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit* immaculatum Deo emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi ». Hebr. 9, 13-14. Ipsa demum, claritas Christi gloriosi, qua factus est in spiritum vivificantem, auctorem habuit Spiritum Sanctum (per appropriationem). Accedunt operationes quibus fit reliquorum membrorum incorporatio ad hanc primam cellulam capitalem et matricem. Haec autem incorporatio remote quidem inchoatur per gratias actuales, quibus Spiritus Sanctus sollicitat omnem hominem venientem in hunc mundum, eumque trahit ad Christum; proxime vero fit ope baptismi, in quo virtus Spiritus Sancti vegetat fluentia aquarum quibus mergimur et quasi sepelimur ut simus complanti similitudini mortis et resurrectionis Christi: etenim oportet renasci ex aqua et Spiritu Sancto (Ioan. 3, 5). At nostra ad Christum incorporatio potissimum perficitur per eucharistiam. Nisi enim manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sicut enim misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me ». Io 6, 54-58. At caro Christi non aliunde est vivifica, quam ex Spiritu vivificante. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidpiam. Quantae sint partes huius grandis sacramenti eucharistici in efformatione corporis mystici produnt signanter verba Pauli ad Corinthios (I, 10, 17): Quoniam unus (est) panis, unum corpus multi sumus; omnes enim ex uno parte participamus ». Nec est praetereunda actio et influxus eorum, quos ad aedificationem corporis mystici posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum (I Cor. 12, 28 sq.). Et haec quidem omnia necessaria quidem sunt, sed minime sufficiunt ad efformationem corporis mystici: siquidem accedat oportet libera et iugis cooperatio fidelium singulorum, qui veritatem facientes in caritate debent crescere in eum, qui est caput super omnia Christum. Atqui evidens est hanc liberam hominum cooperationem impotem esse ad propositum aedificandi scopum, nisi continuo provocetur, sustentetur atque elevetur per virtutem Spiritus Sancti. — Tertium elementum constituens

corpus mysticum est vita divina fontaliter in capite insidens, indeque in membra redundans. At nonne evidens ex sese videatur totam mystici corporis vitam sive capitalem sive somaticam Spiritui Sancto esse adscribendam. Vitae divinae auctor quis nisi Deus esse possit? Profecto sicut a Deo factus est primus homo Adam in animam viventem, sic a Deo quoque factus est novissimus Adam in spiritum vivificantem. Deus est qui omnia subiecit sub pedibus Christi clarificati, illumque dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius et plenitudo eius qui omnia in omnibus odimpletur. Divinae tantum complacentiae ac beneplacito tribuendum est, ut omnis plenitudo divinitatis in Christo corporaliter inhabitaret. Vides iam corpus Christi mysticum et ecclesiasticum plasmari et continuo aedificari in virtute Spiritus Sancti. Ceterum legenti primordia Ecclesiae in Actibus Apostolorum iam inde a prima et opulenta effusione Pentecostali passim occurrit multiformis actio et influxus Spiritus divini, qui, sicut in multitudine credentium fovet cor unum et animam unam, sic praecones evangelicos iugiter illustrat, confortat, impellit, cohibet, ubique dirigit in prima ecclesiarum implantatione et consolidatione.

Reliquum est ut sententias oppositas nobisque contrarias breviter consideremus. Doctrina statuens animam corporis mystici esse reponendam in aliquo dono creato, sive fides illud sit, sive caritas aut gratia inhaerens, tot tantisque difficultatibus laborat, ut reiicienda prorsus videatur: a) Gratia sanctificans, quae secundum adversarios est anima corporis mystici, intelligitur vel gratia sanctificans Christi, vel gratia sanctificans singulorum membrorum, vel denique collectio omnium harum gratiarum, capitis nempe et membrorum. Atqui nulla ex his hypothesis admitti potest. Non prima, quia gratia creata, animae Christi inhaerens, non sanctificat nec vivificat alia corporis mystici membra. Non secunda, propter eandem rationem: etenim gratia existens in membro A, non sanctificat et vivificat caput et reliqua membra B, C, etc. Nec admitti demum potest tertia hypothesis de complexu omnium gratiarum: *primo* quidem quia hae omnes gratiae non sunt *primum et radicale* vitae unitatisque principium in corpore ecclesiastico; supponunt enim aliud altius et nobilius principium cu-

ius influxu vitali producantur, praesentiam nempe dynamicam Spiritus Sancti Ecclesiam vivificantis et unientis; *deinde* vero complexus harum gratiarum, fidei, inquam, spei, caritatis, et gratiae sanctificantis non sunt principium unde derivatur *tota vita ecclesiastica*: sane sacramenta, sacrificium, potestas ordinis, magisterii, regiminis, gratiae actuales quibus sollicitantur peccatores, etc. non dependent a gratia sanctificante ulla; *demum* complexus omnium gratiarum creaturarum non informat et vivificat *unum idemque corpus*; habetur quidam quasi colonismus in corpore ecclesiastico; brevis: anima est primum, radicale et adaequatum vitae et unitatis principium in corpore organico. Atqui gratiae creatae sive singillatim, sive collective sumptae, non constituunt hoc tale principium. Ergo nequeunt dici anima corporis ecclesiastici. Contra vero in nostra et iam fere communi sententia: unus idemque numero Spiritus vivificat et unit caput et reliqua omnia membra, estque ratio ultima et adaequata totius vitae in Ecclesia: ab ipso vivificantur iusti et peccatores, ipsa quoque organa hierarchica et charismatica seu « iuncturae administrationis »; ab ipso oriuntur gratia capitalis Christi, gratiae actuales membrorum, charismata, potestates ecclesiasticae. Gratia sanctificans, caritas et cetera dona connexa sunt potius *effectus vitales*, vel, si vis, *principia proxima*, instar potentiarum, quibus Spiritus Sanctus vegetat et unit singula membra ecclesiastica. Hanc unitatem numericam animae merito urget et premit Doctor communis: « Ipse Spiritus Sanctus increatus idem numero est in capite et in membris, et aliquo modo a capite ad membra descendit, non divisus, sed unus; (sed) ipsum donum (creatum) secundum quod Spiritus Sanctus in nobis inhabitat, non traducitur de subiecto in subiectum ». III D. 13, q. 2, a. 1 ad 2um.

b) Sententia, quam impugnamus, maxime prout proponitur a Palmieri, tenet vitam supernaturalem ecclesiasticam primo et per se communicari *singulis* membris, et per ipsa corpori. Atqui res contrario modo se habet. Profecto singula membra nequeunt vivificari in Ecclesia, nisi subordinentur multiplici ministerio ecclesiastico, eiusque influxum recipiant. At ministeria ecclesiastica non possunt hunc influxum vitalem exercere, nisi sint ipsa prius vivificata Spiritu animante totum corpus ecclesiasticum. Ergo vita ecclesiastica per prius

communicatur ipsi ministerio hierarchico, quam singulis membris Ecclesiae. Concedunt adversarii ministerium ecclesiasticum sacerdotale, magisteriale, regale, esse *medium*, quo singulis membris confertur vita supernaturalis: constat ergo praefata ministeria ecclesiastica esse veras *causas* respectu vitae singulis conferendae; at nonne causa prior est effectu? Dices fortasse: ministeria ecclesiastica sunt causae quidem, sed non principales, sed *instrumentales*. — Dato, et non concesso, quod *omnia* ministeria ecclesiastica sint revocanda ad genus causae instrumentalis, nullum instrumentum potest agere nisi prius elevetur a causa principali, huiusque influxum recipiat. Potestas ecclesiastica non potest remittere peccata, vivificare panem eucharisticum, docere infallibiliter, causare in corpore ecclesiastico vitam et unitatem, quin sit prius foecundata et vivificata a Spiritu Sancto. Vitium fundamentale sententiae nobis contrariae in hoc stat, quod in ea non consideratur sufficienter *vita totalis et adaequata* qua constat corpus mysticum; nec attenditur ad rationem *principii ultimi et radicalis*, quae propria est animae. Demum constitutio duplicis principii coordinati, quorum unum sit causa *unitatis* socialis, aliud fons *vitae* supernaturalis in corpore ecclesiastico, ad mentem Palmieri, destruit analogiam cum corpore humano in quo idem est principium, eadem anima unde profluit tota vita et organica unitas compositi humani. Profecto hic dualismus longe dissidet a mente Thomae, Augustini, et reliquorum Patrum et Doctorum, qui omnes unam noverunt animam Ecclesiae, Spiritum nempe Christi, qui unus et indivisus totam Ecclesiam replet, vivificat et unificat.

Theoria recens statuens duas animas in corpore mystico, unam creatam et inhaerentem, alteram increatam et inhabitantem, ad mentem Journet et Sauras, manet iam ex dictis sufficienter refutata. Omnes quippe difficultates, quibus laborat prima sententia admittens unam tantum animam creatam, de qua egimus in praecedentibus, militant eodem modo contra hanc novam sententiam. Nihilominus utile erit hanc novam theoriam propius considerare et crisi subiicere. Agemus primo de conceptione Doctoris *Journet*, qui est auctor principalis huius theoriae; deinde de sententia P. *Sauras*.

Superius exposuimus sententiam Journet, apud quem ad-

est in corpore mystico, praeter animam increatam inhabitantem, anima quoque creata formalis et inhaerens. Anima porro creata nihil est aliud quam caritas cultualis, sacramentalis, et iuridice ordinata (orientée). Haec talis conceptio de duplici anima in corpore mystico habet, nostro iudicio, graves difficultates contra se: a) Prima difficultas in eo est, quod, statuendo duas animas in uno corpore mystico, destruitur analogia inter corpus physicum humanum et corpus mysticum ecclesiasticum. Notetur et alta mente retineatur formulam Paulinam de Ecclesia corpore Christi capitis esse metaphoricam, quae tota quanta est innixa similitudini seu analogiae quae adest inter corpus humanum organicum varium et unum, et corpus ecclesiasticum varium item simul et unum (I Cor. 12, 12-13). Atqui in corpore naturali humano una tantum est anima, quae est principium vitae et unitatis in corpore organico. Ergo etiam in corpore mystico et ecclesiastico unam tantum agnoscamus oportet animam Ecclesiae. Hanc unitatem animicam notat et premit Paulus scribens: « Etenim *in uno Spiritu* omnes nos in *unum corpus* baptizati sumus. Eadem unitas Spiritus exhibetur in epistula ad Ephes. 4, 4: Unum corpus et *unus Spiritus* ». Ponendo ergo duas animas in uno corpore ecclesiastico destruitur analogia inter corpus naturale et mysticum a Paulo agnita et asserta. — Hanc difficultatem praesensit Iournet, eamque commemorat in p. 572 o. c. scribens: « Y a-t-il opposition entre ces deux thèses? Serait-il vrai que l'Église, tout organique, ne peut avoir deux âmes, l'une créée, l'autre créée? Propositae difficultati respondetur sic: « Si oui, l'on devrait objecter semblablement qu'un tout organique ne peut avoir plusieurs vies. Or, saint Thomas tient que la vie du corps mystique, c'est Dieu; et il tient aussi que c'est la charité. L'on pourrait objecter aussi qu'un tout organique ne peut avoir plusieurs têtes. Or l'Église a pour tête le pape (III, qu. 8, a. 6) et aussi le Christ (a. I), qui a pour tête Dieu (a. 1, ad 2) L'on pourrait encore objecter qu'un tout organique ne peut avoir deux coeurs. Mais qui donc hésiterait à reconnaître, avec Scheeben, que le coeur de l'Église, c'est la Vierge; et, avec saint Thomas, que le coeur de l'Église, c'est l'Esprit saint? » — Consideremus breviter rationes allatas ab Auctore ad demonstrandam possibilitatem duplicis animae in uno composito organico.

Prima ratio est huiusmodi: Si non admittitur possibilitas duplicis animae in uno corpore organico, oportet negare possibilitatem admittendi *duas vitas* in uno organismo. Atqui S. Thomas admittit duas vitas in corpore mystico, Deum, nempe et caritatem creatam. Ergo ...

Resp. a) Dato, et non concesso, S. Thomam admittere duas animas in corpore mystico, veritas huius doctrinae ex sola auctoritate S. Thomae decidi non potest. Oportet praepremis attendere ad revelationem divinam in Paulo contentam. *b)* S. Thomas non admittit duas animas in corpore mystico. Textus invocatus ab Auctore ex II-II, q. 23, a. 2, ad 2 sic sonat: « Deus est vita *effective* et animae per charitatem et corporis per animam; sed *formaliter* caritas est vita *animae*, sicut et anima corporis; unde per hoc potest concludi, quod sicut anima immediate unitur corpori, ita caritas animae ». Thomas ergo non dicit caritatem creatam esse vitam *corporis mystici*, sed animae singularis. Hic non statuitur analogia seu similitudo inter modum quo anima humana vivificat suum corpus physicum, et modum quo caritas vivificat corpus mysticum; sed instituitur comparatio inter modum quo anima vivificat corpus per viam causalitatis formalis, et modum quo caritas informat et vivificat *animam* rursus per viam causalitatis formalis. Fit ergo confusio quae vere est capitalis. Auctor opinatur id quod dicitur de vita animae posse transponi ad vitam corporis mystici. « Ce qui est dit ici de l'âme humaine est en effet directement transposable à l'Église, dont pourtant le nom n'est pas prononcé » *ibid*. Putamus hanc transpositionem esse impossibilem: fit enim transitus illegitimus a singulari ad collectivum. Non est idem anima, quae est realitas quaedam spiritualis et singularis; et corpus mysticum, quod est compositum quodam collectivum et organicum; alia est consequenter causalitas requisita ad vivificandam animam singularem, et causalitas requisita ad vivificandum corpus mysticum. S. Thomas numquam fecit hanc transpositionem, sed quo pollebat eximio instinctu philosophico et theologico, constanter distinguit inter Spiritum *unum et indivisum*, qui vivificat et unificat totam Ecclesiam, et caritatem divisam et in singulis membris multiplicatam, quae de subiecto in subiectum migrare non potest.

c) Quod attinet quaestionem num in uno corpore organi-

co plures vitae esse possint, oportet distinguere inter varios sensus quos vox « vita » significare potest. Vita potest considerari in actu primo remoto — in actu primo proximo — in actu secundo. Vita in actu primo remoto est *anima*, quae ideo definitur: primum et radicale vitae principium in corpore organico: vita, sic intellecta, necessario est *unica*, quia non possunt esse plures animae in uno corpore organico; sic in homine unica est anima quae est principium totius vitae: vegetativae, sensitivae et intellectivae. Vita in actu primo proximo sunt *potentiae*, quae sunt principia *proxima* operationum. Vita sic intellecta non est unica, sed multiplex: sic potentiae operativae in homine sunt multae. Vita considerata in actu secundo sunt *actus vitales*, qui ex potentiis proxime oriuntur. Vita sic intellecta, evidenter non est unica, sed multiplex.

Secunda ratio, a Iournet allata pro sua thesi, sic habet: Si non admittitur possibilitas duplicis animae in uno corpore, oportet negare possibilitatem admittendi *duo capita* in uno organismo. Atqui S. Thomas admittit duo capita in corpore mystico: Christum videlicet et Papam. Ergo *Resp. a)* Fit rursus ingens confusio inter duas capitis notiones: non est eadem notio capitalitatis prout applicatur Christo et Papae. Christus caput corporis mystici, ut ipse Iournet optime adnotavit, est Christus principium novi cultus, novarum veritatum, novae vitae; est ergo principium vivificum simul et iuridicum seu dominativum in corpore mystico. Papa evidenter nequit dici caput corporis mystici hoc sensu. Papa dicitur caput Ecclesiae quia est principium Christo non coordinatum, sed subordinatum, in ordine iuridico.

b) Proprie loquendo non potest dici quod duo sunt capita in corpore mystico: unum est caput: Christus et eius *vicarius Papa*. Ad rem Bonifatius Papa: « Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, *non duo capita* quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor ». Denzinger, 468.

Tertia ratio Auctoris est: Si non possunt esse duae animae in corpore organico uno, nec poterunt esse *duo corda*. Atqui in corpore mystico adsunt duo corda: etenim secundum S. Thomam Spiritus Sanctus est cor corporis mystici, et secundum Scheeben Maria virgo debet haberi ut cor in corpore mystico.

Resp. a) Veritas et legitimitas metaphorae *cordis* ad designandam positionem Mariae in corpore mystico ex sola auctoritate doctoris Scheeben decidi non potest. Praetensio Auctoris praesentandi hanc doctrinam ut communiter receptam ita ut de ea haesitari non possit, videtur exaggerata nimis. Non desunt theologi, praeprimis Mariologi, qui praeferendam putant metaphoram *colli*. Alii demum prudentiores et vigilantiores opportune notant, quod in usu harum metaphorarum oportet sapere ad sobrietatem. — *b)* Nec S. Thomas nec Scheeben docent, quod ego noverim, admittenda esse *duo corda* in corpore mystico. Nequit ergo ipsorum auctoritas invocari ad demonstrandam duplicitatem animae in Ecclesia.

Argumenta Journet ad suadendam duplicitatem animae, increatae nempe et creatae, in corpore mystico vix efficacia apparent. Primum argumentum sumitur ex ipsa notione animae. Anima est primum vitae principium in corpore organico: ergo sicut Spiritus Sanctus iure dicitur anima Ecclesiae, quia totum corpus ecclesiasticum vivificat in linea causae efficientis, sic non minori iure gratia creata debet agnosci ut vera mystici corporis anima, quia hoc ipsum corpus vivificat in linea causae formalis. — Infirmitas huius argumenti subito innotescit consideranti ea quae superius adnotavimus. Anima est primum vitae principium *in corpore organico*. Gratia creata vel caritas non est principium formale vitae in corpore, sed in *anima singulari*. Caritas vivificat formaliter, ideoque non vivificat nisi illud subiectum in quo recipitur. Atqui caritas non recipitur in toto corpore ecclesiastico, sed in singulorum, qua talium, animis. Fit ergo in argumentatione Auctoris transitus illegitimus ab anima ad corpus, a singulari ad collectivum. Quod si Auctor intendat loqui de caritate collectiva, id est, de collectione singularium caritatum, tunc haberemus in corpore mystico non duas animas, sed ingentem catervam animarum. At nonne sic destruitur et deformatur analogia inter animam corporis physici, et animam corporis mystici a Paulo asserta, a Patribus celebrata, a summis Pontificibus sancita? Summa vel complexus accidentium potestne in sana philosophia nomine animae insigniri?

Alterum argumentum Auctoris pro existentia animae creatae in Ecclesia desumitur ex ipsa existentia et munere ani-

mae increatae seu Spiritus Sancti inhabitantis in membris corporis mystici. Summa argumentationis ad hoc revocatur: certo constat Spiritum S. inhabitasse in iustis A. Testamenti; corpus tamen mysticum nondum existebat in actu completo: constat rursus Spiritum Sanctum inhabitare in iustis Novi Testamenti, qui non sunt membra actualia et realia Ecclesiae Romanae-catholicae, quae est corpus mysticum. Inde palam consequitur meram praesentiam et inhabitationem Spiritus Sancti minime sufficere ad originandam et constituendam Ecclesiam, quae est corpus Christi mysticum. Quidam ergo specialis et plenior gradus inhabitationis Spiritus Sancti (de quo Io. 7, 39) requiritur ut de facto oriatur et constituatur corpus mysticum in suo actu perfecto. Ubinam porro reperiatur hic plenior gradus inhabitationis, et consequenter ubinam de facto reperiatur vera Christi Ecclesia, nonnisi ex praesentia animae creatae, i. e. ex caritate cultuali, sacramentali et iuridice ordinata certo et tuto dignosci potest. Admissa ergo existentia animae increatae in corpore mystico, animae creatae existentia logice negari nequit.

Resp. a) Ratio quare nondum sit efformatum corpus mysticum in iustis Antiqui Testamenti non inde est necessario repetenda, quod dynamica et obiectiva Spiritus S. inhabitatio nondum esset assecuta superiorem illum perfectionis gradum; sed inde potius quod nondum Christus venerat et instituerat illa sacramenta et illa subsidia quibus fit nostra incorporatio ad Christum caput ad efformandum et constituendum verum corpus mysticum et ecclesiasticum. Auctor videtur supponere dynamicam Spiritus S. inhabitantis praesentiam non potuisse obtinere illum superiorem gradum perfectionis antequam adesset praesens in animis iustorum caritas cultualis, sacramentalis et iuridice ordinata. Estne hoc verum? Cogitemus Mariam Virginem iam in colloquio angelico gratia plenam et prae mulieribus benedictam. Quis dubitet Spiritum Sanctum plene et perfecte inhabitasse in corde Mariae, matris Christi, antequam in eius anima adesset praesens caritas cultualis, sacramentalis et iuridice ordinata? Et quod de Maria Virgine dicitur, nonne posset certo quodam gradu et mensura dici etiam de aliis praecellentibus iustis Antiqui Testamenti? Auctoris ergo suppositio de praesentia caritatis cultualis et sacramentalis, tamquam praevia conditione necessario requisita ad ob-

tinendum certum quandam superiorem ac pleniorum gradum inhabitationis, admitti non posse videtur.

b) Nec potest admitti necessitas animae creatae ad certo dignoscendam praesentiam corporis mystici perfecte efformati. Auctor admittit identitatem inter corpus Christi mysticum et Ecclesiam Romano-catholicam, a Pio XII assertam in Encyclica « Mystici Corporis », et rursus vindicatam in Encyclica « Humani generis ». Porro ubinam sit vera Christi Ecclesia multo clarius et certius dignoscitur e triplici convergente via primatus, notarum, et transcendentiae, quam ex mera praesentia caritatis cultualis, sacramentalis et iuridice ordinatae.

Nova et gravis difficultas contra sententiam Iournet oritur ex praesentia peccatorum in corpore ecclesiastico. Auctor admittit et nervose defendit strictam *coextensivitatem* inter animam creatam et corpus Ecclesiae. Quo posito manet solvendum sequens dilemma: vel admittitur peccatores non esse vera corporis mystici membra — quae hypothesis merito displicet nostro Auctori — vel admittitur corpus Ecclesiae longe exorbitare animam creatam ipsius, cum hoc corpus sit constitutum etiam ab iis membris, quae carent anima creata Ecclesiae i. e. caritate cultuali et sacramentali. Auctor satagit nodum dissolvere inducta subtili distinctione inter praesentiam animae primariam, formalem, et permanentem, quae est propria iustorum; et praesentiam secundariam, effectivam (per efficientiam) et transitoriam quae est propria peccatorum. Audiamus ipsum auctorem: « Nous proposons de dire que l'âme créée et indivisible de l'Église se trouve dans les iustes *premièrement*, et dans les chrétiens pécheurs seulement *par efficacité* ... l'âme ou forme indivisible de l'Église, c'est-à-dire la charité cultuelle, sacramentelle, orientée, sans résider en eux comme elle réside dans les justes, à savoir *premièrement*, est néanmoins tout entière présente en eux en quelque manière, à savoir *par son efficacité*, par certaines motions, qu'elle est seule capable de leur communiquer » o. c. p. 577 et 575. Anima ergo creata seu caritas dicitur adesse in iustis primario et formaliter; in peccatoribus vero christianis secundario et per efficientiam, quatenus hi peccatores vi influxus transeuntis, quem recipiunt a iustis certas quasdam actiones exercent, quibus socialiter cooperantur ad promovendos fines Ecclesiae:

« Par exemple, ils chanteront le credo, ils accepteront les nouvelles définitions de la foi, ils s'appauvriront pour raider l'expansion missionnaire, etc. » *ibid.*

Putamus totam hanc distinctionem et explicationem esse nimis subtilem, artificialem, arbitrariam, et falso, ut videtur, fundamento seu supposito innixam. Auctor supponit illos actus, quibus peccatores christiani cooperantur ad promovendos fines Ecclesiae, *nonnisi* ab influxu efficienti charitatis creatae, quae in iustis residet, posse provenire. Haec suppositio nobis videtur esse gratuita et arbitraria. Illi actus fiunt a peccatoribus non tam vi influxus animae creatae quam vi influxus quem peccatores recipiunt ab *anima Ecclesiae increata*, i. e. ab Spiritu Sancto. Si Papa, episcopi, sacerdotes presbyteri, praedicatores carent caritate creata, et cooperantur ad sociales Ecclesiae fines, id non faciunt vi influxus recepti a iustis caritate praeditis, sed vi influxus, potestatis et charismatum, quae recipiunt ab Spiritu Sancto. Quod de Ecclesiae ministris asseritur, id aequo iure de fidelibus (peccatoribus) dici potest. Participatio in cultu christiano, in beneficentia et cooperatione missionaria, ubi non agitur de actibus mere humanis ac naturalibus, possunt esse effectus influxus exerciti ab anima increata per gratias et motiones actuales. Accedit quod similes actus exercentur ex parte fidelium in ecclesiis acatholicis, ubi non adest caritas culturalis, sacramentalis et iuridice ordinata.

Sauras acceptavit theoriam Journet de existentia duplicis animae in corpore mystico. Sed vidit clare gravem difficultatem, modo a nobis commemoratam, qua laborat haec theoria intellecta eo modo quo proponitur a suo Auctore; ideoque modificandam illam censuit. Existentia animae creatae retinenda quidem omnino est, sed eius essentia nequit reponi in caritate, vel gratia sanctificante, vel ullo alio dono creato determinato particulari. Anima creata corporis mystici est reponenda in *gratia christiana qua tali*, quae multiformi virtualitate est praedita et diversimode se manifestat in diversis mystici corporis partibus seu membris, eo fere modo quo anima humana multiformi dynamismo est ditata sed diverso modo et gradu se manifestat in diversis animae potentiis, et diversis quoque corporis partibus. Audiamus ipsum Auctorem:

« Los otros dones sobrenaturales creados dan solamente

soluciones *parciales*; nada extraño, pues son manifestaciones parciales también de la gracia cristiana. Solamente explican la vivificación de *determinados miembros*, pero no la de *todos*. Por eso no se puede decir que sean alma *del cuerpo místico*, que es un organismo que consta de *todos*. En cambio, la gracia cristiana, no en cuanto gracia santificante, o en cuanto caridad, o en cuanto fe, o en cuanto poder jurisdiccional, sino *en cuanto cristiana*, abarca todas esas manifestaciones, y llega a todos los hombres que forman parte del organismo sobrenatural, del que Cristo es cabeza » o. c. pag. 838. Res ulterius clarificatur in pag. 840: « Concluyamos pues que el alma del cuerpo místico es la gracia cristiana *en lo que tiene de cristiana*. Esta gracia tiene *virtualidad universal* y tiene manifestaciones universales; a la manera como el alma humana tiene en nosotros manifestaciones múltiples también, desde las más imperfectas, como las vegetativas y motivas, hasta las más perfectas como las intelectivas y afectivas. La gracia cristiana, en cuanto cristiana o redentora, y no en cuanto santificante, puede en ocasiones manifestarse como gracia simplemente actual; otras veces, como fe, otras, como caridad que santifica; otras, como gloria; otras, como poder gobernante, como poder de magisterio, como poder de administrar las cosas divinas. El único que la posee en toda su plenitud y con toda su virtualidad es Cristo, la cabeza del cuerpo místico ».

Quod si de tota hac expositione sit iam ferenda sententia: a) Fateri in primis oportet difficultatem superius motam contra Iournet feliciter superari; sed fatendum quoque est novas maioresque difficultates infeliciter creari. Gratia christiana qua christiana nequit esse anima creata corporis mystici, quia realiter non existit; ideoque nequit realiter vivificare et unire corpus ecclesiasticum. Gratia christiana, qua talis, est gratia christiana considerata in statu abstractionis mentalis, in qua praescinditur ab omnibus notis individuantibus sine quibus existere realiter non potest. Sicut humanitas, qua talis, est natura humana abstracte considerata, praescindens ab omnibus notis individuantibus quibus de facto realizata invenitur in Aemilio, Timotheo etc. Evidens porro est talem humanitatem, qua talem, non existere extramentaliter: sic etiam gratia christiana, qua christiana, non existit extra mentem abstractantis. Profecto omnis gratia realiter existens, vel est gratia

actualis, vel habitualis; si est habitualis, erit vel fides, vel spes, vel caritas, vel gratia sanctificans ...: rursus, omnis gratia, vel est gratum faciens, vel gratis data: si primum, erit gratia sanctificans, qua talis; si alterum, erit vel potestas ordinis, vel potestas magisterii, vel potestas regiminis, vel charisma apostolatus, prophetiae, glossolaliae ...; gratia porro christiana, qua christiana, praescindens ab omnibus his notis concretis et individuantibus sine quibus realiter non potest existere, non datur; quia nulla est gratia existens, quae non sit vel actualis, vel fides ... Evidens est gratiam, sic abstracte consideratam, non posse esse praeditam vero quodam et reali dynamismo, qui diversimode manifestetur in diversis Ecclesiae partibus, possitque totum corpus mysticum vivificare et unire. Ergo non tenet comparatio cum anima humana, quae realiter una et indivisa extramentaliter existit, estque vere ditata multiformi illa virtualitate, quae diversimode manifestatur in diversis corporis animique potentiis.

b) Data, et non concessa, existentia gratiae christiana, qua talis; nequit admitti in corpore mystico *duplex* anima, quarum una esset increata seu Spiritus Sanctus, et alia creata, quae esset gratia christiana, qua talis. Siquidem ipsa gratia increata, qui est Spiritus Christi nobis donatus, est etiam gratia non minus christiana, quam gratia creata, cum Christum habeat auctorem, et ad finem redemptionis christiana sit ordinata. Nequit ergo sermo fieri de *duplici* anima in corpore mystico.

c) Videtur desiderari logica cohaerentia et concinnitas in sententia nostri Auctoris. Qui ex una parte contendit animam creatam Ecclesiae esse gratiam christianam, non qua sanctificantem, sed qua christianam; ex alia vero parte, cum satagit demonstrare existentiam animae creatae in corpore mystico, appellat ad analogiam inter animam humanam et gratiam christianam *qua sanctificantem*: Audiamus Auctorem philosophantem in p. 825, o. c.: « La razón primera se funda en la semejanza que hay entre la función primera y fundamental, que el alma ejerce en nuestro cuerpo y la que la gracia ejerce en los miembros del cuerpo místico. El alma es *forma sustancial* ... La gracia es también *una forma*, un hábito entitativo, que se recibe en el alma, como en su sujeto ... La teología la define como una partición real, física y ana-

lógica de la *naturaliza* divina ... Pero hay más: del alma — forma emanan las potencias operativas ... y de la gracia emanan los hábitos operativos infusos. Las semejanzas, pues, son bastante claras ». Quis non videt hic institui comparationem et ostendi similitudinem inter animam humanam ex una parte, et gratiam sanctificantem, qua talem, ex alia parte? De sola enim gratia sanctificante, qua tali, dici potest quod est habitus entitativus in substantia animae receptus, ex quo emanant habitus operativi ... Allatum ergo argumentum non probat dari analogiam inter animam humanam et gratiam christianam, qua christianam, sed qua sanctificantem. Inde ergo demum consequitur: vel Auctorem non demonstrasse *existentiam* animae creatae in Ecclesia; vel non recte reposuisse eius *essentiam* in gratia christiana qua tali.

d) Logicae cohaerentiae defectus rursus in eo manifestatur videtur, quod ex una parte docetur animam creatam corporis mystici consistere in gratia christiana qua tali; ex alia vero parte admittitur praefatam animam esse gratiam *collectivam*. Sic Auctor scribit in p. 832: « Si se supone un sujeto colectivo el cuerpo místico, por qué no se va a admitir una forma colectiva también? Qué inconveniente hay, pues, en admitir en la Yglesia una forma accidental colectiva? » Sed non est idem gratia christiana, qua talis, et gratia collectiva. Gratia collectiva constituitur collectione multarum gratiarum individualium; gratia vero christiana, quatenus christiana, non constat ex multis gratiis individualibus: sicut non est idem humanitas, qua talis, et humanitas, qua collectio individuorum humanorum. Utrumque ergo stare nequit: animam creatam esse gratiam christianam, qua talem; et eandem animam esse gratiam collectivam.

Conclusio: Recens theoria de duplici anima admittenda in Ecclesia, nedum lucem afferat ullam ad illustrandum mysterium corporis mystici, confusionem potius parit, et inutiles complicationes creat. Nostro ergo iudicio — salvo meliori — eliminanda prorsus videtur.

CAPUT SEXTUM
DE NOSTRA CUM CHRISTO SOLIDARITATE
IN
CORPORE MYSTICO

Inter quaestiones agitari solitas de mystico corpore Christi specialissimam attentionem meretur quaestio de nostra cum Christo unione ac solidaritate in hoc corpore ecclesiastico. Defectus claritatis et praecisionis in concipienda et explicanda hac altissima unione, pessima consecutaria habere potest, quippe quae pervadent integram notionem corporis mystici, et ansam simul et materiam suppeditabunt acribus et vanis controversiis theologorum: conabimur ergo pro nostro modulo ac tenuitate arcanum hoc unionis mysterium illustrare. Triplici gressu procedimus: primo enucleatur *notio* solidaritas — dein stabilitur *factum* revelatum solidaritatis — demum explicatur *natura* huius solidaritatis

Vox *solidaritas* facta est nostris diebus adeo consueta et familiaris, ut vix reperiatur homo qui aliquali ipsius notione careat; eius quippe usus est ita frequens et universalis, ut omnia paene invaserit. Ad solidaritatem appellant oratores in comitiis politicis: solidaritatem invocant oeconomistae et sociologi ubi agitur de basi aliqua suppeditanda suis tractatibus et theoriis; ad eam fit recursus in ipsa quoque philosophia christiana in sua parte ethica et morali. Hodie potissimum invocatur principium solidaritatis propter tremenda belli consecutaria: non desunt Nationes in quibus est institutus sic dictus *Dies solidaritatis*.

Sed ipsam quoque Theologiam catholicam penetravit haec vox et notio solidaritatis. Duo sunt dogmata principalia ad quorum illustrationem aliquale lumen invocari consuevit ex hoc solidaritatis principio: dogma peccati originalis, et Redemptionis christianae. Nostra cum primo Adamo solidaritas alte proclamatur a Paulo in noto loco epistulae ad Romanos: « Per unum hominem intravit peccatum in hunc mun-

dum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransit, eo quod omnes peccaverunt... Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi ». Nostra cum altero Adamo, Christo, solidaritas non minus alte et frequenter proclamatur ab Apostolo, ut mox ostendemus. Nunc sufficiat in memoriam revocare magnifica verba Pauli ad Corinthios I, 1, 9: « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem (κοινωνίαν) filii eius Iesu Christi Domini nostri ». Duplici de causa fit recursus in nostra theologia Redemptionis ad principium solidaritatis: primo ad corrigendam theoriam protestanticam substitutionis *pure poenalis*; dein ad complendam theoriam *satisfactionis vicariae* a S. Anselmo propositam (cur Deus homo), et deinceps universaliter receptam. Hoc principio praepremis utitur Doctor Angelicus et communis, ubi quaerit explicare quomodo Christus innocens pro nobis vere satisfacere potuerit. — Quaedam ergo notio solidaritatis plus minus clara ac concreta est iam patrimonium quodam commune non tantum theologorum, sed omnium fere hominum aliquatenus excultorum. Nostrum est hanc vulgarem notionem accuratius perpolire et distinctius exhibere: ad hunc scopum obtinendum utile erit ab ipsa notione etymologica exordiri.

Solidaritas venit a voce latina *solidus*, unde soliditas et inde solidaritas. Est autem soliditas qualitas *corporis* solidi, in quo nihil est vanum, nihil vacuum, sed omnes eius partes eiusdem generis arcte sunt consertae et connexae ad efformandam unam compaginem firmam, duram, resistantem, integram seu totalem. Ex hoc sensu materiali, nativo et primigenio, obvius et facilis est transitus ad sensum derivatum et metaphoricum, ad ordinem, inquam iuridicum, moralem, mysticum, ubi soliditas fit iam *solidaritas*. Est autem solidaritas qualitas vel proprietas *corporis moralis*, in quo partes (personae variae) sunt intime et arcte inter se consertae et connexae vinculis sive iuridicis, sive moralibus, sive mysticis ad efformandum unum corpus sive morale, sive iuridicum, sive mysticum, vel etiam ad unam, ut dicunt, *personam mysticam*. Ecce iam complanatam viam per quam fit accessus ad realem solidaritatis definitionem.

Tria elementa concurrunt ad constituendam solidaritatem: multitudo, unitas, aliquod consortii vel communionis genus. Primo quidem requiritur multitudo personarum; nemo quippe dicitur *sibi* solidarius, sed cum aliis; secundo requiritur unitas (vel unio): ubi enim partes vel personae sunt divisae, dispersae, mutuo independentes, ibi non habetur solidaritas et communio, sed schisma et divisio; requiritur tertio aliqua forma sive *consortii*, ubi sortes plurium manent mutuo ligatae, sorsque unius fit sors alterius, sive *communio-nis*, in qua habetur quaedam sive bonorum sive malorum communitas. Terminus biblicus technicus, penes Paulum frequentissimus, est *κοινωνία*, qua exprimitur nostra arctissima et secreta communio cum Christo in corpore mystico, ut videre est in textu superius allato ex epistula prima ad Corinthios 1, 9: « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem *κοινωνίας* filii eius Iesu Christi Domini nostri ». Est ergo solidaritas quaedam specialis forma unionis in qua recurrunt tria praefata elementa: multitudo, unitas (elementum genericum), consortium seu communio (elementum specificum). Ex dicendis apparebit communionem propriam corporis mystici esse *communio-nem mortis et vitae*.

Solidaritas varia esse potest pro varietate fundamenti cui innititur: inde tripartita divisio solidaritatis in naturalem, moralem et iuridicam. Solidaritas dicitur *naturalis* si est inducta ab ipsa natura. Cuius exemplum conspicuum et mirabile habes in corpore organico humano, ubi recurrit multitudo membrorum, organorum et functionum varietas, corporis unitas, talis partium omnium mutua dependentia, mutuus influxus, mutua necessitudo et sympathia, ut si unum membrum gaudeat, congaudent omnia; si unum patitur, compatiuntur omnia. Haec est praecise solidaritas, quae ansam et materiam suppeditabit inspiratae metaphorae Paulinae de Ecclesia corpore Christi. — Solidaritas dicitur *moralis*, si est fundata in mutua duarum vel plurium personarum cognitione, amore, sympathia. Huius solidaritatis exemplar illustre habes in matrimonio, ubi duae personae, vir et mulier, relicti patre, matre et multis carissimis, arctissime devinciuntur inter se, fiuntque in unam carnem. Hoc quoque exemplar materiam Paulo suppeditabit aptissimam ad exhibendum mysterium

unionis Christi sponsi cum Ecclesia sponsa. — Solidaritas dicitur *iuridica* si habet pro fundamento decretum Legislatoris vel gratiosam dispositionem Institutoris, qui totum aliquod compositum morale vel sociale ita plasmavit atque agglutinavit, ut omnes eius partes sint mutuo dependentes, mutuo influentes, mutuo consortes. Ad hanc solidaritatem iuridicam potest reduci illa quae fundatur in *liberis pactis* duarum vel plurium nationum. His quippe pactis fit ut hae Nationes redendantur consortes, quatenus sortes omnium maneant vere ligatae ita ut si una ex illis sit constricta debito ineundi belli, caeterae omnes simul constringantur ad ineundum bellicum conflictum. — Nova forma solidaritatis, quae *artificialis* posset nuncupari, habetur ubi peritia et industria artificis creatur compositum aliquod, cuius partes ita sunt inter se connexae, ut motus unius pendeat a motu alterius, et inertia unius partis determinet inertiam alterius, v. gr. horologium. — Ceteroquin notum est dari quandam solidaritatem *generalem*, quae integram familiam humanam afficit, vinculo sanguinis et originis communis innixam, aliam *nationalem*, quae membra unius eiusdemque nationis devincit, quaeque numquam vehementius acuitur et clarius manifestatur, quam exorto et saeviente tempore belli. — Dantur quoque solidaritates particulares, quales v. g. recurrunt in singulis Ordinibus religiosis: jesuitico, dominicano ... Hisce praestitutis et declaratis, oportet iam *factum* solidaritatis Christum inter et nos ex fontibus revelationis statuere, et intimam ipsius *naturam* determinare.

Factum nostrae cum Christo solidaritatis fit manifestum ex praedicatione tum Christi, tum Pauli: a) Christus quadriariam ostendit istam, de qua loquimur unionem solidariam. Primo quidem in via Damasci (Act. Apost. 9, 5), ubi Paulum adhuc spirantem minarum et in Ecclesiam saevientem ita alloquitur: « Saule, Saule, quid *me* persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum recalcitrare ». Vix posset clarius exhiberi nostra christianorum cum Christo solidaritas. Persecutio mota contra Ecclesiam Christi censetur et reapse est persecutio contra ipsum Christum. Non longe a vero aberrare videntur critici catholici, qui in hoc singulari facto et occursu vident primam et fundamentalem ideam a Paulo ac-

quisitam nostrae unionis solidariae cum Christo, quae ansam et materiam dabit suae altissimae conceptioni de Ecclesia corpore Christi. — Insignis quoque est locus recurrens in epologo sermonis eschatologici apud Mt. 25, 31 sq. Ubi Filius hominis veniens in maiestate sua, sedensque super sedem maiestatis suae eos qui a dextris sunt, sic alloquitur: « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, *mihi fecistis* ». — His affinia sunt atque simillima quae leguntur in sermone seu instructione sic dicta pastorali penes Mt. 18, 5: « Qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, *me suscipit* ». — Nota demum sunt et saepius repetita verba Domini ad discipulos septuaginta duos, quos misit binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus: « Qui vos audit, *me audit*; et qui vos spernit, *me spernit*. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me ». Lc. 10, 16.

b) Paulus quoque nostram cum Christo unionem solidariam multifariam multisque modis commemorat. Huc in primis spectat formula, in Apostolo frequentissima, secundum quam nos sumus *in Christo*, et alia huic respondens atque aequipollens *Christus in nobis*. — Item toties iteratae locutiones: nos sumus cum Christo *concrucifixi, conmortui, consepulti, conresuscitati, convivificati, consedentes* facti, quae omnes communionem sonant atque verum consortium significant. — Magnificus est pro re nostra locus in I Cor. 12, 12: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, *ita et Christus* ». — Locus vero princeps legitur in epistula ad Galatas, 3, 16 sq.: « Abrahæ dictae sunt promissiones, et semini eius: non dicit: et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: et semini tuo, qui est Christus ». Evidens est hic agi de Christo non mere singulari et solitarie considerato, sed de Christo, quem mysticum appellant, i. e. de Christo personali quidem, sed mystice unito et quasi identificato cum christianis eidem incorporatis. Etenim « omnes filii Dei estis per fidem quae est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis: non est Iudaeus, neque Grae-

cus, nec est servus, nec liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos *unus estis* in Christo Iesu ».

Conclusio ex his omnibus limpide fluens haec est: Secundum fontes christianae revelationis adest *factum* unionis intimae Christum inter et nos christianos. Haec porro unio est *verae solidaritatis*, quippe in qua recurrunt tria ipsius elementa essentialia: multitudo, unitas, mortis et vitae communio seu consortium. Remanet determinanda et explicanda

Natura solidaritatis: Triplex elementum concurrat ad originandam et constituendam nostram cum Christo arcanam solidaritatem: primo quidem elementum *iuridicum* in libero Dei legislatoris atque institutoris decreto positum — dein *morale*, cognitioni et amori innixum — demum *naturale*, in communiione naturae radicum. Aliis verbis: nostra cum Christo solidaritas est *iuridica*, *moralis* simul et *naturalis*. Haec tria elementa, si ad invicem comparentur, eminent suo momento theologico et dogmatico elementum *iuridicum*. Totum quippe hoc negotium aedificandi corporis mystici, in quo et gentes sunt concorporales cum iudaicis, et nos omnes sumus Christi eiusque Spiritus consortes et comparticipes, fundamentum ultimum et decisivum habet in arcano illo ac divino beneplacito atque consilio, quod Paulus tantopere miratur, tamque frequenter commemorat. Nostra ergo cum Christo solidaritas est praeprimis ac praevalenter *iuridica*; quae cum sit fundata in divina institutione, seu in libero ac munifico Dei decreto, oportet in primis ex fontibus christianae revelationis demonstrare existentiam huius talis decreti. Sit ergo sequens

Assertum: Adest decretum divinum, quo inducitur duplex solidaritas, seu *duplex insertio*: prima Christi in humanitatem *peccatricem*. Incarnatione Christus inseritur humanitati, cuius participat et gestat carnem, eiusque infirmitatem, patibilitatem, mortalitatem, maledictionem, peccatum. Secunda insertio est nostra in Christum, mystici corporis caput, cuius participamus mortem, sepulturam, resurrectionem, iustitiam, vitam, Spiritum. Haec distinctio ac divisio duplicis solidaritatis seu insertionis est summi momenti, summaeque gravitatis. Eius defectu fiunt tot confusiones in aestimanda natura, stru-

ctura et extensione corporis mystici¹. Prima unio seu insertio spectat ad ordinem *redemptionis obiectivae*, in quo praeparatur quidem, sed nondum originatur corpus mysticum. Altera unio spectat ad ordinem *redemptionis subiectivae*, in quo Christo capiti incorporamur fide et baptismo ad efformandum unum corpus in uno Spiritu.

Probatio biblica procedit triplici gressu: Primo afferuntur textus in quibus exhibetur insertio Christi in humanitatem peccatricem infirmam, patibilem, mortalem, maledictam, peccato infectam. — Sequuntur textus in quibus exhibetur nostra insertio in Christum, mystici corporis caput, iustitiae et vitae divinae fontem. — Accedent demum textus in quibus utraque simul insertio exhibetur. Sint ergo primo loco textus qui agunt de unione Christi cum humanitate peccatrici et maledicta.

Primus textus, brevis et perspicuus, continetur in evangelio Ioannis 1, 14: « Et verbum caro factum est ». Verbum assumit carnem; eo ipso inseritur humanitati: at Verbum assumpsit carnem infirmam, patibilem, mortalem. Sed haec infirmitas atque mortalitas est effectus peccati ». Per unum enim hominem intravit peccatum in hunc mundum et per peccatum

¹ Ut clarius appareat quanta sit adhuc obscuritas, quanta confusio et contradictio in modo concipiendi corpus mysticum apud optimos quosque doctores, transcribimus duo recentia testimonia. P. Ciappi, O. P. in « Sapienza », 1952, p. 226 scribit: « Il Corpo Mistico e l'unica Persona Mistica non sono dunque il frutto del sacrificio redentivo, consumato da Cristo sulla croce, ma ne sono il presupposto e il fondamento ». P. Galtier S. J. in suo parvo et pretioso libro « Les deux Adam » e sua parte scribit: « On risque d'y prendre la conséquence de la rédemption pour ce qui en est le principe ou sa condition antécédente... c'est au fait d'avoir été rachetés que nous devons d'être insérés, de pouvoir être insérés dans le corps mystique du Rédempteur », p. 23. Similiter in p. 27: « De même, s'il est vrai que des lors (sacrifice crucis) il nous a été fait grâce parce que, dans la pensée de Dieu, nous appartenions déjà au Christ, il ne s'ensuit pas que, des lors, nous fussions membres de son corps mystique et associés, à ce titre, au sacrifice réparateur. Tout au contraire, ce sacrifice a été offert pour nous permettre d'entrer en communion avec lui ». Habes hic duas theologias corporis mystici e diametro oppositas: pro P. Ciappi corpus mysticum iam existit ab ipso momento Incarnationis, estque conditio et fundamentum praeavium necessarium ad efficacitatem sacrificii redemptorii. Pro P. Galtier corpus mysticum est fructus sacrificii redemptorii.

mors, et ita in omnes homines mors pertransit, eo quod omnes peccaverunt ». Rom. 5, 12. Ergo eo ipso quod Verbum assumit carnem mortalem, Christus inseritur humanitati peccatrici.

Secundus textus legitur in epistula Pauli ad Galatas, 3, 27, 26: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum ». Christus dicitur factus maledictum (κατάρα, maldición), non maledictus επικατάρατος, maldito). De qua maledictione agitur? Duplex maledictio continebatur in Lege: una contra violatores Legis: scriptum est enim, Deuter. 31, 23: « Maledictus qui non fecerit omnia quae sunt scripta in Lege ». Altera maledictio dirigebatur contra hominem crucifixum. Scriptum est enim (Deuter. 21, 23): « Maledictus omnis qui pendet in ligno », in ligno, inquam, crucis. Deus non potuit facere Christum maledictum prima maledictione, quippe qui fuerit exactissimus Legis observator, nec iota unum, aut apicem unum a Lege praeterierit. Christus ergo fuit factus maledictum maledictione altera homini crucifixo alligata. Ceterum Paulus expresse citat laudatum textum Deuteronomii. Vides ergo Christum sic fuisse consertum cum humana natura, ut huius participaret ac gestaret non tantum infirmitatem, formam servi, patibilitatem et mortalitatem, sed ipsam quoque maledictionem.

Tertius textus est mysteriosus, nobisque ostendit quam fuerit profunda Christi Redemptoris cum humana natura peccatrici consertio et copulatio. Reperitur in epistula Pauli secunda ad Corinthios, 5, 21. « Eum qui non noverat peccatum, peccatum (ἁμαρτίαν) fecit ». Rursus notetur Christum dici factum a Deo non peccatorem, sed peccatum. Quid significat peccatum? Triplex opinio: Prima interpretatur peccatum = effectum peccati, i. e. infirmitatem carnis, patibilitatem, mortalitatem. Haec interpretatio videtur esse incompleta et insufficiens, ideoque falsa. Altera opinio interpretatur = victimam pro peccato. Quo sensu vox peccatum recurrit non semel in A. T. v. gr. in Osea 4, 8 ubi de sacerdotibus dicitur: « Peccata populi mei comedent ». Sensus evidenter est: sacerdotes comedent ea quae sunt oblata pro peccatis. Haec interpretatio videtur verior, nondum tamen plena et sufficiens: hinc: Tertia opinio interpretatur peccatum sensu obvio et stricto, de vero peccato.

Duplex ratio pro ea afferri consuevit: vox peccatum bis recurrit in eodem textu: « Eum qui non noverat *peccatum*, peccatum pro nobis fecit. Unde argumentantur sic. Idem est sensus vocis « peccatum » in utroque membro pericopes. Atqui in primo membro agitur de peccato vero et proprio. Ergo etiam in secundo.

Idem probatur secundo ex eo quod in nostro textu agitur de peccato quod opponitur iustitiae. Atqui peccatum iustitiae oppositum est peccatum proprie tale. Ergo At surgit gravis et obvia difficultas contra hanc interpretationem: quomodo potuit Deus facere Christum vere et proprie peccatum? Solutio quaeritur in distinctione Augustiniana inter peccatum *commissum* et peccatum *appropriatum*. Deus fecit Christum peccatum non propter peccatum ab ipso personaliter commissum, sed propter peccata a nobis commissa et ab eo suscepta seu appropriata. Sed manet quaestio ulterior: quomodo aut quali sensu potuit Christus vere suscipere vel sibi appropriare nostra peccata? Evidenter Christus non potuit nostra peccata ita suscipere, ut haec peccata *ei inhaereant*. Responsum itaque datur ope novae distinctionis in duplicem reatum in peccato implicatum: videlicet, adest in peccato duplex reatus: culpae et paenae. Reatus culpae est necessitas sustinendi *odium* divinum; et hic reatus non potuit evidenter suscipi a Christo: reatus paenae est necessitas sustinendi *iram* divinam, et *paenas* a Deo irato statutas; et hic talis reatus potuit suscipi a Christo.

Nostra sententia est: Eatenus Deus fecit Christum peccatum, quatenus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum, ut loquitur Isaias. Qualiter sit intelligenda ista *positio*, intelligi atque illustrari aliquatenus potest ex verbis Petri in sua epistula prima 2, 24: « qui (Christus) peccata nostra ipse pertulit in *corpore suo super lignum* » Christus ergo suscepit poenas peccatis nostris debitas, easque luendas portavit in corpore suo ascendens super lignum. Quaestioni ergo propositae: qualiter Christus suscepit sibi autem appropriaverit nostra peccata, respondendum videtur: Christus, zelo incensus pro gloria Patris, et misericordia motus erga nos peccatores, sponte suscepit onus a Patre ei impositum (vel propositum) satisfaciendi in cruce pro nobis satisfactione vicaria, qua et laesum honorem divinum resarciret, et veniam peccatorum nostrorum meretur apud Patrem iam placatum. Iuvat notare quod

Christus sustulit quidem pro nobis in cruce dolores et labores vehementer poenosos atque afflictivos; sed dolor quem patitur *innocens* in favorem alterius, vix meretur nomen *poenae* nisi forte sensu pure materiali. Nec videtur proprie sermo fieri posse de *ira Dei* saevientis contra proprium filium. Melius dicitur quod Christus sponte acceptavit officium repraesentandi coram Deo personam hominis peccatoris, constituendo se ut vadem omnium peccatorum; ideo Christus acceptavit ut Deus tractaret eum, maxime in toto cruento processu passionis, quasi foret verus et ingens peccator. Hinc Paulus non veretur scribere Rom. 8, 32: « Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum ».

Conclusio huius primae partis est: Ex fontibus revelationis constat adesse decretum Dei, in aeternitate conceptum, in tempore executioni mandatum, quo inducta est insertio Christi in humanitatem *peccatricem*, ut eius participaret carnem, infirmitatem, patibilitatem, mortalitatem, maledictum, peccatum. Haec est nostra cum Christo solidaritas *iuridica*, quae pertinet ad ordinem redemptionis *obiectivae*.

Altera series exhibet textus biblicos in quibus expressa continetur nostra solidaritas atque communio cum Christo novae vitae atque iustitiae fonte.

Primus textus sumi potest ex epistula Pauli ad Romanos 6, 3 sq.: « An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati (σύνφυτοι), facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus ». Paulus habet prae oculis antiquum seu primitivum ritum baptismalem in quo duplex motus continetur: immersio et emersio. Immersione symbolizatur mors et sepultura baptizati in fluentis aquarum; emersione significatur ipsius baptizati eductio et erectio ex fundo aquae. Sed baptismus est signum practicum et efficacē, causans nempe id quod significat. Baptismo ergo inserimur in Christum, eiusque mortis et vitae novae fimus participes. En ergo primam nostram communionem solidariam cum Christo, baptismo peractam,

in qua participamus eius mortem, sepulturam, vitam novam, resurrectionem.

Secundus textus legitur in epistula ad Ephesios 1, 22-23: « Et omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius, plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur et nos cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu ». Quatuor asserta clare continentur in hac egregia pericope: primo quidem assertitur identitas inter Ecclesiam et corpus Christi mysticum — dein statuitur capitalitas Christi in hoc corpore ecclesiastico — huius corporis ratio ponitur in eo, quod Ecclesia est pleroma Christi capitis, i. e. plenitudo simul et complementum sensu superius explicato — quarto demum assertitur membra Christo incorporata, ipsius vitae fieri consortia. Rursus ergo apparet divinum decretum, eiusque executio, quo Christus clarificatus et Dominus constituitur caput corporis mystici et ecclesiastici, in quo membra participant capitis vitam, resurrectionem, sessionem in caelestibus: vera ergo communio solidaria cum Christo, vitae divinae fonte, divino decreto stabilita, hinc iuridica.

Tertium textum dabit epistula prima ad Corinthios 12, 12-13: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem corporis membra, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi, et uno Spiritu potati sumus ». Huius textus complementum reperitur in v. 27: « Vos (collective) estis Corpus Christi, et (singillatim) membra ex parte ». Quae sint istae partes diversae declaratur in v. 28: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes ... ». Conferendus demum est locus parallelus in epistula ad Romanos 12, 4-5: « Sicuti enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi (οἱ πολλοί) unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ». Habes in his descriptionem corporis mystici sat completam. *Membra* corporis mystici sunt fideles bapti-

zati, i. e. Iudaei et gentiles antea separati et inimici, nunc autem reconciliati, uniti, concorporei facti in virtute crucis applicata per baptismum. — *Capitalitas* Christi *explicite* quidem non exhibetur; *implicite* tamen continetur. Etenim hoc corpus ecclesiasticum dicitur esse *Christi* = domini; dicitur praeterea esse unum *in Christo* vitae divinae fonte. Christus ergo est corporis mystici principium iuridicum et vivificum; haec porro est notio capitalitatis Christi, ut superius ostendimus. — *Anima* huius corporis est Spiritus unus. — *Structura* huius corporis est hierarchica et charismatica, posuit enim Deus in eo apostolos, prophetas. En ergo unionem nostram cum Christo a Paulo iterum assertam et traditam, unionem, inquam, vere solidariam, quippe in qua concurrunt tria solidaritatis elementa essentialia: membrorum *multitudo* — corporis *unitas* — Spiritus *communio*.

Quartus textus peti potest ex eadem epistula prima ad Corinthios 6, 15 sq.: « Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne una. Qui autem adhaeret Domino, unus Spiritus est ». Paulus notat et premit gravitatem peccati fornicationis in homine christiano: qui Christo incorporatus per baptisma, Christi servitio mancipatus, Christi dominio totaliter subiectus, Christi membrum factus, violat hoc Christi ius et dominium tradendo meretrici potestatem sui corporis, et faciendo membrum Christi, membrum meretricis. Profecto qui adhaeret meretrici, fit unum corpus cum ea. Huic unioni opponit Paulus unionem christiani cum Christo, in qua duo fiunt unus Spiritus, Spiritus, inquam Christi, qui unus et indivisus ex capite derivatur in membra. Iterum ergo recurrit nostra unio solidaria cum Christo, in qua datur multitudo, unio seu adhaesio, communio pneumatica.

Quintum textum mutuamus ex evangelio Ioannis 15, 4-5: « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere ». Inde argumen-

tatio facilis: « Sicuti palmites inseruntur in vitem, eiusque vitam participant; ita nos inserimur in Christum, vitae divinae fontem, et eius vitam participamus. Unio ergo nostra cum Christo est vere solidaria, quippe in qua recurrunt tria illa saepius commemorata elementa: multitudo palmitum — unitas vitis seu organismi vitalis — demum communio vitae.

Sextus textus rursus ex Ioanne 6, 56: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me ». Textus clarus in quo duo efferuntur: Primo asseritur nostra cum Christo, pane vivo et vivificante, unio verae immanentiae = in me manet, et ego in eo. Secundo asseritur nostra in Christo et per Christum vivificatio. Sicut Filius vivit vita Patris mittentis, sic nos vivimus vita Christi cibantis et manducati. Unio ergo vere solidaria in qua adsunt: multitudo manducantium — unitas panis, communio vitae, quae implicat communionem pneumaticam; quia caro non prodest quidpiam, Spiritus est, qui vivificat.

Septimum textum placet mutuare ex altissima oratione Christi sacerdotali, qualis exhibetur a Ioanne in capite 17, 20 sq.: « Non pro eis (apostolis) rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ... Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut me dilexisti ». Christus, paulo post institutum eucharisticum unitatis sacramentum, paulo prius quam pateretur, in qua nocte tradebatur, petit a Patre oratione certe efficaci nostram in Ecclesia apostolica unitatem. Qualis sit haec unitas apparet e triplici formula a Christo adhibita, ad invicem comparata: *Prima formula* sonat: ut sint unum *in nobis*, i. e. in Patre et Filio: agitur de unitate *origi-*
nanda per dynamicam praesentiam Patris et Filii in nobis; et *terminanda* in Patrem et Filium per nostram fidem et caritatem in eos; haec quippe est vita aeterna, ut dicitur in v. 3. *Secunda formula* declarat qualiter nos sumus in Patre et Filio:

« Ego in eis, et tu in me ». Pater est in Filio per modum principii vitalis propriam vitam ei communicantis. Similiter Filius est in nobis ad modum principii vivificantis propriam suam vitam nobis communicantis, reapse sicut vitis in palmitibus. — *Tertia formula* illustrat quomodo Christus est in nobis: « Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus ». Christus ergo est in nobis per modum principii vitae et unitatis mediante claritate quae a Patre descendit in Filium, et ex Filio in nos derivatur. Porro notum est claritatem quam Pater communicat Filio esse claritatem filiationis divinae. Christus ergo nobis communicat suam filiationem divinam: reapse « quotquot ceperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri » (1,12). Sed Christus communicando nobis suam filiationem, eo ipso nobis communicat *suum Spiritum*. « Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater ». Gal. 4, 6. Sicut ergo Pater est in nobis per Filium; sic Filius est in nobis per Spiritum. Vides ordinem inhabitationis seu praesentiae divinae perfecte respondere ordini divinarum processio-num ad intra. Suo loco ostendimus unitatem, a Christo petitam in hac profundissima oratione sacerdotali, esse unitatem non tantum internam et mysticam, sed externam quoque et hierarchicam. Vides ergo quomodo formula generalior Christi: « ut omnes unum sint », resolvatur in formulam Paulinam magis explicitam et concretam: « Unum corpus et unus Spiritus ». « In uno Spiritu nos omnes in unum corpus sumus baptizati ». Ipse Christus in sua praedicatione (Io. 10, 16) hanc concretiorem unitatis formam iam designaverat dicendó: « Et erit unum ovile et unus pastor ».

Conclusio huius devoti argumenti est: Christus petit et obtinet a Patre nostram cum ipso unionem in suo corpore mystico et ecclesiastico vere solidariam: ubi adsunt multi — uniti cum Christo et inter se — communione pneumatica. Per se patet hanc solidaritatem esse *iuridicam*, cum tota quanta sit innixa decreto et beneplacito Patris, qui dedit Christo omnem carnem vivificandam.

Tertia series exhibet textus in quibus expressa continetur *utraque simul solidaritas*: Christi cum humanitate peccatrici — nostra cum Christo iustitiae et vitae divinae fonté.

Praecedat textus epistolae ad Galatas 4, 4-5: « At ubi venit plenitudo temporis *misit Deus Filium* suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii *misit Deus Spiritum* filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non est servus sed filius: quod si filius, et heres per Deum ». Hic textus clare perhibet duas Dei missiones: primo Deus *misit Filium* in mundum: secundo Deus *misit Spiritum* filii in quo clamamus: Abba, Pater. Prima missione Filius Dei inseritur naturae humanae peccatrici: secunda missione nos inserimur in Christum vitae divinae fontem. Pauca de singulis missionibus.

a) *Primam missionem* quod attinet, duo sunt huius missionis fines: primo Iudaeos a servitute Legis liberare; secundo omnes homines a servitute peccati eripere, et ad divinam filiationem adducere: hic est finis ultimus et principalis; ille est finis praevius et secundarius. At hi duo fines sunt arcte inter se connexi et quasi solidarii: Iudaeorum redemptio a Lege debebat necessario praecedere. Siquidem Deus decreverat adducere homines ad filiationem divinam in uno corpore Christi capitis. Sed hoc corpus mysticum constans ex iudaeis et gentibus concorporeis, concivibus, efformari non poterat sine sublato prius obstaculo Legis. Hinc Paulus (Ephes. 2, 14 sq.): « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. — Tres sunt characteres illius qui mittitur: mittitur *Filius*, ut possit omnes ad filiationem divinam adducere — mittitur filius *factus ex muliere*, secunda Heva, ex qua sumit carnem patibilem, immolationis sacrificialis capacem — mittitur filius *factus sub Lege*, ut possit omnes iudaeos a servitute Legis liberare. Hac ergo prima missione inseritur Christus humanitati peccatrici infirmae, patibili, mortali: en primam solidaritatem iuridicam a Deo decretam et executioni mandatam.

b) *Secundam missionem* quod attinet, mittitur Spiritus Filii in nos regeneratos in quo, clamamus Abba, Pater. Accepto hoc Spiritu, liberamur a servitute, elevamur in dignitatem filiorum Dei, et fimus participes seu consortes hereditatis Chri-

sti. Hac ergo secunda missione inserimur in Christum novae vitae fontem, eiusque Spiritum participamus.

Conclusio argumenti est: In hoc textu exhibetur simul utraque solidaritas: Christi cum humanitate peccatrici — humanitatis regeneratae cum Christo, altero Adamo, et iustitiae fonte. Utraque haec solidaritas est *iuridica*, quippe quae est fundata in decreto et missione divina.

Alter textus, vere pretiosus, legitur in epistula ad Romanos 8, 1 sq.: « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu. Lex enim Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato, damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum... Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis ».

Quinque puncta doctrinalia, a Paulo asserta, clare continentur in hac pericope: Paulus primo docet impotentiam legis ad iustificandos homines; ratio impotentiae radicatur in carnis infirmitate — Paulus secundo docet Deum misisse filium suum in carne peccati, immolanda pro peccato, ut per hanc carnis immolationem legis impotentiam tolleret, redderetque possibilem nostram iustificationem. — Paulus tertio docet Deum per immolatam filii sui carnem condemnasse peccatum in carne, i. e. spoliasse illud suo tyrannico dominio. — Paulus quarto explicat qualiter sit facta praefata condemnatio = per legem Spiritus vitae in Christo Iesu. Videlicet: Missus a Patre Filius assumpsit carnem peccati, eamque in calvaria cruentavit et crucifixit. At mittens Pater Christum e mortuis suscitavit, eumque fecit in spiritum vivificantem. Missus a Christo Spiritus scribit legem spiritualem in cordibus nostris, ut in semitis iustitiae ambulare possimus. — Paulus demum

docet eos, qui sunt in Christo, participare eius Spiritum, vitam, iustificationem, futuram quoque carnis resurrectionem (in spe).

Hisce praestabilitis, facile demonstratur duplex praefata solidaritas hic a Paulo asserta:

a) *Insertio Christi in humanitatem peccatricem* clare exhibetur in v. 3: ubi asseritur Deum misisse filium suum in similitudinem carnis peccati et pro peccato. Similitudo, quae dicitur, non tollit veritatem carnis, sed designat carnem a peccato quidem immunem, peccato tamen vulneratam.

b) *Nostra insertio in Christum* novae vitae fontem triplici formula effertur: *Prima formula* apparet in v. 2: « Lex Spiritus vitae in Christo »: *Spiritus vitae* est Spiritus Sanctus vivificans — Spiritus vitae in Christo, est Spiritus vivificans qui datur iis qui Christo sunt incorporati. — *Lex Spiritus vitae* est lex spiritualis a Spiritu Sancto in nostris animis impressa, de qua Ieremias: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam: en ergo primam formulam nostrae insertionis in Christum datorem Spiritus. — *Secunda formula* legitur in v. 9: « Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius ». Ergo si quis est Christi, et est in Christo, habet Spiritum eius. En secundam formulam nostrae insertionis in Christum iustitiae auctorem atque fontem. — *Tertia formula* continetur in vv. 10-11: « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis ». — Hanc utramque solidaritatem esse *iuridicam*, vix indiget nova demonstratione, cum habeat pro origine Deum, qui et mittit filium in similitudinem carnis peccati — et mittit Spiritum in eos qui sunt in Christo.

Ipsi textus allati *in prima serie*, continent hanc duplicem, de qua loquimur, solidaritatem. Sic textus Gal. 3, 14-15: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem ». Habes hic clare expressam tum unionem Christi cum nostra natura peccatrici et maledicta, tum nostram unionem solidariam cum

Christo vivificante per Spiritum. — Similiter in textu II Cor. 5, 21: « Eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso ». Ubi non minus clare exhibetur solidaritas Christi cum nostro peccato; et nostra solidaritas cum Christo fonte nostrae iustitiae.

Solidaritas moralis. Nostra cum Christo solidaritas est primo quidem et praevalenter iuridica, sed est quoque moralis, habens nempe fundamentum in cognitione et amore. Profecto: a) Christus iam a primo Incarnationis momento perfecte *cognovit* decretum divinum quo constituebatur a Deo mediator, sacerdos, victima, vicarius generis humani ad agenda massae damnatae redemptionem, ut apparet ex epistula ad Hebr. 10, 5 sq.: « Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam ... in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel ». — b) Cognovit quoque omnes et singulos homines, quorum causam coram Deo agenda suscepit. — c) *Dilexit* quoque Christus tum Patrem, eiusque voluntatem, tum nos omnes et singulos amore tenerrimo. En textus claros et suasivos. « Dilexit *me*, et tradidit semetipsum pro me ». Gal. 2, 20. « Dilexit *nos*, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ». Ephes. 5, 2. — « Christus dilexit *Ecclesiam*, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo ». Ephes. 5, 26. Dilexit ergo nos cum seorsum singulos, tum collective omnes in coetum ecclesiasticum coadunatos. Porro neminem fugit quanta sit vis copulandi et uniendi in amore posita. Notat S. Thomas quod cum aliquis amat alium amore amicitiae, apprehendit eum, ut alterum se, in quantum vult ei bonum sicut sibi ipsi; et inde est quod amicus dicitur alter ipse. Est nempe amor quidam quasi conatus appropriandi sibi personalitatem alterius, et transfundendi in alterum propriam personalitatem. Hinc datur intelligere quam sit arcta et profunda nostra cum Christo unio in corpore mystico. Profecto nullus fuit umquam nec erit amor qui possit conferri cum amore quo Christus dilexit et diligit suam Ecclesiam, et omnia ac singula ipsius membra; sicut nullus est amor qui

possit comparari cum amore quo Christus dilexit et diligit Deum patrem.

Solidaritas naturae. Nostra cum Christo solidaritas in corpore mystico, sicut est iuridica et moralis, est etiam *naturalis*. Dicitur porro naturalis, non quia sit opus naturae, vel aliquod ipsius postulatum, sed quia ipsa notio solidaritatis importat aliquam communionis seu consortii formam; et in nostra unione cum Christo includitur haec quoque naturae seu carnis et sanguinis communio. Non enim Angelos apprehendit Filius Dei, sed semen Abrahae apprehendit. Haec naturae solidaritas constituit basim super quam sapiens rerum conditor et ordinator Deus voluit superstruere solidaritatem iuridicam et moralem, de qua supra. Huius divinae oeconomiae ratio et convenientia multiplex affertur a Paulo. Primo quidem ratione *sacerdotii*: etenim, « qui sanctificat, et qui sanctificantur *ex uno omnes*. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis ». Hebr. 2, 11. Secundo ratione *victimae*. Christus nos sanctificavit et sanctificat per sacrificium: in omni porro sacrificio requiritur victima, ideoque materia victimationi apta, quae nulla fuit alia quam ipsa caro peccati. « Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem quoque salutis eorum *per passionem* consummare ». Hebr. 2, 10. Tertio ratione *victoriae in diabolum*. Invidia diaboli intravit peccatum in hunc mundum et per peccatum mors. Diabolus, devicto primo Adamo, erexit in hoc mundo ingens mortis imperium, et timore mortis tenebat omnes homines servituti obnoxios. Decebat ergo, et vehementer decebat, ut secundus Adam Christus « per mortem destrueret eum qui tenebat mortis imperium, id est, diabolum ». Hebr. 2, 14. Quarto ratione *compassionis fraternae*. « Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur auxiliari ». Hebr. 2, 17-18. Posset addi quinta ratio desumpta ex ratione *capitalitatis*. Etenim voluit optimus Deus nos sanctificare non seorsum singulos, sed collectos omnes et coadunatos in uno corpore mystico, cuius Christus foret caput: atqui ipsa ratio capituli postulat conformitatem naturae cum toto re-

liquo corpore. — Ergo non desunt multae et aptae convenientiae rationes propter quas decebat et convenientissimum erat, ut in mystico Christi corpore, praeter iuridicam et moralem solidaritatem, naturae quoque communio atque solidaritas adesset.

CAPUT SEPTIMUM

THEOLOGIA RECENTIOR CORPORIS MYSTICI

Hoc titulo designamus scripta theologorum qui hisce ultimis annis, maxime post Litteras encyclicas « Mystici corporis » Pii Papae XII, de hoc iucundo et arcano mysterio disseruerunt. Legenti haec scripta duo manifesta apparent; 1° non levem progressum esse iam peractum in studio et intelligentia huius mysterii opera potissimum theologorum biblicorum; 2° multa adhuc manere obscura, incerta, confusa, in varias et contrarias partes controversa. Haec obscuritas et confusio pervadit omnes fere quaestiones principales circa hoc mysterium agitari solitas: de membris, de capite, de anima, de unitate corporis mystici. Quaestio in primis de membris seu extensione corporis mystici complicari in dies videtur, ut ostendunt recentes Doctorum controversiae. Singulas has et diversas corporis mystici conceptiones brevi conspectu exhibere et crisi subiicere operae pretium duximus. Exordium facimus a duobus theologis hispanis, quorum alter in theologia scholastica, alter in theologia biblica singularem peritiam nacti sunt.

Sauras

Inter theologos, qui de corpore mystico lingua hispanica disseruerunt, facile eminet ubertate doctrinae et claritate expositionis *Aemilius Sauras* O. P. Qui hoc ultimo anno 1952 Matrivi B. A. C. edidit ingens opus, cui titulus: « El Cuerpo Místico de Cristo ». Dabimus brevem sed completam doctrinae summam; sequetur brevis crisis et examinatio.

Liber continet, praeter Introductionem sat copiosam, sex capita. Quorum prius agit de doctrina corporis mystici in S. Scriptura (p. 46-181), alterum de Christo capite corporis my-

stici (p. 182-398), tertium de vita divina Christi capitis (p. 399-482), quartum de membris corporis mystici (p. 483-735), quintum de anima corporis mystici (p. 736-844), sextum de unitate propria corporis mystici (p. 845-898).

Doctrina Sauras de membris corporis mystici huc revocatur: Primo statuitur divisio inter membra actualia et membra potentialia. Membra actualia dividuntur in duas categorias: membra extraordinaria et m. ordinaria. — Membra *extraordinaria* (de excepción) sunt *Maria Virgo*, mater capitis et membrorum; et *Apostoli* fundamenta Ecclesiae christianae. — Membra *ordinaria* corporis mystici sunt: Iusti A. T. iam inde ab Abel — Iusti omnes Novi Testamenti — Peccatores omnes qui servant fidem habitualement (exceptis haereticis et schismaticis publicis) — animae sanctae in Purgatorio detentae — animae beatificatae in caelis — excommunicati retinentes fidem habitualement. *Membra in potentia* sunt omnes viatores, qui actu non sunt habitualiter uniti cum Christo, recipiunt tamen ab eo supernaturalem influxum gratiarum actualium quibus moventur et sollicitantur ad fidem et caritatem. Unice ergo excluduntur homines reprobi et damnati in inferno.

Doctrina Auctoris de Christo capite amplissima est, potest tamen reduci ad sequentia: a) Christus est caput corporis mystici *formaliter* ut homo; *fundamentaliter* vero seu radicaliter qua Deus. Christus homo dicitur caput non ratione solius humanitatis, sed ratione gratiae capitalis subiectatae in humanitate. — b) Christus constituitur caput iam inde ab Incarnatione ratione gratiae capitalis: Gratia capitalis non est gratia unionis, sed ipsa gratia habitualis personalis considerata in ordine ad homines iustificandos. Gratia capitalis est gratia sanans, elevans, sacerdotalis. — c) *Actus capitales* Christi sunt principaliter passio, mors, resurrectio: minus principaliter sunt omnes actus vitae suae, i. e. tota activitas Christi iam inde a primo suo ingressu in hunc mundum — d) *Influxus capitalis* Christi est moralis et physicus: moralis est meritorius, satisfactorius, sacrificialis: influxus physicus est instrumentalis, exercitus nempe ab humanitate Christi, organo seu instrumento divinitatis.

Doctrina Sauras de anima corporis mystici hisce confine-

tur: *a)* Anima vel quasi anima corporis mystici est Spiritus Sanctus — *b)* Spiritus Sanctus est anima corporis mystici non per proprietatem, sed per appropriationem — *c)* Hoc non obstante, Spiritus Sanctus *inhabitat* in corpore m. — *d)* Praeter animam increatam, admittenda est anima quoque creata in corpore mystico — *e)* anima creata corporis mystici non est fides, nec caritas, nec gratia sanctitatis, nec potestas regiminis, nec ullum aliud donum creatum particulare, sed gratia christiana, *qua christiana*.

Doctrina Auctoris de *organizatione* corporis mystici sic habet: *a)* In corpore mystico adest organizatio triplex — *b)* Prior fundatur in caritate et gratia sanctificante quae diverso gradu participatur a membris corporis mystici — *c)* Altera fundatur in charismatibus seu gratiis gratis datis, quae rursus diversimode distribuuntur inter fideles Ecclesiae: nam alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae — *d)* *Tertia* fundatur in potestate hierarchica regali et magisteriali, unde oritur distinctio inter eos qui regunt et docent, et eos qui reguntur et docentur.

Doctrina demum de *unitate* corporis mystici: Triplex unitas distinguitur in corpore mystico: Prior est externa et formalis, scilicet unitas exemplaritatis — Altera moralis et iuridica. Iuridica intelligitur non illa regiminis visibilis, sed alia quae fundatur in communiione iurium et honorum inter Christum caput, et fideles membra Ecclesiae. — Tertia dicitur ontologica et accidentalis, cuius fundamentum est vita divina, quae ex capite in membra derivatur. Notetur altum Auctoris silentium circa tres illas classicas unitates fidei, regiminis, et communionis de quibus agere solent Auctores in tractatu de Ecclesia.

Examen criticum theoriae Sauras

Dedimus summam doctrinalem in opere Auctoris contentam. Reliquum est ut nonnullas observationes criticas adiungamus. Sequimur eundem ordinem, quem in expositione doctrinali tenuimus.

I. *Quaestio de membris* corporis mystici: Auctor totam hanc complexam et vexatam quaestionem ample, perspicue et docte pertractat; quaedam tamen manent obscura et difficilia.

Prima difficultas oritur ex eius oppositione cum doctrina Pauli. Apud quem membra corporis mystici sunt fideles baptizati inter se devincti unitate fidei, communionis et regiminis visibilis, ut superius ostendimus examinantes doctrinam Apostoli, qualis potissimum exhibetur in capite quarto epistolae ad Ephesios: hic est locus princeps in hac materia, ad quem noster Auctor vix attendit in sua longa tractatione. « Unum corpus, — clamat Apostolus — unus Spiritus, una fides, unum baptisma ». Agitur porro de fide una authentice praedicata ab his quos Christus posuit in Ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores donec omnes recurramus in unitatem fidei. Non minus clara et peremptoria sunt verba Apostoli in I epistula ad Corinthios, 12, 13: « In uno Spiritu nos omnes in unum corpus *baptizati sumus*, sive Iudaei, sive gentes, sive servi, sive liberi ».

Secunda difficultas oritur ex oppositione doctrinae nostri Auctoris cum doctrina proposita a Pio XII in Encyclica « Mystici Corporis » n. 21: « In Ecclesiae autem membris *ii soli* annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a corporis compage semetipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt. Etenim in uno Spiritu, ait Apostolus, omnes nos in unum Corpus baptizati sumus. Sicut igitur in vero christifidelium coetu unum tantummodo³ habetur Corpus, unus Spiritus, unus Dominus et unum Baptisma, sic haberi non potest nisi una fides; atque adeo qui Ecclesiam audire renuerit, iubente Domino habendus est ut ethnicus et publicanus. Quamobrem qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi Corpore, atque uno eiusdem Spiritu vivere nequeunt ». *Dices* forsitan: Encyclica loquitur tantum de Ecclesia militante in terris: datur ergo locus in corpore mystico tum animis sanctis patientibus in Purgatorio, tum iustis beatis fruentibus in coelo. — At responsio in promptu est: Iusti Antiqui Testamenti — iusti et peccatores in Novo Testamento non baptizati non pertinent ad Ecclesiam patientem vel triumphantem, sed ad Ecclesiam militantem in terris; nihilominus Auctor noster includit, Encyclica excludit a censu membrorum in corpore mystico: manet ergo oppositio. Haec oppositio tanto maiorem admirationem movet, quanto noster

Auctor magis praecoccupatus apparet in praemonenda atque notanda sua fidelitate indubia erga doctrinam Apostoli et magisterii ecclesiastici: « No es preciso decir que las enseñanzas del Pontífice (Pío XII) nos servirán de norma y de guía en nuestras explicaciones ». p. 4: et in p. 8 additur: « Os repetimos, lector, que es nuestra intención escribir una *Teología del cuerpo místico*; que serán nuestras guías en este trabajo las enseñanzas de la revelación, de la Yglesia y de Santo Tomás ».

Tertia difficultas oritur ex ipsa doctrina, quam Auctor tradit loquens de *hierarchica* membrorum diversitate in corpore mystico. Sic enim scribit pag. 86: « Acabamos de ver que el cuerpo de Cristo consta de muchos miembros. No están unidos entre sí desordenadamente; no son un montón, son un cuerpo *organizado*, en el que cada parte ocupa el lugar que le corresponde. Cada miembro ocupa un lugar distinto del de los demás. No todos los lugares son idénticos; los hay elevados, y los hay humildes. Existe una ordenación *intima*, dependiente del grado de gracia que se recibe ... Pero esta jerarquía de santidad solamente la conoce Dios. No nos referimos ahora a ella ... Hay otra ordenación *extrinseca*, que no depende de la gracia santificante, sino de otros dones también divinos, pero no formalmente santificadores. Unas veces son carismas o gracias *gratis datae*; otras es el poder de mandar y gobernar; otras la gracia del apostolado, etc. A la jerarquía que se funda en estos dones nos referimos ahora ». Breviter ergo: Fatetur Sauras adesse in corpore mystico non tantum quandam organizationem moralem et invisibilem, sed etiam aliam externam et visibilem, quae est charismatica et hierarchica iuridica. Ad eam demonstrandam appellat ac doctrinam Pauli, qualis potissimum exhibetur in I Cor. c. 12, et in Ephes. c. 4. Inde oritur obvia et gravis difficultas: Corpus mysticum, teste Sauras (et Paulo), est corpus organicum constans duplici organizatione externa et visibili: hierarchica et charismatica. Atqui iusti Antiqui Testamenti non pertinebant ad hoc tale corpus; et ratio simplicissima est, quia tunc temporis nondum existebat illud corpus. Ecclesia hierarchica et charismatica, de qua loquitur Paulus, non est Ecclesia A. T., sed est Ecclesia N. T. in qua Christus antequam in coelos conscenderet instituit ordinem hierarchicum iuridicum Petrino-Apostolicum; et ascendens in

caelos dedit dona hominibus; dedit, inquam, alios Apostolos, alios Prophetas, alios pastores et doctores. Quod de iustis Antiqui Testamenti dixi, id ipsum applicandum est iustis et peccatoribus Novi Testamenti, qui non adhaerent ordini hierarchico et charismatico a Christo instituto, sed extra illum vagantur.

Quarta difficultas est similis praecedenti: Docet, videlicet, noster Auctor (p. 96 sq.), ex Christo et christianis cum eo unitis exurgere corpus unum; hoc corpus esse hominem novum, non singularem, sed collectivum. Ad hoc demonstrandum appellat ad doctrinam Pauli Rom. 12, 5: « un cuerpo. Son muchos los elementos, que se unen en este organismo sobrenatural ... todos juntos forman un solo cuerpo. «Nosotros, siendo muchos, somos un solo cuerpo en Cristo » Rom. 12, 5. Appellat quoque ad I Cor. 10, 17: « Porque el pan es uno — dice refiriéndose al pan eucarístico — somos muchos un cuerpo, pues todos participamos de ese único pan. Adviértase de paso la razón de la unidad señalada aquí por San Pablo: la participación en la comunión eucarística » — Hoc corpus unum vocatur a Paulo « unus homo ». « *Un hombre* ». Este cuerpo es orgánico y vive una vida espiritual. Es un hombre. Al unírnos Cristo y nosotros formamos un hombre. Él es nuestra paz, que hizo de los dos pueblos uno, derribando el muro de separación, la enemistad: anulando en su carne la ley de los mandamientos formulada en decretos, para hacer en-simismo de los dos un solo hombre » Ephes. 2, 14-15 (pag. 97). — Hic homo est collectivus. « Cada uno es un hombre nuevo por la vida de la gracia. Pero aplica también la apelación de hombre nuevo, a la unión de todos, a la colectividad » pag. 98. Iterum appellatur ad textum citatum ex Ephes. 2, 14-16. Ex his omnibus oritur obvia difficultas contra doctrinam Auctoris de membris corporis mystici. Videlicet, corpus mysticum, teste Sauras (et Paulo) est corpus unum efformatum a fidelibus christianis baptizatis et pane eucharistico refectis. Atqui iusti Antiqui Testamenti non pertinebant ad hoc tale corpus unum. Quod de iustis A. T. dicitur, id ipsum affirmandum est de iustis et peccatoribus Novi Testamenti nondum baptizatis nec pane eucharistico refectis, idque ex paritate rationis. — Rursus, Sauras appellat ad Paulum Ephes. 2, 14-16 ad demonstrandum hoc corpus unum esse hominem unum novum et

collectivum: inde palmare argumentum: Corpus Christi mysticum, teste Sauras (et Paulo) est corpus unum efformatum a Iudaeis et gentibus primo disiunctis et inimicis, dein reconciliatis et unitis per virtutem crucis in baptismo applicatam (I Cor. 12, 13). Atqui in A. T. nondum aderat talis unio iudaeorum et gentilium. Ergo in A. T. nondum existebat corpus Christi mysticum de quo loquitur Paulus. Iusti ergo Antiqui Testamenti non potuerunt esse membra huius corporis mystici.

Infirmitas argumentorum Auctoris pro sua thesi de corpore mystico identificando non cum sola Ecclesia hierarchica Novi Testamenti, sed cum Ecclesia *universali* militanti, patienti et triumphanti, constituit *novam et gravem difficultatem* contra suam positionem in hac quaestione de membris corporis mystici. Audiamus Auctorem argumentantem ex epistula Pauli ad Ephes. 1, 22-23: « Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur ». En commentarium Auctoris: « San Pablo dice que Dios ha hecho a Cristo cabeza *de todas las Yglesias*, y que *todas la Yglesias* son su cuerpo. No puede, pues menos de ser cabeza de los bienaventurados, que forman por si solos, una Yglesia, la más perfecta, la triunfante. « Hay, por lo tanto, dice Santo Tomás, dos casas de Dios, una que es la Yglesia militante, la congregación de los fieles ..., en la que Dios habita por la fe. Otra es la triunfante, la congregación de los santos que están en la gloria ». Mirum iure videri possit quod nostri temporis exegeta, et tanti nominis theologus, qualis est sine dubio Sauras, appellat ad istud argumentandi genus. Tota argumentatio est innixa in falsa lectione et interpretatione textus. Sauras, sicut Thomas, non attendit ad differentiam textus latini et graeci. Paulus non loquitur de todas las iglesias, de *omnibus ecclesiis* constituentibus corpus Christi capitis: quin imo nec loquitur de *omni Ecclesia*, sicut legitur in textu latino. Textus graecus, ut suo loco notavimus, sonat sic: « καιαντον ἔδωκεν κεφαλὴν ὑπὲρ παντὴ τῆ ἐκκλησίας ». Deus dedit Christum caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ... Textus latini infausta infidelitas fuit pro S. Thoma, et multis aliis, ansa offenculi in hac gravi et delicata materia. Paulus ergo dicit Deum dedisse Christum, super omnia exaltatum et omni creationi praepositum, caput

supremum *Ecclesiae*, quae est corpus eius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur. Quenam sit, qualis sit haec talis Ecclesia, non obscure docetur a Paulo in hac ipsa epistula ad Ephesios: « Unum corpus et unus Spiritus, unus *Dominus*, una fides, unum *baptisma* ». In hoc corpore, quod Ecclesiam appellat Paulus in loco parallelo. Cor. 12,28, posuit Christus Apostolos, Prophetas, evangelistas, pastores et doctores, praecise ad *aedificationem corporis Christi*. Haec est Ecclesia, cuius Christus dicitur caput in capite 5, 23, ipse salvator corporis. Haec est Ecclesia, et hoc est corpus mysticum Christi, quod, ut ipse Sauras opportune notavit, est constitutum a iudeis et graecis reconciliatis sanguine Christi et coadunatis virtute baptismi (I Cor. 12, 13) in unum corpus organicum constans duplici organizatione hierarchica et charismatica.

b) Sauras proponit nova argumenta biblica in pag. 85-86 a. c.: quae omnia in brevem synthesim redigit hoc modo: « En resumen, San Pablo dice unañs veces que los miembros del cuerpo místico de Cristo son *muchos* (citantur I Cor. 10, 17 et 12, 12). Otras que es toda la creación, que son también los gentiles (Citantur Ephes. 1, 10; et 3, 6); pero que de una manera especial son los que constituyen la Yglesia, los fieles » p. 86. Triplex est ergo formula Pauli recensentis membra corporis mystici: *prima* est indeterminata et generica = *multi*: sic in I Cor. 10, 17: « multi unum corpus sumus »; vel *multa*: sic in I Cor. 12, 12-13: corpus habet membra multa ... *Secunda formula* est universalis complectens omnia quae sunt in terris et in caelis, inclusis gentilibus. Sic in Ephes. 1, 10: Deus « disposuit in dispensatione plenitudinis temporum instaurare *omnia* in Christo, *quae in caelis et quae in terris sunt* ». In his omnibus includuntur etiam gentiles, ut apparet ex Ephes. 3, 6: « gentes esse coheredes, et concorporales ... ». *Tertia formula* est magis concreta, et designat Ecclesiam, eiusque fideles. Sic in Ephes. 1, 22-23: « Et ipsum dedit caput super omnia *Ecclesiae*, *quae est corpus eius* ». Inde deducit Sauras membra corporis mystici secundum Paulum esse: multos — etiam gentiles — quin imo universam creationem terrestrem et caelestem. Examinemus breviter has tres formulas: Prima formula asserit quod « multi unum corpus sumus » I Cor. 10, 17: Sed ibi clare determinatur quinam sunt hi multi: sunt enim hi qui de uno pane eucharistico participant. Similiter in

Rom. 12, 5 dicitur quod multi unum corpus sumus in Christo: quinam vero sint hi multi clare determinatur tum particula «in Christo», tum vel maxime ex loco parallelo in I Cor. 12, 12-13: «In uno Spiritu omnes nos in unum corpus *baptizati* sumus». In utroque ergo textu agitur de *multis*, qui sunt baptizati. Prima ergo formula Paulina, nedum probet thesim Auctoris de universalitate membrorum corporis mystici, demonstrat potius contrariam: nempe corpus mysticum constitui; non ab omnibus hominibus redemptis, sed ab his qui sunt baptizati. — Secunda formula asserit omnia quae sunt in caelis et in terris esse instaurata in Christo, sed non dicit haec omnia terrestria et caelestia constituere mysticum Christi corpus, cuius membra forent omnes et singulae res creatae: aliud est esse instauratum in Christo, eiusque dominio subiectum; aliud esse membrum corporis Christi. Verba Sauras: «La capitalidad universal de Cristo lleva a la consecuencia inmediata de que *son sus miembros todo cuanto hay en el mundo*» (p. 85) cum mica salis accipienda videntur; secus enim significarent corpus mysticum esse constitutum non tantum ab omnibus hominibus, sed etiam ab omnibus stellis, pecudibus, canibus, equis ... Cogitavitne aliquando Paulus simile monstrum mysticum? — Tertia formula (Ephes. 1, 22) non dicit fideles Ecclesiae esse membra corporis mystici *modo aliquo speciali* seu peculiari, ita ut possint esse membra qui non sint fideles Ecclesiae; sed dicit simpliciter Ecclesiam esse corpus Christi, eiusque plenitudinem. Vides ergo hoc quoque argumentum biblicum auctoris esse tenue ac infirmum nimis.

c) Novum argumentum, rationis potius theologicae, proponit Auctor in pag. 84, o. c. quod sic sonat: Membrum Christi et corporis Christi est quicumque recipit aliquo modo a Christo suum influxum supernaturalem seu redemptorium. Atqui omnes prorsus homines recipiunt a Christo aliquem influxum redemptorium. Ergo omnes prorsus homines possunt et debent dici membra corporis Christi. «Es miembro de Cristo todo el que de alguna manera reciba su influjo sobrenatural o redentor. Y, en un grado o en otro, este influjo llega a todos los hombres. Todos han sido redimidos y a todos llega, por lo tanto, el aura benéfica de Cristo». — Nostra ad argumentum responsio patet ex his quae alibi praenotavimus et demonstravimus. Non quilibet qualiscumque influxus supernaturalis Christi sufficit

ad hoc ut aliquis constituatur membrum corporis mystici; sed requiritur aliquis *specialis influxus*, qui non ad omnes homines pervenit. Requiritur praecipue influxus qui recipitur *per baptismum*, in quo character imprimitur Christi, eiusque sacerdotium participatur, et acquiritur ius et potentia participandi illa pretiosa bona quae sunt propria et specifica corporis mystici, sacramenta, dico, et sacrificium eucharisticum. Haec est expressa doctrina Pauli et magisterii ecclesiastici, praecipue Pii XII in Encyclica « *Mystici Corporis* ». Membra corporis mystici adesse non possunt antequam hoc corpus existat. Corpus porro mysticum non existeret antequam fideles baptizarentur, et fieret unio iudaeorum et gentilium in unam compagem organicam, in qua gentiles essent *concorporati* cum iudaicis. Haec autem unio facta est per virtutem crucis applicatam in sacramento baptismi, ut iterato docet Paulus. Non ergo quivis qualiscumque influxus supernaturalis Christi sufficit ad constituendum corpus mysticum eiusque membra, sed requiruntur multiplices influxus quibus Christus instituit Ecclesiam, hierarchiam, primatum, sacramenta, sacrificium, charismata; maxime vero requiritur influxus Christi mittentis Spiritum Sanctum, in quo nos omnes, sive iudaei, sive gentes, sive servi, sive liberi in unum corpus baptizati sumus.

d) Crisis, quam instituimus circa membra *actualia* corporis mystici, continet iam iudicium ferendum de membris *potentialibus*. Opinatur Auctor omnes prorsus homines infideles, unis exceptis reprobis, esse membra potentialia corporis Christi. Haec sententia laborat gravi difficultate, quae eam reddit inacceptabilem. Profecto nequit adesse membrum potentialiale corporis mystici, ubi deest potentia induendi rationem membri. Atqui multi fuerunt homines, qui hac potentia caruerunt; videlicet omnes qui in Antiquo Testamento existerunt sive iudaei, sive gentiles. Enimvero membra corporis Christi constituuntur fide una, baptismo uno. Atqui homines Antiqui Testamenti carebant potentia recipiendi ritum baptismalem, quippe qui ex ipsa Dei dispositione non nisi in Novo Testamento institui debebat. — Et haec sint dicta de positione nostri Auctoris in hac complexa quaestione de membris, seu de extensione Corporis mystici.

II. Doctrina P. Sauras de *Christo capite* corporis mystici, meo iudicio, multo accuratius ac felicius elaborata est. Defectus principalis videtur esse methodologicus: tota tractatio est nimis speculativa et scholastica. Desideratur studium *notionis revelatae ac Paulinae* capitalitatis Christi. Auctor praetermisit omne fere examen criticum textuum biblicorum, in quibus Paulus exhibet Christum clarificatum ut caput corporis ecclesiastici. Doctrinam quod attinet, res foret infiniti pae-ne laboris et spatii singula persequi et examinare omnia quae Auctor pertractat in sua longissima dissertazione. Unum tamen sine examine praeterire nolui: agitur de doctrina ab Auctore stabilita in capite primo, pag. 72, sub titulo: « El doble oficio que Cristo desempeña en el cuerpo místico ».

Sauras distinguit duplicem functionem a Christo exercitam in corpore mystico: unam transcendentem, alteram immanentem. Prior competit Christo, ut capiti; altera competit ei ut vitae et animae (creatae) corporis mystici. Oportet ergo distinguere inter Christum transcendentem, et Christum immanentem. Christus transcendens est caput corporis mystici; Christus immanens est anima huius corporis. Christus transcendens est nobis membris *extrinsecus*, sicut caput in corpore humano manet extra corpus et membra; Christus immanens est nobis *intrinsecus* seu manet intra nos, sicut anima manet intra corpus, ideoque est principium formale et intrinsecum. « La cabeza está fuera de los miembros de los que es cabeza ... Pero no sólo está (Cristo) fuera, ejerciendo desde fuera sus buenos oficios con nosotros » está también *dentro* de cada uno y de todos juntos. Es el alma y la vida ... si somos su cuerpo, El es nuestra alma. Somos el cuerpo animado por El y vivificado por El » p. 73-74, o. c. — Christus transcendens est Christus *substantivus*, i. e. capitalitas convenit Christo ratione elementorum substantialium quae adsunt in eadem persona divina et natura humana gratia capitali informata. Christus immanens est non Christus substantivus, sed potius Christus accidentalis, i. e. Christus non ratione suae naturae humanae, sed ratione suae gratiae accidentalis, quae et Christi animam sanctificat, et ex Christo capite ad membra derivatur, eaque vivificat. « El Cristo inmanente es distinto del capital. El capital ya hemos dicho que es substantivo. Una substancia subsistente no puede ser principio formal interno de otra sub-

stancia subsistente y personal. Sería absurdo pensar que Cristo se nos mete dentro y nos informa y nos vivifica. El Cristo inmanente es su gracia, su vida sobrenatural accidental, que es precisamente la gracia santificante » *ibid.* p. 74.

Sauras opinatur atque contendit hanc doctrinam de Christo capite simul et anima corporis mystici esse genuine Paulinam. Etenim Apostolus loquitur duplici modo de Christo considerato in sua habitudine ad corpus mysticum: Saepe loquitur de Christo ut fundamento, capite, Redemptore, Salvatore corporis mystici; hic est Christus transcendens corpori extrinsecus; sed alias loquitur de Christo qui est *nostra vita*, Col. 3, 4; de Christo qui *vivit in nobis*, Gal. 2, 20; de Christo qui *formatur in nobis*, Gal. 4, 19. Hic est Christus immanens et anima corporis mystici. Hae duae formulae Paulinae: Christus caput — Christus anima, sunt quidem formaliter et realiter distinctae — alia quippe est functio capitalis, alia functio vitalis et animica — sed non sunt contradictoriae, quia Christo attribuuntur sub diverso respectu formali. — Sauras demum addit doctrinam de Christo immanenti proponi a Paulo praevalenter, licet non exclusive, in prioribus magnis epistulis (Rom. Corinth. Gal.), alteram vero de Christo transcendentem et capitali in posterioribus epistulis captivitatis. Hic diversus loquendi modus penes Paulum inde explicatur, quod Apostolus in prioribus epistulis vult extollere contra iudaizantes magnitudinem et dignitatem Ecclesiae ab ipso Christo vivificatae; dum e contra in epistulis captivitatis vult extollere et premere capitalem Christi dignitatem.

Quod si de tota hac opinione et conceptione sit iam ferenda sententia, videtur nobis eam esse difficilem, vix sibi cohaerentem, omni fundamento biblico et Paulino destitutam. a) Primo quidem difficulter intelligitur haec distinctio inter Christum transcendentem, et Christum immanentem. Quod Christus sit caput corporis mystici, ideoque transcendens et extrinsecum ipsi corpori, perfecte intelligitur. Sed quod Christus sit anima huius corporis, ideoque immanens et intrinsecus eidem, difficultate non caret. Etenim ex una parte asseritur ipsum esse intra nos: « está también *dentro* de cada uno y de todos juntos. Es el alma y la vida ». Item dicitur corpus mysticum esse animatum et vivificatum *ab ipso Christo*: « Somos

el cuerpo animado por El, vivificado por El ». Sed ex alia parte docetur et premitur Christum immanentem et animantem non esse Christum substantivum et personalem, sed esse eius gratiam sanctificantem accidentalem. Atqui gratia sanctificans Christi realiter distinguitur ab ipso Christo. Videtur ergo esse abusus verborum loqui de *Christo immanenti*: id quod est intra nos, non est Christus (homo), sed aliquid distinctum formaliter et realiter ab ipso Christo. Nonne satius esset distinguere inter Christum transcendentem, et gratiam immanentem? Et nonne etiam Christus caput posset dici immanens ratione gratiae ab ipso causatae et nobis inhaerentis?

b) Difficultas crescit si consideratur gratiam immanentem, seu nobis inhaerentem, non esse ipsam Christi gratiam personalem, sed aliam, specificè quidem eandem, at numerice distinctam. Auctor iure affirmat quod una substantia subsistens non potest esse principium formale internum alterius substantiae subsistentis et personalis: « Una substancia subsistente no puede ser principio formal interno de otra substancia subsistente y personal. Seria absurdo pensar que Cristo se nos mete dentro y nos vivifica. El Cristo inmanente es su gracia, su vida sobrenatural accidental, que es precisamente la gracia santificante » (p. 74 o. c.). Sed eodem modo repugnat quod unum accidens inhaerens uni substantiae possit esse principium formale internum atque inhaerens alteri substantiae; et sicut absurdum foret cogitare quod Christus (homo) in nostra interiora dilabatur, non minus absurdum foret cogitare quod ipsa gratia sanctificans Christi nobis inseratur, nostraeque animae inhaereat. Accidens non migrat de subiecto in subiectum; nec in nostro casu una sufficeret migratio, sed multae requirerentur migrationes, tot nempe, quot sunt, eruntque in corpore mystico animae christianae gratia et caritate vivificatae. Christus ergo nequit dici immanens nec ratione suae naturae humanae et substantialis, nec ratione suae gratiae sanctificantis et accidentalis. Id quod est nobis intrinsecum et immanens est gratia sanctificans a Christo efficienter causata. Sed Christus, causa efficiens gratiae, non est Christus immanens et anima corporis mystici, sed est Christus transcendens et caput praefati corporis. Ergo non videtur admittenda duplex functio a Christo exercita in corpore mystico; quarum una esset transcendens et capitalis, altera vero immanens et

animica. Functio informativa gratiae santificantis non est nova quaedam functio vitalis exercita a Christo immanente; nec est functio exercita a gratia personali et accidentali Christi; sed est functio exclusiva gratiae sanctificantis nostrae animae inhaerentis, quae Christum *caput* habet auctorem seu causam (instrumentalem) efficientem. Verba ergo Auctoris scribentis in p. 82: « En términos de la escuela diríamos que la cabeza (Christus transcendens) es un principio *efficiente*, y sus funciones son *efectivas*. Y el alma (Christus immanens) es un principio *formal*, y sus funciones son *formales*. La causa eficiente es extrínseca al efecto; sus funciones también. La causa formal est intrínseca, lo mismo que sus funciones »: haec, inquam, verba indigent sana interpretatione, vel opportuna correctione.

c) Tota haec singularis conceptio de duplici Christo: transcendentem et immanenti, deque duplici functione a Christo exercita in corpore mystico, videtur demum innixa in praepostera quadam atque infelici interpretatione quorundam textuum biblicorum, qui recurrunt in epistulis Paulinis. Auctor in primis appellat ad epistolam Coloss. 3, 4: « Cum Christus apparuerit *vita vestra* ». Unde concluditur: Christus secundum Paulum non est tantum caput corporis mystici; est etiam vita et anima eiusdem corporis. Putamus hanc exegetis non esse rectam: Christus dicitur a Paulo vita nostra sensu non formali, sed causali et efficienti. Eodem modo Paulus dicit (Ephes. 2, 14) quod Christus est *pax nostra*, non sensu formali, sed causali efficienti, ut apparet ex contextu proximo: « Ipse est pax nostra, qui *fecit* utraque unum ». Similis loquendi forma, et similis interpretandi modus recurrit apud S. Thomam S. T. II-IIae q. 23, a. 2 ad 2. Ubi primo proponitur obiectio in hanc formam: « Deus est spiritualiter vita animae, sicut anima vita corporis, secundum illud Deuter. 30: *Ipsa est vita tua*. Sed anima vivificat corpus per se ipsam; ergo Deus vivificat animam per seipsum: vivificat autem eam per caritatem ... Ergo Deus est ipsa caritas ». Ad hanc difficultatem Thomas respondet sic: « Dicendum, quod Deus est vita *effective* et animae per caritatem, et corporis per animam: sed *formaliter* caritas est vita animae, sicut et anima corporis; unde per hoc potest concludi, quod sicut anima immediate unitur corpori, ita caritas animae ». Sicut ergo Deus dicitur

vita animae sensu non formali, sed efficienti; sic et Christus dicitur penes Paulum *vita nostra* non per modum causae formalis et *animicae*, sed per modum causae efficientis et *capitalis*. Ex hoc ergo textu perperam concluditur ad duplicem Christum: transcendentem et immanentem, et ad duplicem functionem a Christo in corpore mystico exercitam.

Sauras secundo appellat ad textum Paulinum in Gal. 2, 20: « Vivo autem, iam non ego: *vivit vero in me Christus* ». Unde rursus concluditur: Christus, secundum Paulum, non tantum est caput *extra nos* positum, sed est etiam anima *intra nos* vivens. Ergo admittenda est, ad normam theologiae Paulinae, duplex Christi functio in suo corpore mystico: una extrinseca et capitalis, alia interna et animica. — Responsio ad argumentum non est difficilis: Paulus utique asserit Christum vivere in nobis, sed non dicit Christum vivere in nobis instar principii interni et formalis. Qualiter sit intelligenda formula Paulina Christi viventis in nobis, apte explicari potest habito prae oculis contextu proximo et remoto: Apostolus distinguit duplex *ego*: prior repraesentat hominem veterem: alter designat hominem novum. Homo vetus exhibetur ut homo mortuus et crucifixus cum Christo: « Ego enim per legem, legi mortuus sum ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci » (v. 19). Homo novus est homo christianus Christo incorporatus in baptismo (Gal. 3, 27), qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate (Ephes. 4, 24). Paulus ergo, et quicumque alius christianus, legi mortuus, et cum Christo concrucifixus » ut destruat corpus peccati » (Rom. 6, 6) iam non vivit vitam veteris hominis: hinc Paulus: « vivo *iam non ego* »; sed vivit vitam novi hominis: haec porro vita non est vita quaedam naturalis, sed est vita quae homini novo seu christiano obvenit ex sua ad Christum incorporatione. Christus porro vivit in nobis triplici titulo: efficienti, obiectivo, et finali. Christus in primis est principium *efficiens* nostrae vitae divinae. Christus Deus est causa principalis; Christus homo est causa instrumentalis huius vitae. At Christus simul est *obiectum* huius vitae, ut clare apparet ex contextu subsequenti: « Quod autem nunc vivo in carne, *in fide vivo* filii Dei ». Agitur evidenter de fide non mortua, sed viva et per caritatem informata. Christus ergo vivit in nobis per modum obiecti cogniti et amati hinc est quod (Ephes. 4, 15) dicatur: « Veritatem autem facientes

in caritate crescamus in illum per omnia qui es caput Christus ». Similiter Ephes. 3, 16-17: « ut det vobis virtute corroborare per Spiritum eius in interiorem hominem, *Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati* ». Vides Christum vivere in nobis, habitare in nobis per fidem et caritatem, i. e. per modum obiecti cogniti et amati. Tertio demum Christus est *causa finalis* nostrae vitae spiritualis. Etenim « nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur. Domini sumus. *In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit*, ut et mortuorum et vivorum dominetur ». His similia sunt quae leguntur Rom. 7, 4: « Itaque fratres mei et vos mortificati estis legi per corpus Christi: *ut sitis alterius*, qui ex mortuis resurrexit, ut fructicemus Deo ». Advertas affinitatem huius textus cum Gal. 2, 19. Christus ergo, sicuti est principium *efficientis* vitae nostrae christianae, sic etiam est principium *obiectivum* et *finale*, imo et *iuridicum* seu *dominativum* ipsius. Vides quotuplici titulo et modo *Christus vivit in nobis*: nullibi recurrit titulus aut modus *principii formalis et animici*. Sunt qui in textu nostro (Gal. 2, 20) vident novo titulo et modo *viventem in nobis* Christum; per modum nempe *subiecti attributionis*. Id si admittendum iure videatur, agitur de Christo considerato, non per modum *animae* corporis mystici, sed potius per modum *personae* aut quasi personae in hoc corpore. Ex dictis ergo consequitur hunc textum Paulinum non posse iure invocari ad demonstrandam functionem *vitalem et animicam* Christi in corpore mystico.

c) Tertio demum appellatur ad textum biblicum, qui recurrit in Gal. 4, 19: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec *formetur Christus in vobis* ». Unde tentatur conclusio: Christus vivit in nobis non tantum per modum principii externi et efficientis, sed etiam per modum principii *interni et formalis*. — Sed hic non est sensus intentus et significatus a Paulo. Christus dicitur formari in nobis non eo sensu, quod Christi sive humanitas sive gratia personalis et accidentalis nobis inseratur per modum cuiusdam formae e Christi in nos migrantis; sed eo potius, quod ipse Spiritus Christi, unus et indivisus, nobis communicatus, in anima nostra secrete operatur et nos lente et progressive transformat ad imaginem

Christi, nosque reddit Christo conformes et quasi Christiferos. Hinc Paulus in II Cor. 3, 18: « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, *in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Dòmini Spiritu* ».

Conclusio totius argumentationis est: totam hanc novam conceptionem de duplici Christo: transcendentem et immanentem, nec non de duplici functione Christi in corpore mystico carere omni fundamento biblico et Paulino.

III. Doctrina P. Sauras de *anima corporis mystici* iam est superius examinata et crisi subiecta. Unde licebit nobis esse brevioribus. S. docet duas esse animas in corpore mystico: unam increatam et inhabitantem, alteram creatam et inhaerentem. Profecto formula seu loquutio *anima Ecclesiae*, sicut illa de *capite, membris*, est metaphorica, fundata in quadam analogia dinamica inter animam corporis humani et animam corporis mystici. Ergo ut gratia creata possit iure nuncupari anima in corpore mystico, sufficit ut adsit vera quaedam analogia inter animam corporis humani et gratiam creatam. Atqui haec analogia in casu nostro minime deest: sane sicut anima humana informat, dat esse, vivificat, et movet corpus, sic etiam gratia creata informat, vivificat et movet membra corporis mystici. — Porro anima creata Ecclesiae non est ulla gratia *particularis*, ut est fides, caritas, gratia; aut ullum donum charismaticum, qualis est potestas sacerdotalis, magisterialis, regalis ..., sed est *gratia christiana, qua talis*.

Haec conceptio seu theoria de *duplici* anima admittenda in corpore mystico laborat gravibus difficultatibus, quas suo loco notavimus et demonstravimus. Summa rei est:

a) Ponere *duas* animas in *uno* corpore ecclesiastico, est destruere analogiam a Paulo praedicatam. Ecclesia vocatur ab Apostolo *corpus* propter analogiam anatomicam et dynamicam cum corpore organico humano (Rom. 12, 5 et 1 Cor. 12, 12 et sq.). Atqui in corpore humano una tantum est anima, quae est principium totius vitae, unitatis et varietatis in compagine organica. Hanc profecto unitatem animicam notat et premit Paulus: « Etenim in *uno Spiritu* nos omnes in *unum corpus* baptizati sumus ». — « Haec omnia operatur *unus idemque Spiritus* ». « Unum corpus et *unus Spiritus* ». Positio

ergo duplicis animae in uno corpore ecclesiastico est destructio analogiae a Paulo statutae.

b) Argumentum nostri Auctoris pro sua thesi non satisfacit: etenim praetensa analogia inter animam humanam et gratiam creatam fallax est: anima humana informat, vivificat, movet *corpus organicum*: gratia creata non informat corpus organicum; sed animam singulam: anima humana est actus *corporis* organici, gratia creata est actus animae singularis, qua talis. Analogia ergo ab Auctore statuta nec est vera analogia, nec est illa analogia a Deo revelata, et a Paulo praedicata. S. appellat ad auctoritatem S. Thomae in S. Th. 2-2, q. 23, 2 ad 2. At incassum. En verba communis Doctoris: « Deus est vita *effective* et animae per caritatem, et corporis per animam: sed *formaliter* caritas est vita *animae*, sicut et anima corporis ». Thomas ergo non vocat caritatem animam *corporis mystici*, sed animae singularis. Luce clarius apparet hic a S. Doctore institui analogiam, non inter animam humanam et animam creatam corporis mystici, sed inter causalitatem formalem exercitam ab anima in *corpore humano*, a caritate in *anima humana*.

c) Gratia christiana, *qua christiana*, nequit esse anima creata corporis mystici, quia talis gratia non existit in rerum natura, sed est fructus mentis abstrahentis. Secundum Sauras gratia creata, quae sit anima corporis mystici, nequit esse ullum donum creatum *particulare*, quale est fides, spes, caritas, gratia sanctificans, gratia actualis, potestas regiminis, etc., quia nulla gratia creata particularis potest vivificare *totum* corpus mysticum, sed *aliquam* eius partem; ideo requiritur aliqua gratia creata *universalis*, quodam dynamismo *universalis* praedita, qui diversimode participatur et manifestatur in singulis mystici corporis partibus, eo fere modo quo virtus universalis animae humanae diversimode participatur et manifestatur in singulis animae potentiis, in diversis corporis organis. Atqui talis gratia creata dynamice universalis non existit in rerum natura; siquidem omnis gratia creata existens extra mentem, est gratia quaedam *individua et particularis*, quae vel erit fides, vel caritas. Sicut humanitas, *qua talis*, non habet existentiam extramentalem, sic etiam gratia christiana, qua talis.

d) Anima *duplex* in corpore mystico, cuius una sit gratia

christiana, qua christiana, logice stabiliri non potest: siquidem etiam anima increata corporis mystici, qui est Spiritus Sanctus est quoque gratia christiana, et maxima gratia christiana. Non possunt ergo logice poni in corpore mystico *duae* animae, quarum una esset gratia christiana, qua talis; et alia esset gratia non christiana. Quod si agnoscitur character christianus utriusque doni, creati et increati, tunc oporteret dicere animam corporis mystici esse gratiam, non quatenus est fides vel caritas vel gratia sanctificans, vel Spiritus vivificans sed gratiam christianam, qua talem.

e) Desideratur logica cohaerentia in systemate Auctoris. Apud quem anima creata corporis mystici alias dicitur esse gratia christiana, *qua talis*, alias asseritur hanc animam esse *collectivam*. Non est idem gratia christiana *qua talis*, et gratia christiana collective considerata. Gratia collectiva constituitur multis gratiis individuis et singularibus; non sic gratia christiana, qua talis. Sicut non est idem humanitas, qua talis; et humanitas = collectivitas individuorum. Idem defectus cohaerentiae logicae manifestatur, si comparentur ea quae Auctor docet in capite quinto de anima creata corporis mystici repone[n]da non in gratia sanctificante, sed in gratia christiana, et ea quae asserit in capite primo, p. 74, ubi disseritur de Christo immanente, anima corporis mystici: « El Cristo immanente, que es su gracia, su vida sobrenatural accidental, *que es precisamente la gracia santificante* ». Hic asseritur Christum immanentem esse *animam* corporis mystici, in oppositione ad Christum transcendentem, qui est *caput* huius corporis, et hunc Christum immanentem esse praecise gratiam sanctificantem. Profecto haec est gratia quae vivificabat sanctissimam Christi animam, et quae a membris corporis mystici participari dicitur.

IV. *Doctrinam Sauras de unitate* propria corporis mystici superius exhibuimus. S. distinguit triplicem unitatem in corpore mystico: unam *externam et formalem*, quae est unitas exemplaritatis — alteram *moralem et iuridicam* fundatam non in communi omnium obedientia eidem regimini visibili, sed in communionem iurium et bonorum inter Christum caput et fideles christianos membra corporis ecclesiastici — tertiam

denique *ontologicam* et accidentalem, cuius fundamentum est *vita divina* quae ex capite in membra derivatur.

Tria observanda occurrunt circa hanc doctrinam: 1° Unitas statuta ab Auctore pro corpore mystico videtur nimis tenuis et laxa. Unitas corporis mystici propria est unitas solidaritatis, qualem supra descripsimus: unde est unitas pneumatica, vitalis, organica, hierarchica, iuridica, moralis; hinc interna simul et externa, eaque triplex: fidei, regiminis, et communionis. Superius ostendimus identitatem inter corpus Christi mysticum et Ecclesiam visibilem, hierarchicam, catholicam-romanam. Haec est doctrina Paulina, a Pio XII proposita in Encyclica « *Mystici Corporis* », et iterum inculcata et vindicata in Encyclica « *Humani Generis* ». — 2° Unitas ontologica et vitalis non est mere specifica, ut videtur intelligi ab Auctore, sed etiam individualis et numerica. Unus quippe et idem Spiritus, indivisus, vivificat caput et membra. — 3° Consideratur logica cohaerentia inter doctrinam de unitate corporis mystici ab Auctore propositam in hoc ultimo capite sexto, et doctrinam traditam in capite primo, pag. 87, ubi, ad mentem et auctoritatem Pauli, asseritur adesse in corpore mystico organizationem non tantum internam et moralem seu sanctitatis, sed etiam externam tum charismaticam, tum hierarchicam iuridicam.

Non sine dolore huic parti finem imponimus, in qua non paucos nec leves defectus adnotare debuimus in opere clari et egregii theologi. Radix totius confusionis — sit venia verbo — stat in defectu sufficientis attentionis ad doctrinam S. Pauli et magisterii ecclesiastici. Auctor in operis introductione annuntiat suum propositum elaborandi theologiam corporis mystici ad normam divinae revelationis, ecclesiastici magisterii, et doctrinae S. Thomae: « serán nuestras guías en este trabajo las enseñanzas de la revelación, de la Yglesia, y de Santo Tomás ... No es necesario decir que las enseñanzas del Pontífice (en la Encíclica *Mystici Corporis*) nos servirán de norma y de guía en nuestras explicaciones ». Sed forte non sufficienter animadvertit adesse non parvam difficultatem conciliandi doctrinam S. Thomae cum doctrina S. Pauli et Pii XII in praefata Encyclica « *Mystici Corporis* ». Pius XII, *premens vestigia Paulina*, requirit tres condiciones necessarias ad rationem membri in corpore mystico: professionem verae fidei — susceptio-

nem baptismi — organicam connexionem sive cum tota compagine ecclesiastica, sive cum collegio hierarchico, cui praeest successor Petri. — S. Thomas non requirit ullam ex his tribus conditionibus. Sufficit ei interna et habitualis coniunctio cum Christo sive per gloriam, sive per caritatem, sive saltem per fidem (S. T. III, q. 8, a. 3). Pius XII identificat corpus mysticum Christi cum *Ecclesia Novi Testamenti*, hierarchica, monarchica, catholica-romana; severum quoque monitum dedit contra eos omnes, qui hanc identitatem agnoscere renuunt, in Encyclica « *Humani Generis* ». — S. Thomas identificat corpus mysticum cum *Ecclesia universali*, triumphanti, patienti, et militanti Antiqui et Novi Testamenti. Pro Pio XII (et pro Paulo) necessaria et essentialis conditio mystici corporis est *visibilitas*. Sic interpretatur *notionem Paulinam corporis*: « Quod si corpus est Ecclesia, unum quiddam et indivisum sit oportet ... Nec solummodo unum quiddam et indivisum esse debet, sed aliquid etiam concretum ac *perspicibile*, ut Decessor Noster fel. rec. Leo XIII in Encyclicis *Satis cognitum* affirmat: « Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia ». — Pro S. Thoma visibilitas non est elementum essentialis corpori mystico, qua tali. Reapse Sauras hanc S. Thomae doctrinam selegit « como norma y guía » ad elaborandam Theologiam corporis mystici: « Nosotros en esta obra entendemos por *cuerpo místico* el conjunto de elementos *internos* (invisibles) que concurren en la capitalidad de Cristo, en nuestra incorporación a El y en nuestra vivificación por su gracia » pag. 18 o. c. Quenam sint haec elementa interna clare determinatur in pag. 14: « Los elementos *invisibles o internos* son la gracia santificante, las virtudes infusas, principalmente la fe y la caridad; los dones del Espíritu Santo, el propio Espíritu que anima la Iglesia y a los fieles y los unifica. Es cierto que Cristo y nosotros somos sujetos visibles y externos; la cabeza y los miembros del cuerpo místico parece, por lo tanto, que sean elementos del primer grupo. Pero no; la capitalidad y el caracter de miembros no se fundan en lo que aquella y éstos tienen de visible, sino en la gracia que de la primera descende a los segundos y en las virtudes y demás elementos divinos que de ella dimanar ». Vides ergo quod pro Sauras, sicut pro S. Thoma corpus mysticum est *essentialiter invisibile*, nec nullum elementum visibile requiritur ad essentialem

ipsius constitutionem. Quaedam ergo oppositio, sat gravis, primo saltem intuitu, adesse videtur inter S. Thomam et Pium XII (et Paulum) in modo concipiendi mysterium corporis mystici. Totum hoc problema de habitudine doctrinae S. Thomae ad doctrinam Pii XII in Encyclica « Mystici corporis » recenter examinatum est a Doctore *Mitterer* in opere cui titulus « Geheimnisvoller Leib Christi nach S. Thomas v. A. und nach Papst Pius XII ». Vehementer suspicor P. Sauras ignorare hoc opus, necnon vivas ac contrarias reactiones hoc libro provocatas. Auctor operis opinatur adesse reapse dissidium insanabile inter conceptionem corporis mystici a S. Thoma elaboratam, et doctrinam a Pio XII in Encyclica « Mystici Corporis » propositam. Sunt qui putent omnia haec dissidia superari facile posse distinguendo varios sensus corporis mystici, quorum unus sit *strictus*, primarius, centralis ... alius vero (vel alii), sensus *latus*, secundarius ... At surgit quaestio momentosa summaeque gravitatis: Hic sensus vel hi omnes sensus qui dicuntur latiores, secundarii ... sunt et ipsi revelati? Aliis verbis, conceptus Paulinus corporis mystici est unicus, an multiplex? Quod si unicus sit dicendus, illi alii sensus quem valorem theologicum habent? Suntne forte logicae derivationes vel conclusiones theologicae ex sensu revelato legitime deductae? Sed si sensus et veritas revelata requirit baptismum ad rationem membri in corpore mystico, quomodo poterit haberi ut legitime inde deductus alius sensus, in quo non requiritur susceptio baptismi ad rationem membri? Suntne forte hi alii corporis mystici sensus largiores oratoriae amplificationes vel etiam *piae accommodationes*? Et hae quidem accommodationes multum reapse, multumque conferre possunt ad christianae pietatis aedificationem; sed ad elaborandam *Theologiam corporis mystici* possunt nocere quamplurimum. Vides gravitatem problematis, cuius considerationem et accuratum studium noster Aemilius, proh dolor, praetermittendum putavit. Dices forsitan doctrinam S. Thomae laudari in Encyclica « Mystici Corporis ». Sed advertas in tota hac sectione de membris Corporis mystici, eiusque extensione, nunquam citari Thomam, nusquam alludi Aquinatem, sed constanter invocari Paulum, et cum Paulo celebrari Leonem, papam XIII.

Bover

Bover egit de corpore mystico multifariam multisque modis; at integram materiam collegit et systematizavit in suo opere *Teología de San Pablo* (1946), I, VII, c. 4, cui titulus: « El cuerpo místico en San Pablo », p. 551-605. Dabimus summam doctrinalem; sequentur nonnullae observationes criticae.

Corpus mysticum, prout ordinarie concipi consuevit, est quidam organismus spiritualis, physico et humano similis, Christo capiti unitus et a Spiritu Christi vivificatus. Trifariam accipi potest: sensu *stricto* sumptum est coetus fidelium christianorum qui efformant *Ecclesiam* catholicam Romanam — Sensu *latiori* est *integra humanitas* Christo unita — Sensu *latissimo*, vix iam proprio, est *integra creatio* in Christo instaurata et recapitulata. — Corpus mysticum *stricte sumptum* bifariam considerari potest: 1° per modum *unionis*; et tunc habetur proprie *corpus mysticum* Christi capitis: 2° per modum *unitatis* seu identitatis; et tunc habetur *Christus mysticus*. Utraque conceptio habet auctorem Paulum: qui aliquando considerat corpus, ut distinctum a capite, eique unitum. Sic in Ephes. 1, 22-23; 4, 16; 5, 23: « vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae ». Alias Paulus considerat corpus per modum unius cum capite, ab eo quasi absortum et penetratum; et hoc totum vocat *Christum*. Sic in I Cor. 12, 12: « Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen sunt, *ita et Christus* ». Ubi Ecclesia = corpus cum capite, vocatur Christus. Advertas simile quidpiam recurrere in consideratione corporis humani; ubi corpus aliquando opponitur *animae*, et tunc significat corpus integrum; alias opponitur *capiti*, et tunc significat corpus distinctum a capite, eique unitum et ab eo directum et quasi gubernatum.

Membra corporis mystici, stricte considerati, sunt omnes et soli fideles qui *per baptismum* sunt Christo incorporati. *Peccatores* non excluduntur quidem a censu membrorum in corpore mystico; sed membra sensu proprio et pleno sunt tantummodo iusti gratia et caritate ornati: « sólo los justos son, con toda propiedad y en toda su plenitud, miembros del Cuerpo

Místico de Cristo » p. 553, o. c: Bover opportune notat distinctionem inter duas categorias membrorum in corpore mystico, *iudaeorum* nempe et *gentilium*, a Paulo adeo repetitam et inculcatam; et optime explicat qualiter sit intelligenda praefata distinctio. — Membra corporis mystici sensu latiori sumpti sunt omnes homines et Angeli.

Habitudo membrorum ad caput est duplex: primo *immanentiae mutuae* Christum inter et fideles: haec immanentia mutua solet a Paulo efferri duplici modo seu formula: nos in Christo — Christus in nobis. — Altera habitudo est *influxus vitalis*: hic porro influxus totus quantus se tenet ex parte Christi, qui fideles facit vitae suae participes (*vivet propter me*): membra vero nullum vitae genus capiti communicant; certum tamen influxum in caput exercent, quatenus Christus indiget eis, ut certo quodam complemento; hinc est quod Ecclesia dicatur corpus Christi et eius *plenitudo* (Ephes. 1, 23).

Anima seu principium vitale in corpore mystico est Spiritus Sanctus. Spiritus porro intelligitur anima corporis mystici non per proprietatem, sed per appropriationem, et quidem sensu non univoco, sed analogo analogia proportionalitatis. — *Caritatem creatam* quod attinet, videri quidem posset quod Paulus ei assignat locum animae (Ephes. 4, 16), sed textus Rom. 5, 5: « caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis », ostendit locum et dignitatem animae Spiritui Sancto a Paulo reservari. Res ergo tota posset ita componi ut caritas creata dicatur *principium vitale quo* corporis mystici; Spiritus vero Sanctus *principium quod*. « A la luz de este texto, podemos decir que la caridad es el principio vital *quo* del Cuerpo Místico, al paso que el Espíritu Santo es el principio *quod*. La caridad es, en efecto, la principal energía con que el Espíritu Santo actúa como alma o como principio vital en el Cuerpo Místico », p. 557, o. c.

Bover notat et quasi conqueritur quod prior conceptio corporis mystici = *per modum unionis* praevaluerit apud doctores catholicos, ita ut alteri et nobiliori conceptioni corporis mystici minor attentio praestatur, non sine periculo doctrinae: conceptio corporis Christi per modum unionis vera quidem est, sed incompleta; ideoque non solvenda sed adimplenda alia

conceptione, in qua habitudo membrorum ad Christum caput efferatur per modum *identitatis*. Surgit quippe quaestio gravis: haec duplex conceptio corporis mystici: per modum nempe unionis et identitatis estne sic opposita ut non possit reduci in unitatem? Si manet et praevalet *dualismus*, oportet fateri notionem corporis mystici esse confusam, incohaerentem; si praevalet *unicismus*, habebitur demum conceptio clara, harmonica, profundior corporis Christi. « ¿Qué conexión tienen entre sí esas dos concepciones? ¿Predomina la una sobre la otra? ¿Pueden reducirse a una sola? ¿El dualismo puede resolverse en unidad? La importancia y gravedad del problema salta a la vista: si subsiste el dualismo, la concepción del Cuerpo Místico ha de ser forzosamente incoherente e imprecisa », p. 521 o. c.

Clavis solutionis quaerenda est in *notione solidaritatis*. In studio corporis mystici hoc elementum solidaritatis est maxime considerandum et premendum, quippe quod sit elementum *formale*, et quasi anima corporis mystici. Haec porro solidaritas generatim supponitur ab auctoribus radicari in passione et morte Redemptoris, realizari vero in momento baptismi. At haec opinio est falsa, ideoque reformanda. Nostra cum Christo solidaritas *radicatur in Incarnatione*: hinc existentia corporis mystici incipit, non in cruce aut Pentecostes, sed in ipso momento Incarnationis. Perfecto idem est processus formationis corporis mystici, ac processus redemptionis. Porro in processu redemptionis possunt ac debent distingui quatuor elementa: primo constitutio Redemptoris — deinde actus redemptionis — tertio effectus immediatus et globalis redemptionis — quarto demum effectus mediatus et individualis actus redemptorii. — Age iam: Christus constituitur redemptor et caput in Incarnatione — actus redemptionis realizatur in cruce — primus et immediatus effectus redemptionis est efformatio corporis mystici in suo primo stadio, adhuc imperfecto et rudimentario — effectus mediatus redemptionis est constitutio corporis mystici in suo stadio secundario, iam perfecto et consummato per fidem et baptismum.

Utriusque stadii comparatio: Utrumque stadium convenit in hoc, quod humanitas est iam *Christo incorporata*: at

duplex hoc stadium differt inter se quadrifariam: primo ratione corporis — secundo ratione iustificationis — tertio ratione capitis — quarto ratione Spiritus Sancti. Singula consideremus:

Ratione corporis: In primo stadio humanitas Christo incorporata, est humanitas considerata per modum *massae informis*, in qua nondum adest distinctio membrorum, organorum, functionum: corpus ergo informe, indeterminatum, nondum differentiatum nec organizatum. In secundo autem stadio corpus mysticum est corpus iam formatum, differentiatum, organizatum; in quo proin adest iam atque apparet distinctio membrorum, organorum ac functionum.

Ratione iustificationis: Bover contendit humanitatem, Christo in Incarnatione incorporatam, consequenter ad mortem Christi, et antecedenter ad glorificationem ipsius, et receptionem baptismi ex parte fidelium, esse iam vere et formaliter iustificatam. Id probare intendit primo ex doctrina Pauli ad Rom. 5, 19: « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per obedientiam unius hominis iusti constituentur multi ». « Por una parte, la expresión *constituidos justos*, que parece tomada del léxico aristotélico, tiene sentido de causalidad más bien formal que eficiente. Por otra parte, la antítesis con la desobediencia de Adán, por la cual los hombres *fueron constituidos pecadores*, confirma el mismo sentido de causalidad formal, dado que el pecado de Adán, no sólo fué ejemplo o provocación de otros pecados, sino que él mismo constituyó pecadores a los hombres », p. 582-583, o. c. Id ipsum secundo confirmatur auctoritate Bellarmini: qui explicans textum Pauli II Cor. 5, 21 scribit: « Hac igitur falsa expositione reiecta, tribus modis potest hic locus exponi: uno modo, ut iustitia Dei sit ipsa iustitia divina, quae est in Christo. Quae iustitia nos esse dicimur, non in nobis, sed in illo, quia ipse est caput nostrum, et quod convenit capiti, convenit etiam membris, non ut sunt membra distincta a capite, sed ut faciunt unum cum ipso ». Tota ergo humanitas consequenter ad mortem Christi, et antecedenter ad personalem singulorum iustificationem baptismi acquisitam, censenda est formaliter iustificata; sed ex alia parte haec iustificatio est diversa in utroque stadio. In primo stadio iustificatio corporis mystici est moralis, iuridica, idea-

lis, radicalis, virtualis. In secundo stadio praefata iustificatio est vitalis, realis, formalis, actualis.

Ratione capitis: Christus in utroque stadio est caput corporis mystici; sed aliter et aliter: In primo stadio Christus est caput tantum ratione supereminentiae et supremae; hinc est caput tantum *morale et iuridicum*; at in secundo stadio est etiam *caput vivificum* per modum organi motoris, directoris, vivificantis.

Ratione Spiritus Sancti: Corpus mysticum in primo stadio nondum est vivificatum ab Spiritu Sancto, qui tantum est in capite nondum glorificato. In secundo stadio Spiritus Sanctus communicatur toti corpori mystico a capite iam glorificato ad normam doctrinae Ioanneae 7, 39: « Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus ».

Ratione extensionis: Accedit novum discrimen ratione extensionis corporis mystici: In primo stadio *tota humanitas* est membrum corporis m.; in secundo stadio *aliqui tantum homines* sunt membra corporis Christi, illi nempe qui fide et baptismo Christo sunt incorporati. Hoc ultimum discrimen ratione extensionis explicite non commemoratur a P. Bover, sed implicite continetur in eius conceptione et doctrina.

Habitudo secundi stadii ad primum: Bover, notatis differentiis inter utrumque mystici corporis stadium, procedit ad examen secundi stadii considerati *ad lumen prioris*. Problema explicandum, est huiusmodi: quomodo est concipienda transformatio primi stadii in secundum. Huic problemati datur sequens responsum: Transformatio fit non *via superpositionis* seu superadditionis, sed *via internae evolutionis*, idque in triplici elemento superius commemorato: corpore, capite, Spiritu. Singula consideremus:

In corpore: Relatio inter primum et secundum stadium, non est relatio inter *duo corpora*; sed est relatio inter *duo stadia successiva* unius eiusdemque corporis. *Idem* corpus mysticum quod primum erat informe, indeterminatum, universale, impersonale, fit nunc formatum, determinatum, individuale, personale organicum: aliis verbis: potentia convertitur in actum.

In capite: Simili modo est concipienda transformatio ex parte capitis. *Idem* Christus qui in primo stadio erat caput

sensu morali plus minus metaphorico, fit in secundo stadio caput sensu magis proprio, organico nempe et vitali.

In Spiritu Sancto: Idem numerice Spiritus, qui in primo stadio erat reductus et quasi restrictus ad caput, nunc in secundo stadio extenditur et dilatatur ad totum corpus. In primo stadio adhuc tenebat quod in Gen. 6, 3 dicitur de tempore redemptionem praecedente: « Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est ». Quin imo, consummata redemptione, adhuc resonabat quod dicit Ioannes 7, 39: « Nondum erat datus Spiritus, quia Iesus *nondum erat glorificatus* ». At exorto secundo stadio, clamat iam Petrus: « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem ». Act. 2, 17. Et resonat Paulus (Rom. 5, 5): « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ». Apparet ergo transformationem primi stadii in secundum fieri non superadditione novorum elementorum extrinsecus adscitorum, sed via potius evolutionis internae eo fere modo quo organa rudimentaria et embrionaria differentiantur et evolvuntur in organismo viventi.

Causae transformationis: Causae huius mirae transformationis assignantur tres: Potentia activa moralis et iuridica Christi hominis — Potentia physica Christi Dei i. e. Spiritus Sanctus (per appropriationem). — Potentia physica passiva massae humanae informis ad recipiendam duplicem formam: socialem et individualem. Videlicet: Christus homo habet vim capitalem moralem et iuridicam tum ad incorporandam sibi et quasi absorbendam totam humanitatem, tum ad communicandum eidem impulsus evolutionis vitalis et plasmaticis — Christus Deus habet potentiam physicam ad producendum organismum spiritualem, illumque vivificandi. — Ipsum corpus seu massa illa rudis atque indigesta habet potentiam passivam ad recipiendum duplicem illum Christi influxum, moralem nempe et physicum. Sic potentia actuatur tum in ordine sociali, unde exurgit Ecclesia catholica, tum in ordine individuali, quatenus humanitas globalis fit collectiva.

Fructus indaginis colligitur: Hisce praesuppositis et explicatis, tentatur iam modus reducendi dualismum in unitatem. Problema solvendum erat hoc: Duplex proponitur mo-

duo concipiendi corpus mysticum: unus per modum *unionis*; alter per modum *identitatis*. Hi duo modi suntne oppositi et irreducibiles, an possunt reduci ad harmonicam synthesim? Si primum, manet obscuritas, confusio, inchoerentia in conceptione corporis mystici: si secundum, obtinetur claritas, cohaerentia, profunditas in praefata conceptione.

Explicatio, superius proposita, ostendit possibilitatem et modum resolvendi dualismum in unitatem. Profecto transformatio primi stadii (modus identitatis) in secundum (via unionis simul et identitatis) fit via non superpositionis, sed via evolutionis internae: *idem* corpus informe et inorganicum fit formatum et organicum — *Idem* caput morale et iuridicum fit physicum et vivificum — *Idem* Spiritus capitis fit Spiritus corporis. Corpus ergo mysticum sic efformatur, ut primo exhibeat formam unitatis seu identitatis mysticae; deinceps, *retenta identitate*, acquirat et exhibeat formam unionis et distinctionis. Habitudo ergo membrorum ad Christum caput in corpore mystico est unionis simul et identitatis, seu unionis informatae identitate. Ex hoc duplici elemento, princeps seu primum in corpore Christi debet retineri unitas seu mystica identitas; ut secundarium et complementarium habetur unio. Identitas indiget unione ad evitandum panchristismum; unio indiget identitate ad obtinendam et exhibendam suam intimitatem et profunditatem. Christus ergo in corpore mystico primo absorbet membra sibi que identificat; dein absorpta membra distinguit et organice plasmat; demum membra sic plasmata et distincta (differenziata) rursus attrahit et absorbet. « Resumiendo, acaso pudiéramos decir que el proceso de la incorporación de la humanidad en Cristo, siguiendo su innata tendencia, comienza por la absorción o identificación, que luego, al destacarse la distinción individual, se combina con la unión, por cuanto el individuo, *siempre identificado en cuanto hombre*, se une de nuevo en cuanto distinto; sino preferimos decir que la misma distinción individual, así que se destaca, sea luego en cierta manera superada y como reabsorbida por la potencia avasalladora de Cristo. Así la dualidad se resolvería plenamente en la más perfecta unidad », p. 594, o. c.

Bover opinatur se invenisse basim biblicam pro sua conceptione explicanda atque firmanda in verbis Pauli Gal. 2, 19:

« Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me ». Paulus — commentatur Bover — distinguit duplicem vitam: unam propriam, quam ipse vivit (in fide vivo); en modum unionis proprium secundi stadii; alteram Christi, quam *Christus vivit in Paulo*: en modum identitatis, in quo personalitas Pauli absorbetur à personalitate Christi. Nostra ergo habitudo ad Christum in corpore mystico est unionis simul et identitatis; unde essentia corporis mystici non debet reponi in nostra tantum unione, etsi íntima, cum Christo, sed potius in nostra *identificatione mystica* cum Christo. Audiamus ipsum Auctorem: « La diferencia, por consiguiente, entre ambas vidas es de orden personal: la primera es vida de Cristo (Christus vivit in me), que ha absorbido místicamente la personalidad de Pablo; la segunda es la vida personal del mismo Apóstol (in fide vivo). Esta doble, vida o doble existencia no sólo explica la dualidad de concepciones y señala su conexión, sino que, además, la resuelve en unidad. Explica la dualidad. La existencia moralmente absorbida y en cierta manera impersonal explica perfectamente la identificación propia del primer modo de concebir el Cristo místico; como, a su vez, la existencia propia y personal explica la unión propia del segundo modo de concebir el Cuerpo Místico de Cristo. La unión propiamente dicha presupone la distinción, como la identidad la suprime.

Explica también las relaciones y propiedades características de ambas concepciones. La primera, de identificación, es evidentemente más honda; la segunda, de unión, es, a primera vista a lo menos, más extrínseca. En cambio, bajo otros aspectos, la primera es más elemental o más pobre; la segunda incomparablemente más rica no sólo por la variedad de miembros y de funciones, sino principalmente por la opulenta efusión del Espíritu Santo. En este sentido, ambas concepciones se completan recíprocamente, por cuanto, combinándose y fundiéndose en una sola, forman una concepción integral, que de la primera recibe su íntima profundidad, y de la segunda su fecundidad y plenitud », p. 592, o. c. En subtilem et ingeniosam conceptionem corporis mystici apud veteranum et benemeritum jesuitam hispanum: reliquum est ut, pro nostra tenuitate, ipsius examen et crísim instituíamus.

1° Exordium duco a quaestione *de membris corporis mystici*: Bover distinguit tres notiones seu sensus formulae Paulinae *Corpus Christi*: strictum, latum, latissimum. Corpus mysticum *sensu stricto* est Ecclesia hierarchica et catholica: eius membra sunt consequenter omnes et soli christiani catholico-romani, praepremis iusti seu caritate ornati. — Corpus mysticum *sensu lato* est integra humanitas Christo incorporata; eius membra consequenter sunt omnes prorsus omnium temporum homines. — Corpus mysticum *sensu latissimo* est integra creatio, terrena et caelestis, in Christo instaurata et recapitulata: eius membra sunt consequenter omnes homines et Angeli. — Liceat quaerere: omnes hi tres sensus corporis mystici, *suntne Paulini*? Estne aliquis textus penes Paulum, in quo corpus mysticum exhibeatur constitutum integra humanitate, vel integra creatione? Nonne pro Paulo corpus mysticum est unum corpus et unus Spiritus, unus Dominus, una fides, et unum baptisma? Nonne apostolus explicite docet quod in uno Spiritu nos omnes in unum corpus *baptizati* sumus? Existebatne pro Paulo corpus mysticum antequam iudaei baptizarentur, et dein gentiles ope baptismi fierent *concorporales* cum iudaeis? Dices fortasse: in his textibus Apostolus loquitur de corpore mystico in suo stadio *perfecto et consummato*. Sed rursus quaeritur: suntne alii textus in quibus Paulus loquatur de corpore Christi in suo stadio inchoato et quasi informi? Noster Auctor verisimiliter cogitat locum qui recurrit in Ephes. 1, 10: ubi Apostolus asserit Deum statuisse pro suo beneplacito in plenitudine temporum instaurare seu recapitulare omnia in Christo sive quae sunt in caelis, sive quae sunt in terris. — Sed aliud est omnia instaurare in Christo, eiusque dominio subiicere; aliud, omnes creaturas, terrenas et caelestes, visibilia et invisibilia, ita Christo unire et incorporare, ut ex illis Christo unitis exurgat verum quodam *corpus*, sensu Paulino intellectum. Notio Paulina *corporis* videtur implicare *organicitatem*; hinc multitudinem, varietatem anatomicam et functionalem, unitatem.

2° Bover distinguit duplicem notionem *capitis*: Christus ante suam glorificationem erat caput mere morale et iuridicum: Christus clarificatus et dator Spiritus, est caput sensu potiori et nobiliori, i. e. caput organicum et vivificum. At quaeritur: ista duplex notio capitis estne Paulina? Apostolus clare

docet (Ephes. 1, 22) Deum magna operatione Christum suscitasse a mortuis, illumque constituisse ad dexteram suam in caelestibus super omnem principatum et potestatem ... et omnia subiecisse sub pedibus eius: καὶ αὐτον, istum, inquam, quem suscitaverat ... dedisse caput Ecclesiae, quae est corpus eius. Suntne alii textus apud Paulum, in quibus Christus exhibeatur *ut caput* sive Ecclesiae, sive integrae humanitatis iam inde ab Incarnatione?

3° Bover docet Spiritum Sanctum esse *animam* corporis mystici, ita quidem ut ipse Spiritus dicatur principium vitale *quod*, caritas vero creata principium vitale *quo*. — At occurrit parva difficultas: apud philosophos principium *quod* dicitur *persona*; principium *quo* remotum dicitur *natura*; principium *quo* proximum sunt *potentiae* operativae. Spiritus Sanctus tenet locum *animae* in corpore mystico: incongruum ergo videtur eum vocare principium *quod*. Sed tota quaestio forse est de modo loquendi; quia mens Auctoris clare apparet ex toto contextu.

4° Bover ex una parte docet et premit elementum formale et quasi animum in corpore mystico esse *solidaritatem*, hancque solidaritatem radicari non in cruce, sed in ipsa Incarnatione; unde consequitur existentiam corporis mystici inchoari iam ab ipso momento Incarnationis: ex alia vero parte admittit duplex tantum stadium corporis mystici: unum constitutum consequenter ad mortem Christi; alterum inchoatum post Christum glorificatum et fidem ac baptismum ex parte fidelium. — At nonne ad mentem et doctrinam Auctoris oportet statuere *triplex* stadium corporis mystici? Etenim si huius corporis elementum formale est solidaritas, et haec habetur iam ab Incarnatione, nonne ante crucem habetur iam integra humanitas (*materia*) cum sua solidaritate (*forma*)? Quare ergo non admittitur tertium quoddam stadium ante crucem constitutum? Sic haberetur corpus mysticum, quod in suo primo stadio constituitur integra humanitate *peccatrici* Christo capiti incorporata — in secundo stadio est integra humanitas Christo incorporata et *moraliter*, non *vitaliter*, iustificata — in tertio demum et definitivo stadio est pars humanitatis Christo per baptismum incorporatae, et *vitaliter* iustificatae. Auctor verisimiliter prae suo instinctu theologico et biblico vidit inconveniens in eo quod humanitas totaliter peccatrix, et nul-

latenus iustificata, titulo et nomine corporis mystici honestetur: at inde praecise oritur nova difficultas.

5° Auctor suscepit probandam suam thesim, quae huiusmodi est: Mystici corporis existentia inchoatur non in cruce aut in baptismo, sed in ipsa iam Incarnatione Verbi. Argumentum Auctoris pro sua thesi sic habet: Solidaritas est elementum formale et facile princeps in corpore mystico: hinc, ubi habetur solidaritas, ibi adest iam corpus mysticum. Atqui secundum revelatam Pauli doctrinam nostra cum Christo capite solidaritas et unio inchoatur in ipsa Incarnatione. Ergo iam inde incipit existere corpus mysticum. « Deseamos probar que, según el Apóstol, la existencia del Cuerpo Místico y de la solidaridad, que lo forma data de la encarnación del Hijo de Dios, y en ella radica » p. 560, o. c. — Hoc argumentum maximam attentionem meretur, quippe in quo attingitur *punctum neuralgicum* totius conceptionis Boverianae de corpore mystico: nostra ergo responsio lente et gradatim procedat oportet:

a) Solidaritatem esse elementum facile princeps in consideratione et studio corporis mystici libenter et gratanter admitto: singulare meritum P. Bover est, quod hanc veritatem et clare perspexerit, et insisterenter inculcaverit. Non parvam admirationem movet, quod tot auctores, ceteroquin insignes, de corpore mystico disserentes, hoc punctum solidaritatis vel prorsus negligant, vel nonnisi leviter attingant. Principium vero doctrinale a Bover inde deductum: *ibi adesse corpus mysticum, ubi adest solidaritas*, hoc inquam principium sine distinctione, et apta explicatione admitti non potest.

b) Duplex solidaritas est accuratè distinguenda hac in re, ut suo loco explicavimus et demonstravimus: *prima* est solidaritas seu insertio Christi in nostram naturam humanam *peccatricem*, ut eius participet et gestet carnem, infirmitatem, patibilitatem, mortalitatem, maledictum, peccatum. *Altera* est nostra solidaritas seu insertio in Christum vitae divinae ac iustitiae fontem, ut eius participemus mortem, sepulturam, resurrectionem, vitam, sanctitatem, Spiritum. Prior solidaritas est Christi cum *tota* humanitate, et spectat ad ordinem *redemptionis obiectivae*; secunda solidaritas est Christi cum illis hominibus qui ei per fidem et baptismum reapse incorporantur, et pertinet ad ordinem *redemptionis subiectivae*. Ergo ex eo,

quod nostra cum Christo solidaritas inchoetur iam in Incarnatione, non inde sequitur existentia corporis mystici iam inde a momento Incarnationis; oportet accurate examinare quanam sit solidaritas propria corporis mystici: utrum prima, an secunda. Porro textus Paulini a Bover invocati in hac parte, probant quidem adesse iam ante crucem, imo ab ipsa Incarnatione, solidaritatem Christi cum tota humanitate in ordine *poenae, peccati, naturae* communis, sed minime ostendunt hanc solidaritatem esse propriam corporis mystici. Suo loco ostendimus solidaritatem propriam corporis mystici, secundum constantem Pauli doctrinam, esse non primam, sed secundam, illam videlicet quae spectat ad ordinem redemptionis *subiectivae*. Corpus Christi mysticum non est conditum ad augenda merita et satisfactiones Christi, sed ad ea applicanda suis membris. Corpus Christi pro Paulo constituitur iudaeis et gentibus, non separatis et disiectis, sed reconciliatis per sanguinem Christi, et in unum corpus in uno Spiritu *baptismo* adunatis.

c) Putamus ergo *radicem totius obscuritatis et confusionis* apud nostrum auctorem stare in defectu sufficientis attentionis ad hoc punctum, vere capitale, duplicis huius solidaritatis, et congruae distinctionis inter ordinem redemptionis obiectivae et subiectivae. Solidaritas Christi cum humanitate peccatrici est conditio praevia et fundamentalis ad aedificationem corporis mystici; sed ipsa aedificatio et existentia corporis Christi est fructus secundae solidaritatis, nostrae, inquam, insertionis in Christum caput iuridicum simul et vivificum, inchoatae in baptismo (I Cor. 12, 13) et perfectae in eucharistia (I Cor. 10, 17). Similis confusio apparet apud L. Ciappi O. P. in articulo recenter edito (Sapienza, 1952, p. 226): « Il Corpo Mistico (e la unica Persona Mistica) non sono dunque il frutto del sacrificio redentivo, consumato da Cristo sulla croce, ma ne sono il presupposto e il fondamento ». Hunc errorem, sat diffusum, opportune notatum et sapienter correctum reperies apud Galtier in opere « Les deux Adam ». Ceteroquin ipse Bover in epilogo suae dissertationis multo accuratius loquitur scribens: « Hemos procurado poner de relieve la idea que juzgamos fundamental en la concepción del Cuerpo Místico, es a saber, que la solidaridad de la naturaleza y de pecado que Cristo contrae con los hombres se inicia y

radica en la misma encarnación » p. 604, o. c. Formulam sic praesentatam plene probamus, nec uspiam reiectam vidimus.

6° Bover docet integram humanitatem fuisse *formaliter iustificatam* iustitia Christi consequenter ad sacrificium crucis, et *antecedenter* ad propriam et personalem *singulorum* iustificationem per fidem et baptismum. En verba Auctoris: « Preguntamos: ¿anteriormente a esta justificación personal o individual, que normalmente se alcanza por la fe y el bautismo, no existe otra justificación general o global, efecto inmediato y formal de la redención, en virtud de la cual la justicia de Cristo se hace justicia nuestra, es decir, la justicia de la Cabeza se comunica formalmente a la humanidad a El incorporada? » p. 582, o. c. Agitur de iustitia vera, non fictitia, nondum tamen *vitali*, sed mere *moralis*. Quaestioni sic propositae datur ab Auctore responsum affirmativum. Duplex probatio affertur: una ex S. Paulo ad Rom. 5, 19: « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per unius obedientiam iusti constituentur multi », Notat Bover formulam Paulinam « iusti *constituentur* multi » potius sonare causalitatem *formalem*, quam efficientem. *Primus* ergo et *immediatus* effectus passionis Christi nequit reponi in gratia seu iustitia sanctificante, quam Christus in cruce *meruit*; quam per fidem demum et baptismum singuli participamus, sed debet potius reponi in ipsa iustitia Christi, quae humanitati formaliter communicatur antecedenter ad propriam *singulorum* iustificationem. — Putamus hoc argumentum esse inefficax; profecto Paulus in hoc textu non agit de iustitia *mere moralis*, in qua reponitur effectus immediatus mortis Christi, sed agit de iustificatione *vitali*, quae *singulorum* quatuor propria est; patet hoc evidenter ex contextu proxime praecedenti: « sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius iustitiam in omnes homines in *iustificationem vitae* ». Atqui iustificatio *vitalis*, ipso testante Bover, non est proprius primi stadii, sed secundi, in quo agitur de iustitia propria et personali *singulorum*. Ergo ex textu allato non ostenditur primum et immediatum effectum sacrificii Christi esse quandam iustitiam mere *moralem* e Christo capite in totam humanitatem formaliter derivatam. Ceterum ipse Auctor, dum comparat inter se iustificationem *singulorum* stadiorum propriam, scribit: « la justificación propia del pri-

mer estadio no es sino *puramente ideal, radical, virtual* » p. 586, o. c. Si ergo iustificatio propria primi stadii est pure idealis et virtualis, quomodo sermo fieri potest de quadam iustificatione reali *formaliter* communicata toti humanitati?

Eadem infirmitate laborare putamus secundum argumentum desumptum a Bover ex auctoritate Bellarmini, cuius verba supra citavimus. Primo quidem in ipso textu citato a Bover, Bellarminus prosequitur sic: « Et sicut nos dicimur iustitia in illo (Christo) *non quia simus formaliter iusti iustitia ipsius, sed quia sumus membra eius* ». Bellarminus nusquam loquitur de aliqua iustitia mere morali humanitati, instar massae informis, formaliter communicata antecederet ad personalem singulorum iustificationem. Quantum distet conceptio Bellarmini a conceptione nostri Auctoris, produnt verba quibus Sanctus Doctor dissipat cavillationes protestanticas. Calvinus ex verbis Pauli ad Rom. 5, 19: « Sicut per inobedientiam unius hominis ... » argumentatur sic: « Apostolus cum dicit per obedientiam unius hominis iustos constitui multos, nihil aliud significare videtur, nisi ipsam Christi obedientiam nostram esse iustitiam ». Hisce Calvini verbis Bellarminus respondet: « iam supra diximus obedientiam Christi *causam fuisse efficientem, non formalem* nostrae iustificationis ». Vides exegesim et sententiam Bellarminianam e diametro opponi sententiae nostri Auctoris.

7° *Conceptio primi stadii* in corpore mystico qualis proponitur ab Auctore, est reapse difficilis et vix intelligibilis. Audiamus ipsum: « Podríamos decir que en el primer estadio la humanidad es incorporada a Cristo a manera de masa informe ... es la humanidad confusa o amorfa, como abstraída y despojada de toda diferencia individual, que, contaminada por el pecado antes de la redención, queda después de ella purificada o liberada del pecado; en el segundo, en cambio, es la colectividad de los individuos, que, justificados en virtud de la sangre redentora por la fe y el bautismo, son, cada uno de por sí, miembros del cuerpo místico unidos a la cabeza, que es Cristo » p. 585, o. c. Corpus ergo mysticum in hoc primo stadio constituitur tota humanitate globali Christo incorporata. Haec porro humanitas concipitur existens ad modum cuiusdam massae informis, et dicitur esse humanitas quaedam confusa, amorfa, omni differentia individuali quasi

abstracta et spoliata. At surgit quaestio vexata: haec talis humanitas existitne in rerum natura, an est fructus abstractionis mentalis? Profecto quidquid realiter existit, individuum est. Humana quidem individua possunt considerari sive seorsum singula, sive collective omnia; at tunc habetur vera quaedam et realis collectivitas humana, quae multis individuis, qua talibus, constituitur: at humanitas illa informis, confusa, amorfa, de qua loquitur noster Auctor, nondum est collectiva in hoc primo stadio: quomodo ergo possit esse realis extra mentem consistens? Consideremus ipsius attributa: Haec humanitas informis dicitur esse ipsa humanitas quae, ante redemptionem, erat contaminata peccato. Atqui humanitas quae erat peccato contaminata, et redemptione indigebat, non erat humanitas informis et omni differentia individuali destituta, sed erat humanitas collectiva, individuis, qua talibus, constituta. — Haec humanitas informis dicitur esse in Christo *iuridice* — « está en Cristo en masa y jurídicamente » —; at esse in Christo iuridice, si rem bene intelleximus, significat esse incorporatam Christo, ut capiti morali et iuridico. Atqui humanitas, cuius Christus est caput iuridicum, non est humanitas quaedam amorfa atque indigesta, sed est humanitas collectiva. — Haec humanitas informis dicitur esse subiectum cui communicatur *formaliter* ipsa Christi iustitia: sed humanitas quaedam informis quomodo possit formaliter recipere veram quamdam iustificationem, etsi tantum moralem? — Haec humanitas amorfa dicitur esse praedita vera quadam potentia physica passiva ad recipiendum influxum sive moralem Christi capitis, sive physicum Spiritus Sancti. Atqui subiectum huius talis potentiae passivae non est humanitas informis, sed est humanitas collectiva, vel potius, singula individua. Spiritus Sanctus non communicat suas gratias et sua charismata massae informi, sed singulis individuis. Bover scribit: « socialmente, la humanidad se transforma en la Yglesia, con su jerarquía, su magisterio, su sacerdocio » p. 590, o. c. Atqui subiectum capax recipiendi potestatem regalem, magisterialem et sacerdotalem, non est humanitas informis, sed sunt quaedam pauca individua concreta: Petrus, Ioannes, Iacobus ...

8° Difficultas concipiendi et intelligendi hoc primum stadium corporis mystici, manet et crescit, si consideretur modus quo fit transformatio primi stadii in secundum ad men-

tem Auctoris. Haec transformatio dicitur fieri, non via superpositionis aut superadditionis, sed via evolutionis: non adduntur nova elementa externa, sed quae aderant implicita et confusa in primo stadio, eadem fiunt explicita in secundo. « Lo que antes estaba implícito, ahora se hace explícito; lo indeterminado, universal, impersonal, se determina, se individualiza, y, en cierta manera, se personaliza; lo que parecía homogéneo, se jerarquiza. En una palabra la potencia se convierte en acto » p. 588, o. c. — Sed hic recurrit non parva difficultas: Profecto, humanitas informis atque indigesta non existit in rerum natura, sed est fructus abstractionis mentalis. Quidquid realiter existit, individuum est, determinatum est: nulla est realitas extramentalis indeterminata, universalis, impersonalis: ipsa materia prima, si quaedam sit admittenda, realiter non existit sine aliqua determinatione formali individua. Age iam: quomodo id, quod non existit realiter, potest *via evolutionis internae* determinari, individualizari, personalizari, hierarchizari? Res tota exemplo forte clarescet: cogita massam marmoream rudem, indigestam, informem, quae mira artificis ope atque industria transformatur in splendidam Christi Regis imaginem, in qua exhibetur atque refulget partium distinctio, ordo, harmonicus concentus. Habes hic specimen transformationis realis, quae fit via, non superpositionis aut superadditionis, sed externae efficientiae atque elaborationis: sed hic non fit transitus ex aliquo indeterminato, universali, abstracto in aliquid determinatum, individuum et concretum; sed fit transitus ex aliquo concreto atque individuo et extramentali, ad aliquid concretum artificiosa forma distinctum. Rem nostram propius attingemus, si loco massae marmoreae, cogitamus germen aliquod vitale, in quo (ex hypothesi) nulla sit adhuc, ne inchoata quidem, organica differentiatio, adsit tamen virtus activa ac plasmatrix, vi cuius singula organa sensim sine sensu erumpunt, crescunt, evolvuntur. Habes hic novum et aptius schema transformationis realis, quae fit via, non superpositionis, sed evolutionis internae ac vitalis. Nisi totus fallor, hoc foret specimen ad cuius normam seu imitationem noster Auctor concipit et explicat transformationem primi stadii in secundum in corpore mystico. Sed disparitas est manifesta nimis. In casu massae marmoreae et germinis vitalis fit transitus ex aliquo reali, extramentaliter consistente,

concreto atque individuo in aliquid reale sive artificiosum, sive organicum: hic reapse potentia physica subiecliva convertitur in actum: sed in casu corporis mystici, humanitas quaedam indeterminata, universalis, nondum individua nec singularis nec collectiva, ideoque nondum realiter existens, transformatur in quandam realitatem collectivam, socialem, organicam, hierarchicam, Ecclesiam catholicam. Advertas, velim, ad gravitatem huius difficultatis, quippe quae totum Auctoris artificium atque systema subvertere minitatur.

9° Nova, nec levis, difficultas exurgit, si consideretur conditio iustorum in Antiquo Testamento. Bover admittit duplex stadium in existentia et formatione corporis mystici: primum se protendit usque ad crucem, i. e. usque ad tempus peccatae redemptionis obiectivae; alterum consequitur resurrectionem Redemptoris, et inchoatur fide et baptismo fidelium. Iustificatio propria primi stadii non est physica et vitalis; Spiritus Sanctus adhuc manet reclusus in Christo capite iuxta testimonium Ioannis 7, 39: Nondum erat datus Spiritus quia Iesus nondum erat glorificatus ». E contra iustificatio propria secundi stadii est vere vitalis: Spiritus capitis fit Spiritus corporis. At nonne iusti Antiqui Testamenti erant iustificati iustificatione vere vitali? nonne Spiritus Sanctus in eorum animis inhabitabat? Ergo unum et duobus est eligendum: vel admittitur iustificationem in Antiquo Testamento fuisse mere moralem, nondum vitalem, vel, si hic sermo durior videbitur, admittatur oportet iustificationem vitalem, cum consequenti inhabitatione Spiritus Sancti, non esse monopolium secundi stadii corporis mystici, sed huius efformationem longe praecessisse.

10° *Fundamentum biblicum*, in quo innititur nova theoria, videtur esse sat labile et infirmum. Bover appellat ad textum Paulinum Gal. 2, 20: « Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me ». Inde sic argumentatur: Paulus distinguit duplicem vitam: unam propriam suam et personalem, quam ipse vivit in carne; alteram, non suam personalem, sed quam vivit in Christo, seu quam Christus vivit in Paulo. Vita prior, quam Paulus vivit in carne, nequit significare vitam naturalem, siquidem est vita quam Paulus vivit *in fide Christi*: est ergo vita super-

naturalis. Porro vita, quam Paulus vivit in Christo, exhibetur a Paulo ut quid superius ac nobilius quam vita quam ipse vivit in carne; hoc vero superius ac nobilius nihil est aliud quam hoc: quod Christus ipse vivit in Paulo. Nostra ergo habitudo ad Christum in corpore mystico, secundum Apostolum, duplex est: una per modum *unionis* in qua Paulus et quilibet christianus consideratur ut persona distincta a Christo, et cum eo unita; altera *identitatis*, in qua personalitas Pauli absorbetur a potentiori personalitate Christi. Locus ergo Pauli (Gal. 2, 20) duo ostendit: primo, duplicem conceptionem corporis mystici, i. e. per modum unionis et per modum identitatis, esse fundatam in ipsa Pauli conceptione et modo loquendi: secundo, ostendit quoque habitudinem primi modi ad secundum: videlicet, modus identitatis exhibet unionem *intimio rem et profundio rem*, dum modus unionis repraesentat unionem magis extrinsecam et minus profundam. Fatetur tamen Bover modum unionis sub alio respectu esse ditio rem et opulento rem, ratione nempe effusi Spiritus Sancti et varietatis charismaticae. « La primera, de identificación, es evidentemente más honda; la segunda, de unión, es, a primera vista al menos más extrínseca. En cambio, bajo otros aspectos, la primera (de identidad) es más elemental o más pobre, la segunda (de unión) es *incomparablemente más rica*, no sólo por la variedad de miembros y de funciones, sino principalmente por la opulenta efusión del Espíritu Santo » p. 592, o. c.

Tota haec exegesis et argumentatio videtur infirmior, quippe quae sit fundata in falso praesupposito: Bover supponit doceri hic a Paulo duas vitas supernaturales, quarum una est vita quam Paulus vivit *in carne*; altera vero sit vita quam Paulus vivit *in Christo*: supponit praeterea hanc secundam vitam (in Christo) esse, secundum Paulum, priori superio rem ac nobilio rem, quippe in qua personalitas Pauli absorbetur a Christo, dum in priori manet et subsistit persona Pauli viventis in propria carne: at tota haec suppositio videtur esse falsa. Hic non fit oppositio inter duas vitas christianas et supernaturales, quarum una sit altera perfectior, profundior. Hic statuitur oppositio inter vitam naturalem *hominis veteris*, et vitam supernaturalem hominis novi seu christiani. De priori vita, seu de homine veteri dicit Apostolus: « Ego per legem, legi mortuus sum, ut *Deo vivam*. Christo confixus sum cruci ».

Legi ergo et veteri homini mortuus, et destructo corpore peccati (Rom. 6, 6), iam non vivo ego, homo vetus; sed vivo ego, homo novus seu christianus, ideoque vivit in me Christus. Christus dicitur vivere in Paulo, et quolibet alio christiano, quia Christus est huius vitae principium, obiectum, finis et Dominus, ut alibi declaravimus. Christus imprimis est huius vitae *principium* etenim agitur de vita supernaturali, quam Paulus haurit ex sua incorporatione ad Christum, qui « est caput corporis Ecclesiae, *qui est principium* ». Coloss. 1, 18. Christus dein est huius vitae *obiectum*: ideo dicit Paulus se vivere in fide (viva) Christi filii Dei; vita Pauli christiani est Christus creditus, Christus amatus, Christus ante omnia et prae omnibus quaesitus et intentus: omnes Pauli cogitationes, affectiones, sollicitudines, praeoccupationes ... tota Pauli vita interior est Christus; hinc illud: mihi vivere, Christus est. Christus demum est vitae Pauli (et cuiuslibet christiani) finis et Dominus, quia, ipso testante Paulo, nemo nostrum *sibi* vivit, sed *ei* qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Et ad hunc praecise finem seu scopum, εἰς τοῦτο, Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum *dominetur* ». Rom. 14, 9. Praeiverat iam in hac ipsa epistula 7, 4, affirmatio: « itaque fratres mei et vos *mortificati estis legi* per corpus Christi, ut *sitis alterius*, qui ex mortuis resurrexit, ut fructicemus Deo ». Nunc fortè melius intelliges quare et quo sensu Paulus dixerit in nostro loco Gal. 2, 19: « Ego per legem, legi mortuus sum, ut *Deo vivam* ». Deo profecto vivimus *in Christo*, ut explicite asseritur a Paulo Rom. 6, 11: « Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, *viventes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro* ». Vita ergo quam Paulus vivit in carne per fidem vivam Christi, non est quaedam vitae supernaturalis forma seu gradus inferior, sed est *ipsa vita* quam Paulus vivit in Christo, qui est huius vitae principium, obiectum, finis et Dominus.

Id ipsum alio modo explicari et clarificari potest: Sicut Christus dicitur *vivere* in nobis, sic etiam dicitur *habitare* in nobis; nec multum distare videtur formula Christi *viventis* in nobis, a formula Christi *habitantis* in nobis; siquidem Christi inhabitatio in nobis evidenter est vitalis. Atqui Christus dicitur inhabitare in nobis *per fidem*: sic expresse in Ephes. 3, 17: « Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in

caritate radicati et fundati ». Ergo sicut Christus habitat in nobis per fidem vivam, sic etiam Christus dicitur vivere in nobis per fidem. Formula ergo Pauli: « in carne vivo in fide filii Dei, idem significat ac formula Pauli viventis in Christo, vel Christi viventis in Paulo. — Ulterior huius rei explicatio potest sic exhiberi: Christi inhabitatio in nobis per fidem, implicat inhabitationem ipsius per caritatem; fides de qua loquitur Paulus (Gal. 2, 20), non est fides mortua, sed evidenter est fides viva, i. e. fides informata per caritatem: hinc Apostolus Gal. 5, 6: « Nam in Christo Iesu neque circumcisio valet aliquid, neque praeputium; sed fides quae per caritatem operatur ». Porro inhabitatio Christi per caritatem, implicat inhabitationem per Spiritum Sanctum, qui est Spiritus caritatis: gratia et caritate constituimur filii Dei; sed filiatio divina habet sibi implicatam dynamicam Spiritus Sancti praesentiam: « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater ». Gal. 4, 5. Formula ergo Paulina Christi viventis in nobis per fidem, resolvitur demum in formulam Christi viventis in nobis per *Spiritum Sanctum*, qui est Spiritus Christi. Ideo praecise haec tria: fides, caritas, Spiritus Sanctus, apparent arcte connexa in textu Paulino Ephes. 3, 14-18: « Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi ... ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per *Spiritum eius* in interiorum hominum, Christum habitare per *fidem*, in cordibus vestris; in *caritate* radicati et fundati ». Simile quidpiam recurrit in epist. ad Rom. 8, 9-11: ubi exhibentur ut aequivalentes hae tres formulae: « Spiritus Dei est in vobis » — « Christus est in vobis » — « Spiritus Christi est in vobis ».

11° Sit iam ultima critica observatio: Dubitari merito potest num Auctor noster sua subtili et laboriosa indagine ad quaesitum et propositum exitum devenerit. Problema solvendum erat huiusmodi: Mysterium corporis mystici exhibetur a Paulo duplici modo: per modum *unionis* (corpus mysticum), et per modum unitatis seu *identitatis* (Christus mysticus): unde oritur problema momentosum: hi duo modi, unionis nempe et identitatis, suntne ita inter se contrarii et oppositi, ut nequeant reduci ad quandam unitatem? an e contra dualismus potest revocari seu resolvi in unicisum? Si dualis-

mus subsistit, oportet fateri conceptionem corporis mystici esse obscuram, confusam, logice incohaerentem: si obtinet et praevallet unicismus, tunc demum habebitur corporis mystici conceptio perspicua, profunda, cohaerens. En problema solvendum. Quenam est allata solutio? Audiamus Auctorem: « En conclusión: la concepción de identificación debe ser la que prepondera y sobresalga al querer explicar la íntima naturaleza del Cuerpo Místico de Cristo, *pero sin dar de mano a la segunda*, que debe ser su salvaguardia filosófica, y también, como veremos, guía práctica o ascética » p. 594-595, o. c. Dualismus ergo manet atque subsistit. Sed Auctor contendit debere *praevalere* unicismum. Quomodo debet intelligi haec praevalentia? Notemus duo puncta ab Auctore tradita: Bover perlucide explicat naturam seu indolem huius misteriosae *identitatis* fidelium cum Christo in corpore mystico. « En suma: los individuos son, a la vez, *intencionalmente* reductibles, *ontológicamente* irreductibles. De ahí la diferencia de las dos concepciones. La de identificación se basa en la *reductibilidad intencional* de los individuos, la de simple unión en su irreductibilidad ontológica » p. 593, o. c. Fatetur ergo Auctor nostram cum Christo *identitatem* in corpore mystico esse logicam seu *intentionalem*, non ontologicam et realem; ex alia parte notum est atque perspicuum nostram cum Christo *unionem* esse ontologicam et realem. Inde oritur prima difficultas: quare in conceptione corporis mystici debet praevalere id quod est logicum et intentionale prae eo, quod est ontologicum et reale? Docet praeterea Auctor formulam *identitatis* significare quandam unionem ex una parte intimiorem, profundiore; ex alia parte tenuiorem, pauperiorem: dum formula *unionis* significat unionem ex una parte magis extrinsecam, sed ex alia parte facile ditiorem, opulentiorem ratione effusi Spiritus vivificantis et profusionis charismaticae: « La primera, de identificación, es evidentemente *más honda*, la segunda, de unión, es, a primera vista al menos, *más extrínseca*. En cambio, bajo otros aspectos, la primera es más elemental o *más pobre*, la segunda es *incomparablemente más rica* non sólo por la variedad de miembros y funciones, sino principalmente por la opulencia del Espíritu Santo » p. 592, o. c. Hinc oritur secunda difficultas: Quomodo concipi potest, quod unio quaedam, quae agnoscitur tenuior, debilior, pauperior, sit nihilominus

intimior, profundior prae alia unione quae est incomparabiliter ditior et opulentior. Estne magis profunde et intime unitus cum Christo, ille qui caret Spiritu vivificante, quam ille qui fruitor opulenta effusione Sancti? Quenam intimior atque profundior unio cum Christo possit concipi, quam illa quae fit mediante communionem Spiritus Sancti? Qui adhaeret Domino, unus Spiritus est. Et quomodo id quod est *intentionale* possit *realiter* esse quid profundius, prae eo, quod est ontologicum et reale?

Liceat proponere dubium, quod sponte in mente exoritur. Problema suscitatum a Bover de dualismo ad unicisimum reducendo in conceptione corporis mystici, est verum et reale problema, an forte agitur de quodam *pseudoproblemate*? Bover distinguit inter corpus mysticum et Christum mysticum: corpus mysticum constituitur christianis Christo *unitis*; Christus mysticus constituitur christianis cum Christo *identificatis*. Primo quidem intuitu videri possit formulam *Christi mystici* prae se ferre profundiore quam nobilioremque conceptionem corporis mystici; nonne perfectius est, nonne nobilior ac praevalentius est esse identificatum cum Christo, esse absortum a Christo, quam esse simpliciter unitum cum Christo? Sed oportet rem propius secundo intuitu considerare. Si agnoscitur praefatam identificationem non esse realem et ontologicam, sed pure intentionalem; estne *realiter* profundius atque nobilior esse identificatum cum Christo, quam esse realiter ac vitaliter unitum cum Christo? Ad haec; si in tota hac quaestione agitur de reducendo dualismo ad quandam unitatem seu identitatem *intentionalem*, estne necessarius totus ille difficilis et complicatissimus apparatus duplicis stadii in quo humanitas, Christo incorporata, reducitur ad satum massae rudis, informis, confusae, omni nota individuali spoliatae? Ut quid perditio haec?

Hisce nostris observationibus finem imponimus anxium quemdam timorem exprimentes: Nonnullae obiectiones, a nobis motae, sunt adeo obviae et planae, ut difficulter persuadear eas non fuisse ab experto et egregio critico praevistas: hinc oritur dubium, num veram ac plenam Auctoris mentem in omnibus sim recte assecutus; et consequenter num omnes nostrae observationes criticae sint ad rem. Caeteroquin licet quo-

que dubitare num Auctor ipse in hac, quam exposuimus et examinavimus, mystici corporis conceptione, firmus semper atque immotus perseverarit. Rationem dubitandi suggerunt quae Bover scripsit a. 1949 in ephemeride jesuitica matritensi « Estudios Eclesiásticos », p. 455 in nota, occasione libri Doctoris *Cerfaux* « *La théologie de l'Église suivant saint Paul* ». En verba Auctoris:

« Hay que admitir la constitución orgánica del cuerpo místico de Cristo. Pero admitir esta organización, no es negar la mística identificación. Una y otra se fundan igualmente en la doctrina de San Pablo y en la Tradición de los Santos Padres. Pero si ambas son igualmente admisibles, no es ya tan fácil armonizarlas y reducirlas a unidad. Esta dificultad de conciliar ambas concepciones afrontamos en nuestro estudio de 1942, y tratamos de resolverla. *Después acá se nos ha ofrecido una nueva solución más sencilla y mejor basada en la naturaleza de las cosas y en los testimonios bíblicos y patristicos* ». Subiungitur breve summarium novae conceptionis, in qua constitutio ac natura corporis mystici explicatur ad imaginem et similitudinem compositi theandrici, et mystica identificatio, propria corporis mystici, concipitur ut quaedam extensio iuridico-moralis personalitatis Verbi. Gratissimum nobis esset, si R. Pater hanc novam conceptionem fusius atque distinctius quantocius exponeret.

Nota: Propositum Auctoris erat alia quoque scripta, novasque corporis mystici conceptiones a criticis recenter propositas examinare. Sed ex una parte tempus excurrit celerius, ex alia vero moles libri crescit immoderatus: hinc non sine dolore constringor praefatum examen ad novam, si cui locus erit, operis editionem amandare.

INDEX

THESIUM SERIES

	PAG.
Praefatio	III-VII
Introductio in partem priorem apologeticam	1
Thesis I. — Regnum Dei, quod Christus annuntiavit, non est mere eschatologicum, sed evolvitur partim super terram perficiendum in caelis	2
Scholion Dogmaticum	30
Notae bibliographicae	30
Thesis II. — Regnum Dei a Christo annuntiatum non est mere internum, sed evolvitur interne quidem seu in animis hominum, at simul externe et socialiter	32
Scholion Dogmaticum	41
Notae bibliographicae	41
Thesis III. — Evangelium Regni expressa Christi voluntate destinabatur pro omnibus sine distinctione Iudaei et Graeci. Huic autem Christi intentioni nullatenus contradixit prima discipulorum praxis solis Iudaeis verbum Dei loquentium	43
Notae bibliographicae	66
Thesis IV. — Regnum Dei, quod Christus annuntiavit, est veri nominis societas, quam Christus ipse immediate et voluntarie instituit Ecclesiam suam	68
Scholion I. — De voce « Ecclesia » ad Christum referenda	81
Scholion II. — De habitudine Ecclesiae ad Regnum Dei	84
Scholion III. — Dogmaticum	84
Notae bibliographicae	85
Thesis V. — Christus Ecclesiam suam instituit duplici missione: una iuridica qua socialem novae Evae compaginem coagmentavit; altera pneumatica, qua plasmato	

	PAG.
iam corpori sociali animum vitae principium inseruit. Utraque haec missio Ecclesiae essentialis est, nec fuit expleta ante resurrectionem Salvatoris	86
Thesis VI. — Ecclesia ex ipsa Christi institutione est socie- tas visibilis et perpetua	142
Scholion I. — De infallibilitate Ecclesiae	167
Scholion II. — De portis inferi	168
Scholion III. — Dogmaticum	171
Notae bibliographicae	172
Thesis VII. — Christus Ecclesiam suam hierarchice consti- tuit instituendo sacrum imperium in Collegio Apostolo- rum. Divinae huic institutioni apprime respondet prima ecclesiarum historica constitutio; quae nusquam apparet democratica aut charismatica, sed ab initio hierarchica	173
Scholion I. — Ordo hierarchicus et charismaticus in ec- clesia primitiva.	193
Scholion II. — De Collegio duodecim .	199
Scholion III. — De institutione Apostolatus	201
Scholion IV. — De apostolatu Pauli	202
Scholion V. — De hierarchiae perpetuitate	203
Scholion VI. — Dogmaticum	203
Notae bibliographicae	204
Thesis VIII. — Hoc sacrum imperium Christus ita disposuit, ut primatum verae propriaeque iurisdictionis in univer- sam Ecclesiam uni B. Petro directe et immediate promi- serit et contulerit	205
Scholion Dogmaticum	256
Notae bibliographicae	256
Thesis IX. — E Christi ipsius institutione Petrus habebit suc- cessores ad finem usque saeculorum .	258
Corollarium	270
Scholion Dogmaticum	271
Thesis X. — Romanus Pontifex est iure divino successor Pe- tri in primatu iurisdictionis super universam Ecclesiam	271
Corollarium	384
Scholion I. — De connexione primatus cum sede romana	385
Scholion II. — De natura et amplitudine primatus	387
Notae bibliographicae	392

	PAG.
Thesis XI. — Vera Christi Ecclesia est fide, regimine, communione una; morali ac simultanea universalitate catholica	394
Scholion I. — De ulteriori quadam catholicitatis determinatione	420
Scholion II. — Dogmaticum	422
Notae bibliographicae	423
Thesis XII. — Vera Christi Ecclesia est successione etiam formali apostolica; active et passive sancta .	424
Scholion Dogmaticum	445
Notae bibliographicae	445
Thesis XIII. — Quatuor his proprietatibus sola inter hodiernos Christianorum coetus fulget Ecclesia Romana. Unde iterum evincitur eam esse veram et legitimam Christi Ecclesiam	466
Scholion I. — Quaestio speculativa de Notis Ecclesiae	471
Scholion II. — De catholicitate qualitativa secundum A. de Poulpique	477
Scholion III. — De via notarum in recenti quodam opere	481
Scholion IV. — De via empirica seu transcendentiae	488
Scholion V. — De novo tentamine demonstrationis catholicae	491
Conclusio partis prioris apologeticae	506

PARS ALTERA APOLOGETICO-DOGMATICA

Thesis XIV. — Episcopi sunt Apostolorum successores, atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis	7
Scholion I. — De testimonio Clementis R. inquisitio ulterior	46
Scholion II. — De presbyteris-episcopis in Concilio Tridentino	55
Scholion III. — De problemate Hieronymiano	71
Thesis XV. — Episcopi ut polleant iurisdictione in suum gregem egent cooptatione R. Pontificis, a quo, et non a Christo illam immediate recipiunt	94

	PAG.
Thesis XVI. — Christo auctore competit Ecclesiae magisterium authenticum, infallibile, perpetuo duraturum	119
Scholion. — De habitudine potestatis magisterialis ad potestatem iurisdictionis	151
Thesis XVII. — Inest illa magisterii potestas iure divino solis episcopis: quorum consentiens doctrina cum R. Pontifice docentium est infallibilis, sive doceant in concilio congregati, sive per orbem dispersi	171
Scholion historicum. — De serie conciliorum oecumenicorum	191
Thesis XVIII. — Eadem infallibilitate pollet R. Pontifex ex cathedra loquens; quapropter eius definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae sunt irreformabiles	193
Thesis XIX. — Infallibilitas magisterii ecclesiastici protenditur ad omnem doctrinam de fide et moribus sive formaliter sive virtualiter revelatam, necnon ad facta dogmatica	223
Scholion. — De canonizatione Ioannis Nepomuceni	249
Scholion II. — De notis et censuris theologicis	258
Thesis XX. — Revelatio continetur non solum in Scriptura, verum etiam sine scripto Traditionibus	263
Scholion I. — De habitudine Traditionis ad Scripturam	273
Scholion II. — De habitudine Traditionis ad Magisterium ecclesiasticum	275
Thesis XXI. — Unanimis sive Patrum sive Theologorum in rebus fidei et morum consensus certum suppeditat divinae revelationis criterium	283
Thesis XXII. — Ecclesia pro fine habet, si comparetur ad Christum, opus redemptionis perenne reddere; si comparetur ad homines, ut hi per exercitium religionis christianae sanctificentur et salutem aeternam consequantur	298
Scholion I. — Gloria Christi et Dei ultimus finis Ecclesiae	305
Scholion II. — De Ecclesia societate « supernaturali »	306
Scholion III. — De Ecclesia societate « perfecta »	307
Thesis XXIII. — Ex institutione Christi Ecclesia est medium ad singulorum salutem necessarium	307
Scholion I. — Recens decretum S. Officii	319
Scholion II. — Extra Ecclesiam non datur salus	323

TRACTATUS DOGMATICUS DE ECCLESIA
CORPORE CHRISTI MYSTICO

	PAG.
Introductio .	331
Caput primum. — De membris Corporis Mystici	342
Scholion I. — De novitate formulae in E. Mystici Corporis	379
Scholion II. — De quodam loco difficili in Enc. M. C.	381
Scholion III. — De unicitate sensus révelati Corporis M.	383
Scholion IV. — De conditione membri controversa	389
Scholion V. — De nonnullis obiectionibus	393
Caput secundum. — De Christi clarificatione eiusque momento soteriologico	399
Caput tertium. — De Christo clarificato capite Corporis Mystici	424
Caput quartum. — De Christo clarificato datore Spiritus in Corpore Mystico	455
Caput quintum. — De anima Corporis Mystici	489
Caput sextum. — De nostra cum Christo solidaritate in Corpore Mystico	534
Caput septimum. — Theologia recentior Corporis Mystici	554

INDEX NOMINUM

- Abilius vol. II 36
Adam C. vol. I 343
Agatho vol. I 370
Aggripinus II 36
Albertus M. I 132 II 185
Alexander II 35
Alexander IV II 173
Alliacensis II 173
Allo E. B. II 480
Alonso B. II 432
Ambrosiaster II 44 402
Ambrosius I 99 107 239 348
 II 110 214
Anacletus II 35
Anianus II 36
Anger II 152
Anicetus II 36
Antoninus II 35
Aphraates I 245
Archipus II 30
Anselmus I 18
Arnould II 236
Artemas II 30
Athanasius II 505
Augustinus I 18 63 107 349 240 416
 II 130 213 315 512

Bañez I 386
Barradas I 13
Basilius I 17 243 II 506
Bataglia I 204
Batiffol C. I 214 310 345 II 23
Beda I 13 II 516
Beniamin II 35
Beraza I 13
Bisping I 17
Blondel II 73
Bonifatius I. I 353 II 206
Bover II 32 57 403 427 441 576

Brière (de la) I 13 25
Bousset I 1
Bruders I 204 257 II 48
Brüll II 48
Buddaeus II 73
Bulgakov I 436

Caelestinus I 357 II 206
Caerularius I 453
Caius Cor. II 30
Caius D. II 30
Callixtus II II 36
Calmet I 17
Calvin I 147 178 II 73
Canus M. 386
Capito II 35
Cardale II 11
Cartusianus I 16 II 516
Caspar I 273
Cavalla I 32 59
Cauwelaert I 282
Celadion II 36
Cerdor II 36
Ceriani II 26
Cerfaux II 340 450
Chapman I 290 310
Charles P. I 277
Ceulemans I 25
Ciappi II 540
Clemens Al. I 406
Clemens R. I 279 II 12 22 46 127
Clemens VI II 207
Clemens XI II 236
Congar I 66 II 340
Cornelius a L. I 14 II 803
Cornely II 470
Chrysologus I 356 360 II 214
Chrysopolitanus I 18
Chrysostomus I 13 18 106 204
 II 32 18

- Crosta I 118
Crescens II 30
Cullen II 200
Cushing II 319
Cyprianus I 110 313 406 432 238
 II 15 25 43 118 213 315
Cyrillus Hier. I 416 II 567
- Dalmatius II 13
De Groot I 117 II 151
Deissman II 8
Dechamps II 200
Demas II 30
Demetrius II 36
Deneffe II 275
De San I 104
Didymus Alex. I 343
Dieckmann I 21 25 29 117 II 3 279
Dionysius Alex. I 343
Diolichianus II 36
Doellinger II 48
Dorsch II 151
Drozdo I 411
Duchesne I 290 311 345
Dupanloup II 200
Durand II 115
- Egger I 117
Eleuterius II 36
Elias I 246
Epaphras II 30
Epaphroditus II 30
Ephrem I 13 18 245 II 35
Eras II 36
Espièrres (d') I 446
Epiphanius II 32 214
Estius II 71
Eumenes II 36
Euringer I 257
Eusebius C. I 18 361 II 174
Eutiches I 360
Eutimius Z. I 18
Evaristus II 35
Evodius II 36
- Favara II 310 325
Felder I 17 II 151
Febronius I 386
Feenley II 310 324
- Filemon II 30
Fillion I 17 25
Filograssi I 120
Firmillianus II 16
Flavianus I 360 362
Foeckes II 5
Fouard I 52 53
Forget II 73
Franzelin II 32 56 152 334
Frasen II 73
Frey I 42
Freppel II 48
Fulgentius II 315
Funk II 48
- Galtier II 540
Gasser II 200
Gelasius I I 354
Gerson II 113
Godet II 402
Gorski I 436
Goupil I 122
Grandmaison I 25
Gratianus I 351
Gregorius I II 17
Gregorius M. I 243 II 515
Gregorius Naz. I 18 243
Gregorius Nys. I 244 II 508
Grissar I 204
Grivec I 126 II 27 124
Guibert (De) I 115 II 152
Guillelmus (a S. A.) II 173
Gubernina I 257
- Habert II 173
Hadrianus I 373
Haller I 274
Harnack I 34 44 62 201 289 311
Hatch II 19
Hagemann I 299
Hegesippus II 14 128
Heiler I 275
d'Herbigny II 48 52
Herma P. I 405 II 128
Hertling II 52 73
Hefele II 48 200
Hieronymus I 13 18 348 407 240
Hilarius I 14 239 407 II 214
Hofmann I 25

- Holtzmann I 44
Holtzmeister II 32 59
Homerus II 8
Hormisdas I 368 II 206
Huarte II 151
Hurter I 116 421
Hyginus II 36

Ignatius Const. I 372
Ignatius A. I 287 431 II 13 14 36
42 128 314
Irenaeus I 295 405 431 II 14 42
128 212 314
Innocentius I I 352 II 110 205
Innocentius II II 110
Innocentius III II 111
Ioannes II 30 36
Ioannes Const. I 371
Ioannes XIII II 111
Ioannes Hier. II 215
Irving II 11
Ioseph II 35
Iudas II 35
Iulianus II 36
Iulius I I 346
Iulius II 205
Iugie I 491
Iurieu I 398
Iustus II 35

Kattenbusch I 217
Ketteler II 200
Khomiakov I 413
Kidd I 214
Knabenbauer I 13 17 20 21 25 28
II 32
Kneller I 256
Koch I 314
Koester II 4

Labanca I 204
Lactantius II 315
van Laak II 73
Lagrange M. I. I 13 17 25 161
II 470
Layneze II 70 106
Lebreton I 53
Lemonnyer I 13
Leo M. I 18 242 353 362
II 16 110 206

Leo XIII I 93
II 18 28 144 485
Lercher I 14 114 II 338
Lesel I 257
Lesquoy II 48 52
Levkkim I 411
Lighfoot I 289
Liberius III 221
Linus II 35
Linton I 260
Lippert II 5
Lirinensis V. I 356 II 130
Loisy I 5 222
Loofs II 20
Lotaringius II 61
Luther I 177 II 122 294
Lucas II 30

Maldonatus I 14 20
Mamachus II 32 73
Mangenot I 13
Marcellus I 350
Marcianus I 363
Marcus II 30 35 36
Marschal II 32
Martin V. I 387
Manning II 200
Marsilius P. I 176
Mathias II 35
Maximus I 3 110 II 35 36 215
Mazzela II 154
Mediebelle I 67 205
Meinertz I 66
Mendive I 119 421
Melanchton I 145 II 294
Medina II 73
Mesoloras I 411
Methodius II 173
Michiels II 32
Mitterer II 373
Monnier I 201
Morel II 29
Moreton I 275
Muncunill I 118
Murillo I 119
Murray I 421

Narcisus II 35
Nepomucenus II 249

- Nicolaus I 373
 van Noort I 14 113
 Nothom II 374
 Nuytz I 386
- Optatus M. I 239 350 407 416
 II 110 213
 Origenes II 130 503 315
 Osma P. II 197
 Ottaviani II 112
 Ottiger I 121
- Pacianus I 416 II 116
 Palmieri I 121 II 489
 Palace I 120
 Papadopulos I 274
 Patrizi II 56
 Penido L. I 89
 Pearson I 289
 Pelagius I I 432
 Pelagius II I 433
 Perler I 294
 Perrone II 73
 Petavius II 32
 Pesch T 114
 Philaretus I 436
 Philips II 12 325
 Photius I 453
 Pius II II 36 111
 Pius IV II 111 27
 Pius IX II 23 314
 Pius X I 94 194 II 18
 Pius XI II 354
 Pius XII I 94 100
 II 112 144 488 518
 Piovano I 204
 Poschmann I 321
 Poulpique I 477
 Prat I 197 25 II 479
 Primus II 36
 Proclus I 18
 Prosper A. II 183 214
 Publius II 35
- Quarella II 199
- Radabertus I 13 18
 Rauscher II 198
 Richer II 173
 Rivière I 508
- Robertus D. I 13
 Rosadini I 13 21 23 54 139
 Rosanensis II 70
 Ruffini II 32 58 73
- Sabatier I 41 70
 Salaverri II 152 280 298
 Savio I 298
 Samosatenus P. I 344
 Sauras II 493 554
 Schenz I 14
 Schepens I 168
 Segarra I 14 251
 Seitz I 13
 Seneca II 35
 Serapion II 36
 Sergius II 215
 Seeberg I 148 204
 Seufert I 199
 Schlagenhauften II 151
 Schneider II 480
 Schultes I 174 II 151
 Schürer II 20
 Schmidt I 260
 Seneca II 35
 Schweitzer A. I 5
 Silas II 30
 Simeon II 32
 Siricius I 346
 Sozomenus I 351
 Sohm I 42 II 20
 Soter II 36
 Soto I 386
 Sostenes II 30
 Sopater II 30
 Sozomenus II 351
 Spikowski I 310
 Stœlcius I 293
 Strabon V. II 478
 Straub I 121
 Stolz II 337 152
 Strohl I 294
 Strossmaier II 200
 Strotmann II 393
 Studita Th. I 18 373 II 216
 Sundkler I 45
 Suarez II 112
- Tarasius I 372

- (de la) Taille I 121
Telesphorus II 35
Tertullianus I 110 238 311 331
11 15
Theodoretus I 18 361
Theophilactus I 18 II 32
Thibaut I 25
Thils I 481
Thichicus II 30
Timotheus II 30
Titus II 30
Thomas A. I 13 II 32
Tobias II 35
Tondelli I 66
Trofimius II 30
Tromp I 25 126
Turmel I 274

Vaganay I 257
Valens II 35
Valentia I 386

Valois I 204
Verhelts II 323
Victor I 308 II 205
Vosté II 403

Wrede I 51
Wernz II 155
Weiss J. I 5 24 199 II 10
Weingartens I 293
Wickenhauser I 52
Wilmers I 114 II 151 490

Xistus II 35
Xistus III I 359

Zachaeus II 35
Zephyrinus II 36
Zinelli II 65
Zorell I 21
Zosimus I 352 II 205
Zubizarreta I 120

INDEX RERUM

- Anglicanismus** — Formula fidei anglicanae — Theologia anglicana — Ecclesiologia anglicana — Anglicanismi forma triplex I 448 449.
- Anima Corporis Mystici** nequit constitui ullo dono creato. Vide Corpus Christi.
- Articuli fundamentales** ad mentem Jurieu I 398.
- Apostolicitatis notio**, divisio I 424 425 — Apostolicitas Ecclesiae proprietatis I 429 sq. — Apostolicitas Ecclesiae nota I 464 476.
- Apostolatus** vera notio implicat *missionem* divinam immediatam — *Munus* Christi continuandum — *potestatem* hierarchicam triplicem — *charismata* multiformia I 198.
- Assistentia** divina quid — Qualiter differat ab inspiratione et revelatione II 133 134.
- Authentia** litteraria et historica Mt. 16, 18-19 et Io, 21, 15-17 I 208 sq. 226.
- Baptismi** necessitas ad induendam rationem membri in Corpore M. II 349 350 352 353 355 — Baptismi efficacia salutifera pendet tum a morte, tum a resurrectione Christi II 411 422 — Baptismo incorporamur Christo eiusque Corpori Mystico II 355 411.
- Beatificatio** differt a canonizatione II 245.
- Canonizatio** Sanctorum quid sit II 244 245 — Pertinet ad obiectum secundarium infallibilitatis pontificiae II 247 sq. — Canonizatio Ioannis Nepomuceni II 249 sq.
- Capitalitas** Christi in Corpore Mystico — Notio *Paulina* capitalitatis praeprimis quaerenda — Subiectum capitalitatis — Titulus proximus capitalitatis — Dissidia Doctorum — Radix dissidiorum — Habitudo Christi clarificati ad Christum caput — Influxus capitalis — Textus Paulini de Christo capite II 424 sq.
- Clarificatio** Christi eiusque momentum soteriologicum II 399 sq.
- Consummatio** seu *teleiosis* Christi — Christus consummatur per passionem — Christus consummatus est causa nostrae salutis — Christus consummatus est Christus clarificatus seu coelestis II 413 414.
- Catholicitas** Ecclesiae — Notio et divisio — Catholicitas est Ecclesiae proprietatis — Catholicitas Ecclesiae est iuris (qualitativa) et facti (quantitativa), progressiva, successiva pariter et simul-

tanea, perpetua — Catholicitas est nota Ecclesiae I 408 sq. — Catholicitas secundum A. de Poulpiquet I 477.

Concilium oecumenicum quid sit. Eius convocatio, praesidentia, confirmatio — **Conditiones** infallibilitatis — **Ambitus** infallibilitatis conciliaris — **Infallibilitas** conciliaris demonstratur — **Series** historica conciliorum oecumenicorum II 175 sq.

Cooptatio pontificia absolute necessaria ad validum et licitum exercitium iurisdictionis episcopalis II 95 sq.

Corpus Christi (Mysticum). **Synthesis** doctrinalis exhibetur per capita continenter septem in quibus hoc ordine disseritur: I. De membris Corporis Mystici II 342 sq. — II. De Christi clarificatione eiusque momento soteriologico II 399 sq. — III. De Christo clarificato capite Corporis M. II 424 sq. Vide Capitalitas. IV. De Christo clarificato datore Spiritus in Corpore M. II 455 sq. V. De anima Corporis Mystici II 489 sq. VI. De nostra cum Christo solidaritate in Corpore M. II 534 sq. VII. Theologia recentior Corporis M. 554 sq.

Christus Ecclesiae institutor I 68 sq. — Ecclesiae caput II 424 sq. — Donator Spiritus in Corpore M. II 455 sq. — Secundus Adam factus in spiritum vivificantem II 412.

Definitio ex cathedra ad mentem Concilii Vaticani II 194.

Depositum sacrum fidei obiectum primum infallibilitatis ecclesasticae II 223 sq.

Doctrina Cypriani de primatu Petri et Romani Pontificis I 313 sq.

Doctores Ecclesiae quinam dicantur — **Discrimen** ipsorum sive a SS. Patribus sive ab Scriptoribus ecclesiasticis — **Series** Doctorum Ecclesiae II 287 288.

Ecclesia. Vocis significatio — **Vox** Ecclesia ad ipsum Christum referenda — **Triplex** sensus vocis I 81 sq. — **Habitudo** Ecclesiae ad Regnum Dei I 84 — **Ecclesiae** institutio per Christum I 73 sq. — **Quo** sensu dicatur consummata in Cruce I 95 — **Christus** instituit Ecclesiam duplici missione: una iuridica, altera pneumatice I 86 — **Haec** utraque missio est essentialis Ecclesiae, nec fuit expleta ante resurrectionem Salvatoris I 86 sq. — **Ecclesiae** constitutio non est democratica, nec pure charismatica, sed hierarchica et monarchica. Vide Hierarchia et Primatus: — **Ecclesia** Christi identificatur cum Corpore Mystico II 359 sq.

Episcopi notio etymologica et realis — **Episcopi** successores Apostolorum — **Episcopatus** institutio divina — **Episcopatus** monarchicus — **Episcopi** habitudo ad presbyterum in documentis primaevis — **Episcopi-presbyteri** in Concilio Tridentino II 7 sq. Iu-

- risdictio episcopalis e plenitudine pontificia immediate descendens II 105 sq.
- Eschatologismus** exponitur et refutatur I 2 sq.
- Excommunicati** vitandi non sunt membra realia Corporis Mystici II 392.
- Extra Ecclesiam** non datur salus. Verus sensus formulae explicatur II 323 sq.
- Facta dogmatica sensu lato et stricto talia** — Erroris Iansenistici historia et iterata condemnatio — Quaestio iuris et quaestio facti — Infallibilitas magisterii ecclesiastici in factis dogmaticis demonstratur cum ex ipsa Ecclesiae doctrina et praxi, tum ex multiplici ratione theologica — Quaestionis Iansenisticae tria puncta neuralgica II 234 sq.
- Finis Ecclesiae** est opus Christi reddere perenne, hominumque animas sanctificare II 298 sq.
- Fidei necessitas ad rationem membri in Corpore M.** II 389 sq.
- Fundamenta Ecclesiae** dici possunt Apostoli, non tamen petra I 247.
- Gentilium cum Iudaeis** concorporatio est arcanum mysterium aliis generationibus non agnitum, nunc demum revelatum sanctis Apostolis et Prophetis I 59 60.
- Genus litterarium Scripturae** est obiectum infallibilitatis ecclesiasticae II 228.
- Gloria Christi** continetur intra finem Ecclesiae II 305 306.
- Haeretici sive publici sive occulti** non sunt membra realia Corporis Mystici II 389 sq.
- Hierarchia triplex** in Ecclesia: sacerdotalis, magisterialis, regalis — Divina ipsius institutio — Ordo hierarchicus et charismaticus in Ecclesia primitiva — Mere charismatici erant subiecti Apostolis — Radices erroris contrarii I 173 sq.
- Infallibilitas** est vera Ecclesiae proprietas. Vide Magisterium.
- Indefectibilitas Ecclesiae** implicat veram ipsius perennitatem, immortalitatem, immutabilitatem substantialem — Infert quoque ipsam infallibilitatem — Estque vera Ecclesiae proprietas I 156 sq.
- Indifferentismus religiosus** — Triplex indifferentistarum gradus — Condemnatus a Pio IX II 310 314.
- Institutio Ecclesiae** quid secum ferat — Plenior institutionis Ecclesiae notio I 69 87 88.
- Interpretatio authentica Scripturarum** pertinet ad magisterium ecclesiasticum II 122 266.

Jugie proponit modum reformandi *viam notarum* — Eius argumenta crisi subiciuntur I 491 sq.

Lex successionis primatialis ab ipso Christo instituta I 272 258 sq.

Leonis XIII doctrina de Christo clarificato datore Spiritus in Corpore mystico in Encyclica « Divinum illud » II 485 sq. — Eadem doctrina proponitur a Pio XII in Encyclica « Mediator Dei » II 488.

Magisterium ecclesiasticum. Divina institutio magisterii authentici, infallibilis, perpetuo duraturi — Magisterii ecclesiastici characteres et functiones II 129 sq. — Habitus potestatis magisterialis ad potestatem iurisdictionis II 151 sq. — Subiectum seu organon magisterii ecclesiastici duplex inadequate distinctum: a) Romanus Pontifex ex cathedra loquens; b) Collegium episcopale in suo magisterio sive extraordinario et conciliari, sive ordinario et disperso II 171 sq. — Discrimen inter magisterium ordinarium et extraordinarium undenam petendum II 186 sq. — Obiectum primum magisterii ecclesiastici II 223 sq. — Obiectum secundarium magisterii ecclesiastici II 229 sq.

Membra Corporis Mystici. Vide Corpus Christi.

Methodus ecclesiologica I VI.

Miraculum Ecclesiae seu *via empirica* I 488 sq.

Necessitas Ecclesiae ad salutem aeternam. Duplex necessitas: praeepti, et medii in re vel in voto — Demonstratio ex verbo Dei scripto et tradito, necnon ex ratione theologica II 307 sq. — Recens Decretum S. Officii in quo condemnatur sacerdos Feenley, et explicatur sensus formulae dogmaticae « Extra Ecclesiam non datur salus » II 319 sq.

Nota Ecclesiae quid sit — Eius discrimen a proprietate — Nota positiva et negativa — Vis probativa notarum undenam petenda? — Usus notarum in Apologetica christiana — Quaternarius numerus notarum non nimia rigiditate premeendus — Quatuor Ecclesiae classicae notae sunt positivae sive seorsum singulae, sive complexivae omnes — Recentes obiectiones contra *viam notarum* I 471 sq.

Notae et censurae theologicae II 258 259.

Obiter dicta non sunt obiectum magisterii infallibilis II 181.

Oriens christianus separatus: Schismatis orientalis prima germina et evolutio — Conspectus doctrinalis Orientalium — Libri symbolici — Theologia Orientalis — Ecclesiologia Orientalis I 453 sq.

Ordinum religiosorum approbatio pontificia pertinet ad obiectum secundarium infallibilitatis papalis II 254 sq.

Parabolae Christi de Regno Dei I 7 sq.

- Parusia.** Eius proximitas nusquam fuit a Christo praedicta I 11 sq.
- Paschalis** controversia egregie collustrat potentio rem Ecclesiae Romanae principalitatem ab Irenaeo praedicatam I 308 sq.
- Patres Ecclesiae.** Notio Patris — Quatuor conditiones requisitae ad dignitatem patristicam — Duplex Patrum functio — Qualiter aestimanda ipsorum auctoritas II 283 sq.
- Paulus** non fuit quidem stricte membrum collegii apostolici, recepit tamen eundem apostolatam ac duodecim I 202.
- Portae inferi** quid significant? I 168 sq.
- Potestas Ecclesiae** estne bipartita dicenda, an tripartita? II 151 sq.
- Potentior Ecclesiae Romanae** principalitas penes Irenaeum quid sibi vult? I 300 sq.
- Primatus Petro** a Christo promissus ante mortem, collatus post resurrectionem I 205 sq. — Primatus Petrini ulterior illustratio I 235 sq. — Primatus perpetuitas I 258 sq. — Primatus Romani Pontificis I 271 sq. — Primatus connexio cum sede episcopali romana I 385 sq. — Natura et amplitudo primatus ad mentem et doctrinam Concilii Vaticani I 387 sq.
- Regnum Dei** a Christo praedicatum non est pure eschatologicum, vel pure internum I 2 sq. — Destinabatur vero non tantum ad Iudaeos, sed ad omnes sine discrimine gentes I 43 sq.
- Resurrexit Christus** propter nostram iustificationem II 402 sq. — Duplex momentum est distinguendum in resurrectione Christi: unum apologeticum, alterum soteriologicum II 401 sq.
- Salaverri** impugnat bipartitam potestatis ecclesiasticae divisionem. Eius argumenta crisi subiiciuntur II 155 sq.
- Segarra** satagit illustrare sententias eschatologicas longa et accurata Patrum indagine I 14 32.
- Sanctitas** est verae Ecclesiae proprietas I 433 sq. et splendida nota I 477.
- Schisma Occidentale** non meretur nomen schismatis; nec destruxit veram Ecclesiae unitatem I 468 sq.
- Schismatici** non sunt vera et realia Mystici Corporis membra II 391 sq.
- Silentio** obsequioso non fit satis doctrinalibus Ecclesiae decretis II 236 sq.
- Successio apostolica** debet esse non pure materialis, sed etiam formalis seu legitima — Legitimae successionis criteria recensentur I 425. Vide Apostolicitas.
- Sede vacante** non mutatur monaschica Ecclesia constitutio I 259.

Sermo eschatologicus diversas quidem interpretationes nactus est, at minime favet placitis modernistarum I 24 sq.

Theologi — Scholae theologicae — Qualiter aestimanda auctoritas Theologorum in rebus fidei et morum II 293 sq.

Thils movet dubia et difficultates contra *viam notarum* — Eius argumenta crisi subiiciuntur I 481 sq.

Thomae Aquinatis conceptio et doctrina de Corpore Mystico recenter impugnatur a Doctore Mitterer II 393 sq.

Traditio. Notio explicatur — Traditionum divinarum existentia demonstratur — Organa et Documenta traditionis recensentur II 263 sq. — Habitudo Traditionis ad S. Scripturam II 273 sq. — Habitudo Traditionis ad magisterium ecclesiasticum II 275 sq.

Unitas est verae Ecclesiae necessaria proprietas et egregia nota I 395 475 sq.

Universalismus Regni Dei in praedicatione Christi et in praxi Ecclesiae primaevae I 43 sq. 50 sq.

Vicarius Christi iure merito dicitur Petrus eiusque successor Romanus Pontifex I 230 sq.

Visibilitas est necessaria Ecclesiae proprietas I 142 sq. — Visibilitati Ecclesiae nullatenus opponitur quod ipsa in Symbolo proponatur ut obiectum fidei I 153 154.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE PRO STUDIO CORPORIS MYSTICI

- PIUS XII — Encyclica « Mystici Corporis », 1943.
- THOMAS A. — Summa Theol. III, q. 8 — De veritate q. 29, a. 4 et 5 — Comp. Theol. c. 216 — In epist. ad Rom. c. 12, lectio 2 — In epist. ad Cor. c. 12, lect. 1 — In epist. ad Ephes. c. 1, lect. 8 — In epist. ad Coloss. c. 1 lect. 5 — III D. 13, q. 2, a. 1.
- TH. KOEPELLI — Zur Lehre des hl. Thomas von Aquin vom Corpus Christi mysticum, 1931.
- ANGER — La Doctrine du Corps mystique de Jésus Christ, 1929.
- MERSCH E. — Le Corps mystique du Christ. Etudes de théologie historique, 1936.
- MERSCH E. — La théologie du Corps mystique, 1946.
- GOOSSENS — La théologie du Corps mystique, 1945.
- TROMP — Corpus Christi quod est Ecclesia, 1946.
- TROMP — De biformi conceptu cum « Christi mystici », tum « Corporis mystici » in Controversiis S. Rob. Bellarmini in Gregorianum 23, (1942).
- CERFAUX L. — La Théologie de l'Église suivant saint Paul, 1948.
- CERFAUX L. — Le Christ dans la théologie de saint Paul, 1951.
- ALLO E. B. — L'évolution de l'évangile de Paul in Vivre et penser I^{re} série.
- BONSIRVEN — Théologie de Nouveau Testament, 1951.
- BENOIT P. — L'horizon paulinien de l'Épître aux Éphésiens in Revue Biblique 46 (1937).
- AMIOT F. — L'enseignement de saint Paul, 1935.
- KOESTER — Die Idee der Kirche beim Apostel Paulus, 1928.
- HUBY J. — Saint Paul. Les Épîtres de la captivité, 1935.
- HUBY J. — Saint Paul. Première Épître aux Corinthiens, 1946.
- LIGHFOOT — Paul's Epistles to the Colossians and to Philemon, 1904.
- CONGAR M.-I. — Esquises du Mystère de l'Église, 1941.
- CONGAR M.-I. — Ecclesia ab Abel in Festschrift für Karl Adam, 1952.
- HANSON S. — The unity of the Church in de New Testament, 1946.
- PERCY E. — Der Leib in den Paulinischen homologumena und anti-logomena, 1942.
- DEDEN — Le mystère Paulinien in Ephemerides Theologicae Lovanienses, 13, (1936).
- MALEVEZ L. — L'Église, Corps du Christ, sens et provenance de l'expression chez saint Paul in Science religieuse, 1944.

- BEUMER — Die altchristliche Idea einer praexistenden Kirche und ihre theologische Auswertung in Wissenschaft und Weisheit, 1942.
- GOMMENGINGER — Bedeuter die Exkommunikation Verlust der Kirchengliedschaft in Zeit. für Kath. Theol., 1951.
- GERRY — Dans le Christ total, 1952.
- HOCEDÉZ E. — Notre solidarité en J. C. et en Adam in Gregorianum 13 (1932).
- HOFMANN — Christus et Ecclesia una persona mystica apud S. Thomam in Angelicum, 1941.
- GALTIER P. — Les deux Adam, 1947.
- CIAPPI L. — La solidarietà ... in Sapienza 2 art., 1952.
- VIGANO CATTANEO — La solidaridad del Cuerpo místico, 1948.
- GERARDO SCIARRETA — La Croce e la Chiesa nella Teologia di San Paolo, 1952.
- LIÉGÉ — L'appartenance à l'Église et l'Encyclique « Mystici Corporis » in Revue des Sciences Philos. et Théol., 1948.
- GIGON — De membris corporis mystici, 1940.
- FRAGHI S. — De membris Ecclesiae, 1937.
- BOUYER L. — Où en est la théologie du Corps mystique in Revue des Sciences Religieuses, 1948.

A. M. D. G.